DE LEGIBUS, EARUM TRANSGRESSIONE, SEU PECCATIS ET PECCATORUM POENA DISSERTATIONUM...

Nicolaus Muszka, Antonio Martinis, Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
37
29 · A
12

126.

Ex Libris Antony Martinez

MAG 193

Digitized by Google

DE LEGIBUS, EARUM TRANSGRESSIONE, SEU PECCATIS, ET PECCATORUM POENA

DISSERTATIONUM THEOLOGICARUM

LIBRI TRES,

QUOS

IN UNIVERSITATE VIENNENSI

AUDITORIBUS SUIS EXPOSUIT

NICOLAUS MUSZKA e S. J.

SS. THEOL. DOCTOR, EJUSDEMQUE PROFESSOR PUBLICUS, ET IN SACRA FACULTATE CÆSAREO-REGIUS EXAMINATOR JURATUS.

L. I. de Legibus.

L. II. de Legum tranſgreſſione, ſeu Peccatis.

L. III. de Peccatorum Pœnis.

VIENNÆ AUSTRIÆ,

TYPIS JOANNIS THOMAE TRATTNER, CAES. REG. MAI. AUL. BIBLIOP. ET TYPOGR. 1756.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

THeologiæ univerſæ ſtudium eo pertinet, ut hominem, face velut prælata, ad DEI auctoris ſui cognitionem manuducat primum: tum etiam cultum ejus, & obſequium omni jure illi debitum edoceat. Nihil jam vero ut dicam de primo: alterum ea potiſſimum Parte exequitur, quæ Legibus deſtinata eſt explanandis. Quæcumque enim ſint illæ, ſive naturales, quas ipſa cum natura habemus neceſſario inſitas: ſive divinæ, quas præterea ſupremus Legiſlator DEUS libera voluntate adjecit: ſeu humanæ, quæ poteſtate ab illo accepta per hominem feruntur, omnes certa ſunt norma, ad quam cum actiones humanæ exiguntur, tum demum gloriæ & obſequio Condito-

Digitized by Google

ris deſerviunt. Quod unum uti ſpectandum eſt omnibus, ita quiſque ex Legum præſcripto neceſſe habet mores componere: idque adeo, ut, ſi ab hoc deſciſcat, cultum DEO debitum haud dubie ſubtrahat, ac vel ideo Legum tranſgreſſione reum peccati ſe efficiat. Quemadmodum autem non una eademque eſt Legum conditio, ita peccati earum traſgreſſione contracti multiplicem Theologi diſtinguunt ſpeciem, ac in hac rurſum gravia ſecernunt a levibus &c. Quæcumque attamen ſint illa, omnibus ſuæ juſto DEI vindicis judicio reſpondent pœnæ. Quid enim æquius? atque ut homines, qui Legum obſervantia præmium ſibi emereri poterant, earum neglectu incurrant pœnam: quo vel ſic, quos liberalis præmiorum promiſſio non erigit, juſtus ſaltem pœnarum metus ad officium compellat.

Atque hæc tria erunt lucubrationis in præſens ſuſceptæ argumentum; diſceptaturi nimirum ſumus de Legibus, earum tranſgreſſione, hujuſque tranſgreſſionis pœna. Amplam ſingula, ut nemo non videt, diſſerendi ſufficiunt materiam: quando vel obiter cogitanti ultro ſe ſe offerunt copioſæ illæ controverſiæ, quarum iſthic alias excitant Juriſperiti, Theologi morum alias, ubivis fere ſuas ſibi partes vendicantibus Sectariis; ut taceam annoſas Scho-

Digitized by Google

Scholaſticæ Theologiæ lites, complura S. Literarum loca admodum implexa, dubiaſque in multis Patrum ſententias. De quibus omnibus nos ita agere conſtitutum habemus, ut nihil quidem eorum, quæ ad ſumma controverſiarum capita pertinent, indiſcuſſum relinquamus: caveamus contra, ne ſingulis etiam, quæ facultatum aliarum ſunt propria, minutim diſceptandis Theologiæ ſtudioſum plus juſto diſtineamus.

Quid quid vero iſtud erit, tribus complectemur Libris, eum in digerendis illis ſecuturi ordinem, quem ipſa propoſiti argumenti ratio ſuggerit. Nimirum Liber I. aget de Legibus; II. de peccato, quod ex Legum tranſgreſſione contrahitur; III. de pœna, quæ peccatum conſequitur. In Libro I. explicanda veniet in communi Legum natura, ſuis cum proprietatibus: tum ſpeciatim de Lege naturali, divina, & humana diſſerendum erit. In Libro II. poſteaquam peccati generatim ſumpti conditio fuerit propoſita, ſummæ ejus deinde ſpecies in diſceptationem vocabuntur, peccatum videlicet perſonale, & originale. Demum in Libro III. pœnas, quæ peccato ſeu perſonali, ſeu originali ex ordinatione divina reſpondent, deſignabimus; ac, quæ de illis controverſa occurrunt, expediemus. Quæ omnia ut ad Eccleſiæ ſenſum

Digitized by Google

exigantur certius, cuivis Libro præfigemus præcipua ejusdem argumenti Conciliorum Oecumenicorum Decreta, & Propoſitiones a Summis Pontificibus damnatas. Erunt hæc ſacri inſtar limitis, quem egredi nobis nefas fuerit.

LIBER

Digitized by Google

LIBER I.

De Legibus.

Libri hujus argumentum, quoad illud Theologiæ eſt proprium, Diſſertationibus quatuor explanabimus. I. erit de Lege in genere. II. de Lege Naturali. III. de Lege Divina. IV. de Lege Humana. His præmittimus duorum Conciliorum Oecum. Decreta, & Propoſitiones damnatas.

DECRETA CONCILIORUM.

Concil. Conſtantienſe, quod jam Anno 1414. *Seſſione* 8. *&* 15. *Wicleffi & Joannis Huſſ doctrinam proſcripſerat, idem rurſus, ſubſcribente Martino V. Pontifice, ſolemni Decreto præſtitit An.* 1418. *Seſſ.* 45. *Inter alia vero doctrinæ Wicleffi capita ſub N.* 15. *iſtud legitur:* Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali. *Huſſii autem Articulus* 15. *ita habet:* Obedientia Eccleſiaſtica eſt obedientia ſecundum adinventionem Sacerdotum Eccleſiæ.

Concil. Tridentinum Seſſ. 4. *in Decreto de Canon. Script. declarans*, ſuſcipere ſe omnes libros tam veteris, quam novi Teſtamenti, *pro cauſa reddit:* cum utriuſque unus DEUS ſit auctor.

Idem Concilium Seſſ. 6. *in Decr. de Juſtif. Cap.* 1. Naturæ & Legis ad juſtificandos homines imbecillitatem *explicans*, *ait:* cum omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdidiſſent, - - uſque adeo ſervi erant peccati, - - ut non modo Gentes per vim Naturæ, ſed ne Judæi quidem per ipſam etiam literam Legis Moyſi, inde liberari, aut ſurgere poſſent.

Idem

Digitized by Google

Idem eadem Seſſ. poſt laud. Decretum, inter alios Canones, ſequentes quatuor iſthuc pertinentes edidit:

XVIII. Si quis dixerit, DEI præcepta homini etiam juſtificato, & ſub gratia conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia; anathema ſit.

XIX. Si quis dixerit, nihil præceptum eſſe in Evangelio præter fidem, cætera eſſe indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, ſed libera; aut decem præcepta nihil pertinere ad Chriſtianos; anathema ſit.

XX. Si quis hominem juſtificatum, & quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad obſervantiam mandatorum DEI & Eccleſiæ, ſed tantum ad credendum: quaſi vero Evangelium ſit nuda & abſoluta promiſſio vitæ æternæ, ſine conditione obſervationis mandatorum; anathema ſit.

XXI. Si quis dixerit, Chriſtum JESUM a Deo hominibus datum fuiſſe, ut redemptionem, cui fidant: non etiam ut Legislatorem, cui obediant; anathema ſit.

Idem Concilium Seſſ. 25. in Decr. de Reform. Cap. 18. de Legum Eccleſiaſticarum obſervantia, earumque diſpenſatione ita ſe declarat. Sicuti publice expedit Legis vinculum quandoque relaxare, - - ſic frequentius Legem ſolvere -- nihil aliud eſt, quam unicuique ad Leges tranſgrediendas aditum aperire. Quapropter ſciant univerſi ſacratiſſimos Canones exacte ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indiſtincte obſervandos.

Ibidem mox diſpenſationis modum præſcribens, Quod ſi urgens, *inquit*, & juſta ratio, & major quandoque utilitas poſtulaverint, cum aliquibus diſpenſandum eſſe, id cognita cauſa, ac ſumma maturitate, atque gratis, a quibuſcumque, ad quos diſpenſatio pertinebit, præſtandum: aliterque facta diſpenſatio, ſubreptitia cenſeatur.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

A Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. Michaelis Baji Propoſ. IV. Vita æterna homini integro & Angelo promiſſa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex Lege naturæ ad illam conſequendam per ſe ſufficiunt.

XVI. Non eſt vera Legis obedientia, quæ fit ſine charitate.

Ab Alexandro VII. Propoſ. XXVIII. Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat Legem a Principe promulgatam.

A Clemente XI. in Bulla *Vineam Domini &c. Propoſ. I.* Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundum præſentes, quas habent, vires ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.

Ab eodem in Bulla *Unigenitus Dei Filius* &c. *Propoſ. LXV.* Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores Legis mortui ſunt, abſque eo, quod ullum Deo dederint filium, cum non effecerint niſi mancipia per timorem.

Item LXXI. Homo ob ſui conſervationem poteſt ſe ſe diſpenſare ab ea Lege, quam Deus condidit ob ejus utilitatem.

Digitized by Google

DISSERTATIO I.

DE LEGE IN COMMUNI.

§. I.

Quid ſit Lex?

QUod Græci *νόμον* a *νέμω*, *tribuo* vel *adminiſtro:* hoc Latini dicunt *Legem*, tametſi de vocis origine non conſentiant. Cicero L. I. de Leg. ab *eligendo* dictam putat propterea, quod Lex ſit regula eligendorum: quam opinionem ipſe Auguſtinus Qu. 20. in Levit. amplectitur. Iſidorus L. 2. Etym. C. 10. originem ejus a *legendo* repetit: ſcriptas quippe olim Leges eſſe oportuit, ut ab omnibus legi poſſent. Doctor Ang. I. 2. qu. 90. Art. I. *dicitur*, inquit, *Lex a ligando*, *quia obligat ad agendum.* Sed nec vocis hujus acceptio una eſt. Nunc enim ſumitur pro *pacto* vel *conditione:* alias pro quavis *regula* aut *præcepto:* etiam pro *Religione* & *diſciplina* Leges continente &c. quæ tamen, hiſque ſimiles aliæ Legis acceptiones ſunt impropriæ. Inde, cum nobis de Lege ſenſu proprio ſumpta agendum ſit, hujus ſolius naturam, exiſtentiam, conditiones item ad eam requiſitas, variaſque illius ſpecies iſthic definire oportebit. Erunt hæc præliminarium inſtar ad reliqua, quo expeditum habeamus deinceps de Legibus diſſerendi argumentum.

Definitio Legis.

1 LEx proprie dicta, juxta illud Prov. 8. *per me Reges regnant*, *& Legum conditores juſta decernunt*, eſt regula communitati præſcribens, quod rectum & juſtum eſt. Ita ſumptam D. Thom.

D. Thom. cit. qu. Art. 4. ait, *eſſe quamdam rationis ordinationem ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgatam.* Quod ſi interim definitionem magis expreſſam velis: *Lex eſt rationabilis, eaque legitime promulgata Superioris ordinatio, qua ſtabiliter velit obligare ſubditos in eorum commune bonum.* Quid porro hæc ſibi velint ſingula, a N. 4. clarum fiet; nunc notaſſe ſuffecerit: ſi quid in horum aliquo deficiat, id quidem Legis, ſenſu proprio acceptæ, rationem habere non poſſe.

Exiſtentia Legis.

I. Legem, ut nunc definita eſt exiſtere, vix erit, cur 2
operoſe contendamus; ſatis, opinor, de hoc vel ab ipſo rationis lumine cum natura nobis inſito edocemur: ut adeo haud opus ſit provocare ad Codices, quibus Leges divinas aut humanas contineri novimus. Imo neceſſaria etiam Legum exiſtentia in dubium vocari nequit, ſi hominis conditio attendatur. Poſſe quippe illum a recti & honeſti tramite deviare, atque adeo a fine ſibi præſtituto deflectere, nimis quam exploratum habemus; quo igitur a Deo auctore ſuo provide gubernaretur, ſtatuenda erat regula, ad quam actiones ſuas exigeret, atque ſic exactas ad finem ſibi conſtitutum ordinaret. Ex quo ſimul Legum utilitatem, & multiplicia ex iis in ſocietatem humanam promanantia commoda haud difficile eſt conſequi. Certe hæc jam veteribus Sapientibus tanta eſſe viſa ſunt, ut, Reipublicæ ſalutem in Legibus eſſe conſtitutam, conſentientibus ſuffragiis pronuntiarent.

II. At, ſi certa adeo (inquies) Legis exiſtentia, in quo 3
illa Legislatoris actu eſt reponenda? Mihi quidem pro indubitato habendum videtur, Legem exiſtere non poſſe ſine tribus Legislatoris actibus: voluntatis nimirum actu, quo ſubditos obligare velit; actu item intellectus, quo ordinet id, ad

quod ſubditos obligari cupiat; actu demum externo, quo internam rationis ordinationem practice ac imperative ſubditis intimet. Cur ita vero? quia univerſim ad intellectum pertinet ordinare: huic autem ordinationi ſola voluntas dare poteſt vim obligandi: rurſumque ut ſubditus re ipſa obligetur, Superioris ordinationem ac voluntatem neceſſe eſt ei innoteſcere, id quod ſine aliquo externo ſigno ad ſubditum directo haberi non poteſt. Fatendum interim, rationem Legis præcipue in actu intellectus conſiſtere: eſt quippe Lex actuum humanorum regula, regulare autem & dirigere proprium eſt intellectus officium; hinc & D. Thomas hic qu. 93. Ar. 1. Legem æternam, cui ſubordinatur quævis alia, præciſe *rationem divinæ ſapientiæ* vocat. Illud autem, quod præterea quidam iſthic diſceptandum ſuſcipiunt: qui nominatim videlicet horum actuum *formaliter* ac *intrinſece* conſtituant Legis naturam? tricæ ſunt, quas nullo rei Theologicæ diſpendio prætereas.

Conditiones ad Legem requiſitæ.

LEgis natura non aliunde certius, atque ex conditionibus ad eam requiſitis innoteſcit. Agit de his facile omnium copioſiſſime Suarez L. 1. a Cap. 6. uſque ad 12. in Tract. de Legibus; nos quatuor duntaxat præcipuas referemus: ex his pronum erit ſtatuere de reliquis. Jam vero

4 I. Legem oportet eſſe *juſtam*. Quæcumque enim illa ſit, originem ducit a Lege æterna Dei, huicque, ceu exemplo ſuo, conformari debet: ſicut igitur hæc, ita quævis alia juſtum decernat, neceſſe eſt. Ac profecto ſi hac deſtituatur prærogativa, quomodo erit ordinatio rationis? quomodo lata in commune bonum? inde Auguſtin. L. 1 de lib. arbitr. C. 5. *mihi*, inquit, *lex eſſe non videtur, quæ juſta non fuerit:* certe

autem

Digitized by Google

autem talis non eſt, ſi quid eorum, quæ ſubditorum vires ac facultatem excedant, aut honeſtati adverſentur, præcipiat.

Neque tamen propterea injuſtas dixeris Leges, quibus 5
nonnunquam mala permittuntur; tametſi enim ſine ſcelere decerni nunquam poſſit, ut malum fiat: ejus tamen permiſſio ad majus aliud evitandum malum, quod id genus Leges ſpectant, adeo nihil indecori habet, ut ipſo Deo ſit digna. Sed audire libet ipſum D. Thomam 2. 2. qu. 10. Ar. 11. ratiocinantem. *Humanum*, inquit, *regimen derivatur a divino regimine, & ipſum debet imitari; Deus autem, quamvis ſit omnipotens & ſumme bonus, permittit tamen aliqua mala fieri, quæ prohibere poſſet: ne eis ſublatis majora bona tollerentur, vel etiam pejora mala ſequerentur. Sic ergo & in regimine humano illi, qui præſunt, recte aliqua mala tolerant: ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua pejora mala incurrantur; ſicut Auguſtin. dicit L. 2. de Ordine C. 4. aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.* Ex quo idem Doctor Ang. infert, ab Eccleſia recte tolerari infideles, cumprimis autem Judæos, ut qui vel inviti perhibeant fidei noſtræ teſtimonium.

II. Oportet Legem eſſe *ſtabilem*, hoc eſt: ex mente Legis- 6
latoris, non ad tempus, ſed in perpetuum duraturam, niſi abrogetur. Patet iſtud vel inductione: ſic enim, præterquam quod Legis naturalis & divinæ certa ſit perpetuitas, ipſas etiam humanas Leges ſtabiliter ferri novimus; unde communi ICtorum opinione Legem inter & præceptum (præter alia) id eſt diſcriminis, quod hoc præcipientis morte expiret, illa vero per Legislatoris obitum non extinguatur. Idem evincit ratio: Lex quippe Communitati fertur in commune ejus bonum; cum igitur hæc ſit permanens, cumque

 bonum

bonum ejus nunquam non ſit curandum, plane conſequitur, Legis quoque obligationem ex ſe ſtabilem ac permanentem eſſe oportere.

7 Sed enim iſtud quiſpiam in dubium revocabit, ac primum forte Legem veterem oggeret, ut quæ ultra Chriſti adventum ſe non porrexerit: tum & Leges humanas, quarum complures tractu temporis mutari experimur. Verum hæc officere nequeunt aſſertæ Legum conditioni; ſatis quippe jam innuimus, Leges non debere eſſe hoc ſenſu perpetuas, quaſi univerſim nunquam mutari aut deſinere poſſint: verum eo duntaxat, quod ex ſe, ac ſpectato Legislatoris propoſito ſemper durent, donec, aut ceſſante earum fine, ultro & ipſæ deſinant: aut certe contraria conſuetudine, vel Superioris voluntate abrogentur. Ita Lex vetus fuit perpetua pro eo ſtatu, pro quo lata eſt: cum vero hic, ſuccedente Legis Evangelicæ ſtatu, ad quem præparabat illa, ſubinde deſierit, deſinere & illam oportuit. Sic & Legibus humanis ſua eſt hoc ſenſu perpetuitas, quod cum Legislatoris morte non intereant: quodque non præſentes tantum, ſed & ſucceſſores obligent, niſi legitime revocentur.

8 III. Peculiare & illud Legi eſt, quod *ad Communitatem dirigi debeat* juxta illud L. 1. Inſtit. Tit. Jura: *Leges non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur.* Nec aliter latas reperies, quaſcumque conſulas: certe Legem æternam ac naturalem eſſe communem, ſatis compertum eſt; de Legibus autem Civilibus & Eccleſiaſticis idem affirmat Gregorius IX. in Procem. Decretalium. Ex communi adhæc ſenſu Legis a præcepto differentia in eo conſtituitur, quod hoc uni aut duobus imponi poſſit, non item illa; ut adeo Superior non cenſeatur Legem ferre, ſi quid uni vel alteri mandet;

Digitized by Google

det: ita Dei mandatum ad Abraham de filio immolando Gen. 22. non Legis, ſed præcepti duntaxat rationem habuit. Si jam vero conditionis hujus requiras cauſam, inde cumprimis eam repetendam cenſeo: quod Lex præcipuus ſit actus prudentiæ ac poteſtatis politicæ, hæc vero ex ſe ordinetur ad Communitatem, ejuſque commune bonum procurandum; tum etiam, quod Legem oporteat eſſe perpetuam, qualis eſſe non poſſet, ſi particularem duntaxat reſpiceret perſonam, quæ ipſa utique non eſt perpetua, uti ex adverſo ſtabilis ac permanens eſt Communitatis ſtatus. Neque interim exiſtimandum, Legem ferri debere ſemper *directe* pro tota ac perfecta Communitate: ſatis eſt, ſi vel ad ejus partem, quæ tamen ſit permanens, quæque proinde Communitas ſaltem imperfecta dici poſſit, dirigatur; Lex interim etiam hujuſmodi aliqua ratione, *indirecte* nimirum, ad totam Communitatem pertinebit. Dicitur autem Communitas perfecta, quæ ſibi ſufficit ad aſſequendum finem, ad quem inſtituta eſt: imperfecta vero, quæ ſibi non ſufficit. Unde perfectæ Communitatis nomine veniunt Regnum, Reſpublica, Eccleſia &c. contra Familiæ, Collegia, artificum Cœtus, Status e. g. nobilium vel plebejorum, Communitates imperfectæ vocantur.

Opponi iſthic poſſunt duo. 1mo, Cap. *Licet*, de Regu- 9
laribus, item C. *Duæ ſunt*, 19. Qu. 2. lex alia dicitur publica, alia privata. Quin Ulpianus ipſe L. 1. ff. Tit. 4. leges quasdam ait eſſe perſonales, quæ non trahuntur in exemplum. 2do, cum Lex ſit actionum humanarum norma, ad eas utique perſonas dirigi debet, quæ ſecundum illam operari poſſint; atqui hæ ſunt perſonæ particulares, non autem Communitas, quæ ſolum fictione juris perſona dicitur.

Utrique

Utrique huic occurritur animadverſione duplici. Pro 1*mo* obſerva: legem non raro latiore & minus proprio ſenſu ab ipſis Juriſperitis uſurpari, pro omni videlicet eo, quod actionis humanæ norma eſſe poſſit. Ita in cit. CC. per legem privatam intelligitur privatus Spiritus Sancti inſtinctus, quo quis ad arctius vitæ inſtitutum vocatur: quem inſtinctum quidem nemo dixerit veram eſſe Legem. Ulpianus vero agens de privilegio particulari perſonæ conceſſo, aut pœna eidem inflicta, utrumque Legem perſonalem vocat propterea, quod quamvis eorum executio unam duntaxat perſonam reſpiciat, utrumque nihilominus in bonum Communitatis cedat. Pro 2*do* illud facit, quod Leges non alio ſenſu ad Communitatem dirigantur, quam prout hæc includit perſonas particulares, per quas lex debet impleri, & executioni mandari. Dicitur attamen ad Communitatem potius, quam ad ſingulares perſonas dirigi: quia non reſpicit illas ut tales, verum ut ſunt pars Communitatis, ſimulque propter commune illius bonum.

10 IV. De ratione Legis demum eſt, *ut ad commune bonum referatur.* Perſuaſum id erat vel Ethnicis; hinc Ariſtoteles L. 4. Politic. C. 1. *Leges*, inquit, *ad Communem populi ſalutem ſunt accomodandæ:* idque opinione ejus uſque adeo neceſſarium eſt, ut dein L. 8. C. 10. non dubitet Tyrannum inter & Regem eam ſtatuere differentiam, quod hic in communia, ille in propria duntaxat intentus ſit commoda. Ac ſane, ſi ſpecies Legum ſingulas ad examen revocemus, hunc unum omnibus præfixum eſſe finem liquido patebit. Legem certe naturalem ex ſe ad commune totius naturæ humanæ bonum ordinari, nemo eſt, qui addubitet. Divinas etiam poſitivas Leges communem hominum utilitatem ſpectare, teſtatur ipſe Deus per Iſaiam C. 51. V. 4. cum ait: *Lex a me exiet, & judicium meum in lucem populorum requieſcet.* Quid ni jam vero

eadem

eadem ſit Legum humanarum conditio? tum quod eas Legi divinæ, ceu exemplari ſuo, conformes eſſe oporteat: tum quod poteſtas Legislativa hominibus in Communitatem conceſſa, in ejus utique commodum cedere debeat. Illud certe negari nequit, Leges condi ad Communitatis regimen; an iſtud vero ſperari poſſit? ſi Legislator privatis duntaxat intendat commodis, publica negligat: nihil tum equidem pronius, atque ut ſubditi, alienatis a Principe ſuo animis, in diverſa abeant ſtudia, totiuſque Reipublicæ ſequatur perturbatio.

Non erit igitur (inferet aliquis) obtemperandum Legibus, dum conſtet eas in bonum publicum a Legislatore referri? Quin, cum familiare ſit ſubditis de hoc ambigere, præſertim quoad Leges vectigalium, aliaſque id genus, quæ privatum Principis, aut particularis alterius perſonæ commodum ſpectare videntur, conditio hæc aperit viam inobedientiæ & ſeditioni; vel hoc autem nomine inter conditiones ad Legem requiſitas locum habere non poteſt. 11

De hoc ita habe. Subditorum eſt ſine cunctatione parere Legibus, quin prius Legislatoris intentionem perſcrutentur: tum quod hanc rectam eſſe præſumi debeat; tum quod illa ſubſtantiam Legis non conſtituat, modo præceptum opus ſit juſtum, & communi bono deſerviat, *quia bona lex a non bono ferri poteſt*, ut ait Auguſtin. Lib. 1. de lib. arbitr. C. 5. Num autem talis ſit, ex ſapientum judicio, non vulgi opinione æſtimandum eſt; imo in dubio ſemper præſumi debet pro Legislatore, cum is ſit in poſſeſſione regendi ſubditos per leges a ſe latas. Sapiens in hanc rem effatum eſt D. Bernardi L. 1. de Præcept. & Diſpens. C. 10. *Imperfecti cordis*, inquit, *& infirmæ prorſus voluntatis indicium eſt*, *male ſuſpicari* C *de*

de præcepto, cujus cauſa latuerit: nec unquam libenter obedire, niſi cum audire contigerit, quod forte libuerit, aut quod non aliter expedire monſtraverit vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas. Id quod cumprimis locum habet in Politicis, ubi ea, quorum cauſa Leges feruntur, ſæpe non expedit in vulgus emanare. Quod autem ad Leges vectigalium attinet: tametſi eæ privatam Principis utilitatem reſpiciant ut *materiam proximam:* non tamen ut finem; ultro quippe ex ſe ordinantur ad Reipublicæ felicitatem & ſecuritatem, cui Princeps nequit proſpicere, niſi locuplete ærario ſit inſtructus. Idem cum proportione eſto judicium de reliquis Legibus, quibus privata perſonarum commoda procurantur: ut eſt lex naturalis de tuenda vita, lex eleemoſynæ, lex fraternæ correctionis &c.

At forte omnes ſaltem Leges, quæ ad commune bonum referuntur, pro juſtis habendæ non ſunt? cum non raro eveniat, ut earum aliquæ privatis quibusdam perſonis ſint inutiles, aut etiam noxiæ. Neque iſtud: cum enim pars ſit propter totum, rationi & æquitati eſt plane conſonum, ut illa huic ſe conformet; ad Legum igitur æquitatem ſatis eſt, ſi communi bono expediant, tametſi cum aliquo particularium perſonarum incommodo ſint conjunctæ. Licet Belli duci militem periculo vitæ exponere, ut incolumitatem tutetur Patriæ: licet Medico membrum cæteroquin ſanum reſecare, ut ſervet vitam totius corporis; cur non eodem jure liceat Legislatori privata aliquorum damna publicæ felicitati immolare?

Legum varietas.

PRima & maxime generica Legis diviſio eſt in *æternam*, & *temporalem.* Quid utriuſque nomine veniat iſthic explicandum eſt. Itaque

I. Lex

Digitized by Google

I. Lex æterna juxta Auguſtinum L. 22. contra Fauſt. 12
C. 27. eſt *ratio & voluntas Dei, quæ rerum ordinem ſervari jubet, perturbari vetat.* Haud abſimilia ſunt, quæ alii adferunt: ut adeo conſenſu omnium ſumma illa ratio & voluntas, qua Deus ab æterno conſtituit creaturam in tempore condendam regere ac gubernare, Lex æterna dicatur. Quoniam autem in Deo omnia unum ſunt, Lex æterna idem re ipſa eſt cum ideis divinis, ejuſque providentia: tametſi inter utrumque noſtro concipiendi modo diverſitas aliqua intercedat. Ideas nimirum divinas concipimus inſtar exemplaris cujusdam, in mente divina ab æterno efformati, ſecundum quod Deus fieri velit omnia: providentiam vero inſtar potentiæ executricis, quæ regulam illam in tempore exequatur. Ex quo colligas, Legem hanc in Deo haberi per intellectus ſimul & voluntatis actum: eodemque præſcribi ab æterno, quibus mediis, quove ordine res creatæ ad ſuos fines in tempore dirigantur.

Quibus quidem attentis (niſi de nomine litem moveas) 13
ſupervacaneum mihi videtur quærere: num Legi æternæ ſubjecta ſint creata omnia? Nemo certe negaverit divinæ gubernationi ſubdi omnia; ſubduntur igitur etiam Legi æternæ, ſecundum quam a Deo, ceu ſummo & providentiſſimo Domino, omnia gubernantur. Apertum in hanc rem pluribus Scripturæ locis eſt teſtimonium: *ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus*, Pſ. 148. *quando ponebat pluviis legem*, Job. 28. *venti & mare obediunt ei*, Matth. 8. Idem paſſim inclamant Patres; at unum pro omnibus audire ſuffecerit Auguſtinum, qui poſteaquam L. 5. de Civ. Dei C. 11. minutim de creaturis omnibus iſtud contendit, dein ibid. L. 19. C. 12. generatim aſſerens, *nihil*, inquit, *a legibus ſummi creatoris & ordinatoris ſubtrahitur, a quo*

 pax

pax univerſitatis adminiſtratur; & L. 83. Quæſtion. qu. 27. *Lex ipſa incommutabilis manet, & omnia mutabilia pulcherrima gubernatione moderatur.* Neque tamen propterea exiſtimandum, Legem æternam veræ ac proprie talis Legis rationem habere comparate ad creaturas irrationales: hæ enim uti rationis, ſic & præcepti ac obedientiæ ſunt incapaces. Eo igitur duntaxat ſenſu Legem hanc ad eas pertinere volumus, quod etiam reſpectu illarum ſit norma, ſecundum quam a Deo gubernantur. Quid quod cum Vaſquezio nonnulli generatim contendant, Legem æternam, ne quidem relate ad creaturas rationales, eſſe vere ac proprie legem: verum metaphorice tantum, & improprie. De quo, ſi rem dici velis planiſſime, ita pronuntiandum cenſeo. Lex æterna, cum etiam ſecundum ſe præciſe ſumpta ſit ratio, qua Deus ordinari vult omnia ad bonum commune, eſt omnino lex vera (ut ſcholæ ajunt) *in actu primo:* non tamen etiam *in actu ſecundo*, cum re ipſa non obliget creaturam rationalem, niſi prout illi in tempore applicatur. Id vero fit per legem aliquam temporalem, qua nihil proponitur unquam, niſi quod Lege æterna fuerit definitum: omnes quippe Leges aliæ ab æterna Dei Lege derivantur. Sed nimirum iſtud ſpeciatim libet inveſtigare.

14 Omneſne igitur Leges aliæ ab æterna Dei Lege ducunt originem? Ita plane; lex enim eſt actus poteſtatis legislativæ, *non eſt* autem *poteſtas niſi a Deo*, Rom. 13. hinc Deus ipſe Prov. 8. dicit: *per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt.* Conſonat his, præter alios, Auguſtinus L. 1. de lib. arbitr. C. 6. aſſerens: *nihil eſt in temporali lege juſtum, quod ab æterna non derivetur.* Id quod vel ethnicis perſuaſum novimus; unde Cicero in 2. Philipp. *Lex*, inquit, *nihil aliud eſt, niſi recta & a numine Deorum tracta ratio.* Eſt ita-

Digitized by Google

itaque Lex æterna legum reliquarum omnium cauſa: primum quidem *exemplaris*, cum nulla lex ſit juſta, niſi Legi æternæ conformetur; tum etiam *efficiens*, cum quævis inferior legislativa poteſtas per Legem æternam conferatur: Deus vero ipſe nihil in tempore præcipiat, quod non ab æterno decreverit.

II. Lex temporalis eſt, quæ a legitima poteſtate fertur 15
in tempore. Dividitur in *naturalem* & *poſitivam*: illa eſt ipſi naturæ rationali inſita; hæc vero libera voluntate Legislatoris poſita, ac priori ſuperaddita. Poſitiva lex rurſum eſt vel *divina*, vel *humana*: divinam dicimus, quæ ipſum Deum habet auctorem; humanam contra, quæ ab homine ſancita eſt. Sunt & aliæ præterea inferiores Legis temporalis ſpecies: ut Lex Divina *vetus* & *nova*, Lex humana *Eccleſiaſtica* & *Civilis*, Lex item *actum irritans*, vel tantum *prohibens*, *favorabilis*, *odioſa*, *pœnalis* &c. Verum de his opportunior erit dicendi locus, dum, poſt explanatam Legem naturalem, in particulari de Lege divina & humana Diſſ. III. & IV. diſceptabimus. De Lege porro æterna non eſt cur ſpeciatim agamus: quando, quidquid illa creaturæ rationali præcipitur aut prohibetur, totum id nobis per temporales leges æternæ ſubordinatas innoteſcit.

§. II.

Qui ſint Legis effectus?

Legis efficientiam iſthic latius ſumo; omne proinde id, quod a Lege ceu ſua origine vel cauſa proficiſcitur, effectus nomine intelligo. Iſtud jam vero ſi generatim ſpectetur, ad tria capita commode reduxerim: ad actus videlicet

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Legi proprios, ad obligationem ex his conſecutam, ipſius demum Legis obſervationem.

Actus Legis.

16 I. CUm Legis officium ſit dirigere actus humanos, horum autem alii ex genere ſuo ſint boni, alii mali, quidam indifferentes, ultro conſequitur: proprios Legis actus eſſe *imperare* bona, *prohibere* mala, *permittere* indifferentia. Quia vero id, per quod Lex inducit ad obedientiam, eſt timor pœnæ, etiam *punire*, hoc eſt, decretum de pœna infligenda, proprius eſt Legis actus.

17 II. At num perinde his accenſendi actus *præmiandi* aut *conſulendi?* minime: neuter enim obligat, neuter exigit Legiſlativæ poteſtatis miniſterium, ut obſervat S. Thom. hic qu. 92. Art. 2. ad 2 & 3. Nec eſt, cur a *permiſſione* arguas: cum enim etiam illa, quæ imperio aut prohibitioni ſubjecta ſunt, permitti poſſint, clarum eſt inprimis, permiſſionem pertinere ad legislativam Superioris poteſtatem. Quævis præterea legitima permiſſio ſemper cum aliquo imperio ſaltem implicito, proinde & obligatione eſt conjuncta. Quod ſi enim Legiſlator permittat rem ex ſe indifferentem, tacite ſimul decernit & obligat, ne rei permiſſæ uſum quiſquam in alio impediat. Si item permittat actum ex ſe bonum, e. g. ut bene meritus petat præmium: quamvis hunc non obliget ad petendum, obligat nihilominus alios, ne ei in petendo vel accipiendo præmio moleſtiam faceſſant. Idem eſt de permiſſione mali: hac enim facta, non eſt amplius in poteſtate Judicis malefactorem pœnæ ſubjicere.

Atque hinc eſt, quod multorum JCtorum ſententia *Lex permittens*, uti & *Privilegium*, inter Leges proprie tales referantur:

Digitized by Google

rantur: non quidem ſolo permiſſionis & indulti nomine, ſed obligationis ſimul, quem actus hi ſemper involvunt, propter Superioris imperium ſaltem implicitum.

Obligatio ex actibus Legis promanans.

I. INdubitatus Legis effectus eſt *obligatio:* id quod tam definitio Legis, quam actus ejus nunc recenſiti abunde declarant. Unde ſimul certum eſt, Legem ferri non poſſe niſi a Superiore, cum hic ſolus obligare poſſit: neque quidquam veræ Legis rationem habere, niſi ad aliquid obliget. Quin nullam eſſe ajo Legem, quæ non ſimul in conſcientia, proinde ſub peccato obliget. Ac de Lege naturali quidem & divina poſitiva quis addubitet? certe tranſgreſſio utriuſque adverſatur divinæ voluntati; quid quid igitur contra alterutram admittitur, nequit non eſſe vera Dei offenſa, ſeu peccatum. Idem porro de Lege humana exiſtimandum eſſe, Diſſert. IV. §. III. & IV. comprobabitur. Nunc generatim dixiſſe ſuffecerit: nullam poteſtatem eſſe niſi a Deo; quiſquis proinde poteſtati etiam humanæ reſiſtit, atteſtante Apoſtolo Rom. 13. *Dei ordinationi reſiſtit*, quod profecto fieri neutiquam poteſt abſque piaculo. Unde Tertullian. L. 1. contra Marcionem C. 26. generatim arguebat: *Deus neceſſario offenditur facto, quod non vult fieri, cum offenſa ſit comes fruſtratæ voluntatis; ſi offenditur, debet iraſci; ſi iraſcitur, debet ulciſci: nam & ultio fructus eſt iræ, & ira debitum offenſæ, & offenſa (ut dixi) comes fruſtratæ voluntatis.* 18

II. Sed & illud pro indubitato habendum: non eamdem per leges omnes induci obligationem; aliæ enim ſub lethali, ſub veniali culpa duntaxat obligant aliæ. Quæ obligationis diverſitas ut dignoſci queat, attendenda eſt cumprimis materia 19

Digitized by Google

ria Legi ſubjecta: hæc quippe ſi ex ſe, aut ſpectato fine & circumſtantiis ſit gravis, gravis pariter & ſub culpa lethali obligatio cenſenda eſt; levis contra, nec niſi venialem culpam inducens, ſi materia ſit levis. Cujus ratio ex ipſa Legislatoris voluntate repetitur: voluntas etenim recta ac ordinata, qualis indubie eſt in Deo, in homine autem Legislatore ſupponitur, magis intendit executionem graviorum; eorum proinde neglectu etiam magis offenditur, cum offenſa ſit comes fruſtratæ voluntatis. Atque hinc facile colligas, quomodo in re, quantumvis ex ſe levi, obligatio gravis eſſe poſſit: materia enim, in qua Lex verſatur, ponderanda eſt ſimul ex fine & circumſtantiis, ex quibus ſæpe evadit graviſſima. Ita e. g. abſtinentia a fructu ligni ſcientiæ boni & mali Adamo impoſita ſecundum ſe quidem materia eſt levis: quia attamen præcepto hoc Deus intendit ſpecialem erga ſe humanæ ſubjectionis teſtificationem, quod grave eſt, legis quoque hujus obligationem fuiſſe gravem dubitari nequit. Quia interim ſubditi fines hujuſmodi, circumſtantias, ac proinde Legislatoris mentem ſemper aſſequi non poſſunt, aut ſaltem ſæpe non aſſequuntur: idcirco Legislator decernit pœnas, quarum gravitas dein apertius edocet ſubjectæ materiæ gravitatem, & gravem Legis obligationem.

20 III. Nunquamne ergo (inquies) tranſgreſſione Legis, cujus materia levis eſt, peccatum lethale incurritur? imo vero, ſi transgreſſio conjungatur cum contemptu (ut dicimus) *formali*: & non mere *materiali*, ſeu interpretativo. Contemptus *materialis* dicitur, cum negligitur mandatum mere ob ejus levitatem, aut difficultatem; contra *formalis* eſt, ſi ſubditus ex odio vel vilipenſione Superioris præcepto non acquieſcat, ac elata mente ejus auctoritati adverſetur. Utrumque deſcribens Bernardus L. de Præcep. & Diſpens. C. 8. *negle-*

Digitized by Google

neglectus, inquit, *languor inertiæ eſt*, *contemptus vero ſuperbiæ tumor.* - - *Ubique culpabilis neglectus*, & *contemptus damnabilis.* Quibus poſtremis verbis indicat, nullum quidem Legis neglectum vacare culpa aliqua: at ejusdem contemptum (intellige *formalem*) ſimul eſſe damnationi obnoxium, ſemper proinde culpam gravem. Hinc ibid. addit: *hujuſmodi elatio in minimis mandatis culpam facit non minimam*, & *convertit in crimen gravis rebellionis nævum ſatis levem ſimplicis transgreſſionis. Non eſt enim id ipſum nolle obedire*, & *non obedire. Hoc quippe interdum erroris eſt*, *nonnunquam* & *infirmitatis: illud vero aut odioſæ pertinaciæ*, *aut contumaciæ non ferendæ.*

Obſervatio Legis.

I. AD obligationem Legis conſequitur ejus obſervatio, 21 ſeu executio; quæ poteſt eſſe duplex, nimirum vel *quoad ſubſtantiam* tantum, vel etiam *quoad modum.* Quoad ſubſtantiam lex impletur, dum ponitur opus a lege præſcriptum, e. g. die Feſto auditur Miſſæ Sacrificium, res aliena reſtituitur &c. Quoad modum vero, ſi præſcriptum opus impleatur cum convenientibus circumſtantiis, e. g. cum advertentia ad Legem, cum animo eam obſervandi, cum recta intentione &c. De utraque apud Theologos Morales occurrunt complures controverſiæ, pro quibus reſolvendis illud generatim ſit inſtar principii: *tum integre lex obſervatur*, *cum mens Legislatoris integre impletur;* ultra hanc quippe leges obligare nequeunt, cum totam obligandi vim a Legislatore accipiant. Sed nempe ſpeciatim etiam notaſſe aliqua haud inutile fuerit. Itaque

II. Etſi certum ſit, Legem obſervari non poſſe niſi quoad 22 ſubſtantiam impleatur, atque adeo ponatur actus præceptus,

controvertitur nihilominus: num uno eodem actu pluribus Legibus quoad ſubſtantiam poſſit ſatisfieri? Ac mihi quidem cum Suarez & Sanchez affirmandum videtur: niſi tamen oppoſitum expreſſe velit Legislator, aut mens ejus contraria aliunde colligatur. Ratio 1*mi* eſt: nam univerſim ſatisfit legi, cum actus præceptus ponitur, id quod hoc caſu fieri ſupponitur. Inde obligatus ad Horas Canonicas ratione Ordinis & Beneficii, una recitatione ſatisfacit; ſimiliter Dominica & Feſto in eundem diem incidentibus non eſt obligatio audiendi Miſſas duas &c. Ratio 2*di* repetitur ex legislativa poteſtate, virtute cujus Superior diſtinctis legibus diſtinctos pariter actus poteſt præcipere. Hinc ex adverſo, ſi quis uni eidemque centum debeat duplici juſtitiæ titulo, e. g. ex contractu, & ex damno illato, non ſatisfacit centum duntaxat numeratis: quia nimirum in debitis juſtitiæ Legislator intendit æqualitatem rei ad rem, quæ hoc caſu non obtineretur. Conformiter ad quæ exiſtimandum eſt: poſſe pariter eodem tempore duplici legi ſatisfieri diverſis actibus, modo unus alterum non impediat, nec temporis diverſitas præcipiatur, uti communiter non præcipitur. Obligatus proinde ad Miſſam audiendam & Horas Canonicas recitandas, utrumque eodem tempore præſtare poteſt, quin in alterutram delinquat legem.

23 III. Circa modum obſervandæ legis hæc duo fere in quæſtionem vocantur: an, ut legi ſatisfiat, requiratur intentio faciendi id, quod præceptum eſt? aut etiam intentio faciendi propterea, quia præceptum eſt, ac proinde intentio legem obſervandi? De 1*mo* communiter DD. cum Suarezio conſentiunt, affirmativam ſecuti opinionem: cum enim lex feratur pro hominibus, modo utique humano eſt implenda, ita videlicet, ut ejus executio ſit actus humanus; quis autem eſſe talem in eo dixerit, qui opus aliquod poſuit, quin ponere illud intenderet? Itaque non ſatisfacit legi, qui e. g. die Feſto

Feſto Miſſæ Sacrificio intereſt ſui impos, prorſus violenter coactus, rei actæ neſcius &c. De *2do* communior eſt cum eod. Suarez negantium ſententia: quia ex mente Legislatoris lex præcipit liberam duntaxat operis executionem, non etiam peculiarem actum alium, quo ſubditus intendat legi ſatisfacere, & *formalem* obedientiam exercere. Quod ſi igitur aliquis neſciens, aut non advertens eſſe diem Feſtum, libere nihilominus Miſſam audiat, cenſendus eſt legi ſatisfeciſſe: ut adeo, ſi deinde diem Feſtum eſſe intelligat, ad Miſſam audiendam alteram non obligetur.

At major difficultas eſt de eo, qui, opus præſcriptum faciens, voluntate contraria poſitiva ſtatuit, nolle ſe per illud ex legis præſcripto agere. Verum & hunc ſatisfacere legi exiſtimant multi cum Suarez, Valentia, Lugo &c. Ratio illis eſt: quia lex obligat tantum ad operis injuncti ſubſtantiam; hac igitur poſita, non eſt in poteſtate operantis, ut legi non ſatisfaciat: tametſi in aliam delinquat legem, qua ſubjectionem Legislatori ut minimum ita tenetur præſtare, ut ei poſitiva voluntate refragari abſque piaculo non poſſit. Secundum hanc jam vero ſententiam ſatisfacit legi de audienda Miſſa, qui eam audit, licet actu hoc non velit ſatisfacere; idem eſt de Horarum Canonicarum recitatione cum contraria id genus voluntate conjuncta, ſimilibuſque aliis actibus præceptis.

§. III.

Quis ferre poſſit Legem? qui item ſubjiciantur Legibus?

Ex legum natura & effectibus, de quibus dictum hactenus, pronum eſt ſtatuere de poteſtate Legislativa, iiſque

 ſimul,

Digitized by Google

ſimul, qui illa ligari poſſunt. Quo utrumque attamen evadat planius, ſeorſim de Auctore Legis, de Legis item ſubjecto diſſerendum videtur.

De Auctore Legis.

QUamvis uti poteſtas omnis, ita lex quælibet a Deo, ceu ſummo omnium rerum auctore, primam ſuam ducat originem: ſunt & alii nihilominus immediati Legislatores, quos, cum in particulari de Legibus agendum fuerit, ſpeciatim deſignabimus. Nunc generatim duntaxat ſtatuendum habemus, qua conditione inſtructum eſſe oporteat eum, qui legem ferre poſſit? Pro quo ſit

ASSERTIO.

Legem condere non alius poteſt, quam Superior, nec tamen quilibet, verum is tantum, qui perfectæ Communitati præeſt.

24 DUas habet Aſſertio partes. Prima inde certa eſt: quod quævis lex natura ſua obliget illum, cui imponitur; quomodo autem obligare poſſit, ſi Legislator jure & poteſtate, quæ ſolius Superioris prærogativa eſt, deſtituatur? Idcirco nequit hominum quilibet alteri præcipere, nec æqualis obligare æqualem, ut ignotum eſt nemini: quia nimirum, defectu poteſtatis, non eſt ulla ratio, cur unus magis teneatur parere alteri, quam e converſo. Altera pars rurſum ex eadem legis natura deducitur: lex quippe præterea ferri debet Communitati, & quidem ad totius perfectæ Communitatis bonum procurandum; is igitur ſolum poteſt legem condere, cujus eſt ſuprema poteſtate Communitatem perfectam guber-

Digitized by Google

gubernare, ejuſque procurare bonum. Hoc eodem in præſenti utitur argumento Doct. Ang. hic qu. 90. Art. 3. in ☉ cum ait: *Lex proprie primo & principaliter reſpicit ordinem ad bonum commune; ordinare autem aliquid in bonum commune eſt vel totius multitudinis, vel alicujus gerentis vicem totius multitudinis. Et ideo condere Legem vel pertinet ad totam multitudinem, vel pertinet ad perſonam publicam, quæ totius multitudinis curam habet.*

Quo occurratur Objectis, quæ iſthic fieri poſſunt, duo 25
potiſſimum obſervanda cenſeo. *1mo*, nullus quidem eſt Superior, qui ſibi ſubjectos præcepto ac ſtatutis particularibus obſtringere nequeat; at non hoc ipſo illis etiam leges dictare poſſe exiſtimandus eſt. Nimirum uti legem inter ac præceptum ſua eſt diverſitas: ſic & Superiorum, quorum gradus ſunt varii, non eadem ſemper eſt poteſtas; niſi igitur Superior ea ſit præditus jurisdictionis poteſtate, qua perfectæ Communitati præſit, ferre non poteſt legem vero ac proprio ſenſu acceptam, quæ videlicet ad totam Communitatem directe, aut indirecte ſaltem pertineat, ſitque ex ſe ſtabilis ac permanens. Ita poteſt aliquid præcipere Pater filio, Dominus ſervo &c. non tamen legem ferre: contra poteſtas etiam legislativa competit Papæ in totam Eccleſiam, Epiſcopo in ſuam Diæceſim, Regi in ſuum Regnum &c. *2do*, ſi quæ ſtatuta Superioris, imperfectam Communitatem gubernantis, vim legis aliquando obtineant, iſtud non aliter evenit, quam quod vel vicaria Legislatoris poteſtate decreta ſint, aut certe expreſſo vel tacito conſenſu illius confirmata. Inde, qui Religioſorum Ordines imperfectis Communitatibus adnumerant, ſtatuta eorum non eo præciſe nomine leges dicunt, quod a ſupremo Ordinis Præſide emanaverint: verum idcirco, quod

Digitized by Google

vicaria Summi Pontificis auctoritate illa condiderit, vel quod a Pontifice confirmata ſint.

De Subjecto Legis.

Ut peculiarem Novatorum de Subjecto Legis controverſiam ſecernamus ab eo, quod iſthic communi Catholicorum perinde ac Sectariorum ſententia certum eſt, iſtud primum explanare libet: tum illa erit expendenda.

Certa omnium Sententia.

26 I. Neminem, niſi qui Legislatori ſit ſubditus, ejus legibus teneri certum eſt omnibus. Legis quippe eſt obligare: nemo autem ab alio niſi Superiore ſuo, cujus proinde jurisdictioni ſubjaceat, obligari poteſt. Inde eſt, quod infideles, ſeu non baptizatos, ſuis Eccleſia legibus nec liget, nec ligare poſſit; nam, ut Innocentius III. ait Cap. *Gaudemus*, de Divort. *conſtitutionibus Canonicis non arctantur, quid enim ad nos (ſecundum Apoſtolum 1. Cor. 5.) de his, qui foris ſunt, judicare?* Contra etiam infideles tenentur lege Baptiſmi, & aliis Evangelicis præceptis: quia hi quoque ſubjecti ſunt Deo, a quo pro omnibus Lex Evangelii eſt lata.

27 II. Nec tamen propterea exiſtimandum eſt, quemvis Legislatori ſubjectum qualibet ejus lege adſtringi. Certum eſt omnibus, ad id requiri præterea: ut ſubditus ſit rationis compos; utque ad eum nominatim ex mente Superioris lex dirigatur. Nimirum ſubjici nequit legi, qui præcepti & obedientiæ eſt incapax: uti certe incapaces ſunt, qui rationis uſu deſtituuntur. Lex adhæc totam obligandi vim ex mente Legislatoris obtinet: niſi igitur iſte omnes univerſim ſubditos lege

lege ſua comprehendi voluerit, nihil reliquum erit, unde omnes ejus obligatione adſtringantur; eos itaque ſolum lex ligat, pro quibus lata eſt, quoſque illa Legislator ligare intendit.

Ex quibus conficitur 1*mo:* infantes, amentes, ebrios, dormientes, alioſque id genus pro eo ſtatu, quo rationis ſunt impotes, vero ac proprio ſenſu nulla teneri lege. Non igitur etiam, inquies, lege Baptiſmi infantes? non lege Pœnitentiæ adultos amentes, qui ante amentiam lapſi ſunt? Ita plane, ſi legem proprie ſumas; aliud quippe eſt Baptiſmi & Pœnitentiæ remedium ad ſalutem eſſe illis neceſſarium: aliud illos hujus remedii lege proprie dicta obſtringi, ut legis natura ſatis indicat. Conficitur 2*do:* ſi Princeps ferat legem e. g. pro militibus, vel plebeis tantum, non obligari illa continuo artifices, nobiles &c. quamvis & hi ſubjiciantur Principi. Inde etiam Lex vetus divina, tametſi eſſet a Deo ſupremo omnium Domino, quoad præcepta tamen judicialia & cæremonialia Gentiles non adſtringebat: quia nimirum quoad hæc ſolis Judæis fuit impoſita juxta illud Deuter. 4. *quæ eſt alia gens tam inclita, quæ habeat cæremonias ac juſta judicia?* Quæ adverſum hæc a Legislatore, Clericis, & peregrinis argui poſſunt, opportunius Diſſ. IV. cum de Lege humana ſpeciatim agendum fuerit, explanabuntur.

Novatorum Controverſia.

I. Conſentiens fuit ſemper Orthodoxorum ſententia: per 28
Baptiſmum Eccleſiam ingreſſos Legi Chriſtianæ & Eccleſiæ ſubjici; cum ecce! uti alia, ſic & iſtud Lutherus & Calvinus (præclari illi ſcilicet Eccleſiæ & morum reformatores!) in controverſiam vertere attentarunt. Aſperam nimirum,

rum, quæ Chriſto teſte ad cælum ducit, exoſi viam, planiorem aliam ſibi ac ſuis ſternere adniſi ſunt. Quid igitur? omnes Baptiſmo initiatos & fidem Chriſti profeſſos, libertatis Evangelicæ prætextu, humanarum perinde ac divinarum legum vinculo exolvunt. Ac Lutherus quidem pro libertate hac pluribus locis aperte declamavit. *Nullo opere* (inquit L. de libert. Chriſtiana) *nulla lege Chriſtiano homini opus eſt, cum per fidem liber ſit ab omni lege;* & in argumento Epiſt. ad Galat. *ad novum hominem non pertinet lex.* Hæc generatim; ſpeciatim autem de lege divina in Comment. 2. Cap. ad Galat. hunc dialogum inſtituit: *ſi conſcientia dictat, peccaſti: reſponde, peccavi. Ergo Deus puniet & damnabit? non. At Lex Dei hoc dicit: ſed nihil mihi cum Lege. Quare? quia habeo libertatem.* Jam vero divina lege rejecta, quid niſi humana quoque rejicienda erat? & iſtud præſtitit L. de Capt. Babil. C. de Bapt. diſerte docens: *non poſſe Papam, aut ullum hominum unam ſyllabam ſtatuere, qua obligentur conſcientiæ baptizatorum.* His non abſimilia (tametſi quoad leges divinas aliquanto obſcurius) effutivit Calvinus L. 3. Inſtit. C. 29. §. 2. 4. & 7. in Antid. item Concilii ad Can. 7. & 8. de Juſtif.

29 II. Paulo durior interim vel ipſis eorum ſectatoribus ſtatim a principio viſa eſt hæc opinio; certe jam Kemnitius in Exam. Conc. Trid. ad Can. 7. & 8. de Juſtif. totus in eo erat, ut illam emolliret: aut verius, ut Magiſtri ſui errorem, qua poſſet, veri ſpecie contegeret. Kemnitii umbras captantes reliqui, (*quamvis timidius alii, alii liberius loquantur*, ut notat Bellarminus) ita fere ſe ſe explicant. Liberos quidem ajunt fideles ab obedientia legis tam divinæ quam humanæ, obſervato attamen inter utramque diſcrimine. Leges nimirum divinas non diffitentur obligare in conſcientia, ita ut violari abſque piaculo nequeant; hujuſmodi attamen prævaricationes

fide

fidelibus propter fidem eorum indulgeri, ſeu non imputari: hocque ipſum idem eſſe, ac ſi liberi forent ab earum legum obſervatione. Contra legibus humanis (ſive dein illæ Eccleſiaſticæ ſint, ſive Civiles) aperte profitentur baptizatos non obligari in conſcientia: niſi forte ratione ſcandali, aut contemptus, cum utrumque Lex divina prohibeat; ut adeo per illos legis humanæ tranſgreſſio, etiam ſtudioſa, non modo non imputetur ad peccatum, ſed neque omnino peccatum ſit ullum. Quæ omnia repetunt a Legis Evangelicæ prærogativa, invecta per eam libertate, & fidei ſolius ad ſalutem ſufficientia. Quibuscumque interim coloribus ſua ac Lutheri ſenſa pingant, non re, ſed ſpecie duntaxat ab Anteſignanis ſuis diſſentiunt; minime autem certe ab errore ſe expediunt, quem Concil. Tridentinum Seſſ. 6. de Juſtif. Can. 19. & 20. anathemati ſubjecit: quemque ipſum iſthic conſutandum ſuſcipimus.

ASSERTIO.

Fideles per Legem Evangelicam non ſunt exempti ab obligatione obſervandi Leges, ſeu divinas, ſeu humanas.

PArs I. de Legum divinarum obſervatione verbis Chriſti 30
apud Matthæum conficitur. Nimirum C. 7. ait Salvator: *non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine! intrabit in regnum cælorum; ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum.* Et C. 25. *ite maledicti in ignem æternum, - - eſurivi enim* (in proximo videlicet veſtro) *& non dediſtis mihi manducare* &c. Igitur, teſtimonio Chriſti, ut obtineatur cælum, utque evitetur damnatio, facienda eſt Patris voluntas: quid vero hæc niſi Lex divina? qua Deus,

Digitized by Google

charitatis in proximum officia præcipiens, vult eſurientes paſci, ſitientes potari &c. Ergo fides ſola ad ſalutem non eſt ſufficiens; ergo eadem fidelem non liberat ab obligatione Legis divinæ; ergo ejus tranſgreſſione incurritur peccatum, ad quod conſequitur damnatio. Ac profecto, niſi iſtud ita ſe habeat, quid erat? quod apud eumd. Evang. C. ult. Chriſtus, poteſtate illa ſumma, quæ data eſt illi in cælo & in terra, Apoſtolis præciperet: *euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos, - - docentes eos ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis.* Quorſum iſta, obſecro, omnia? Si obtinendæ ſaluti ſufficiat Baptiſmus cum fide, ad gentium ſalutem, ad quam procurandam Apoſtolos iſthic mittebat Chriſtus, ſicut ipſe a Patre miſſus eſt, utique ſatis erat gentes baptizari, & fidem edoceri: cur igitur, præter hæc, de ſervandis ſuis mandatis omnibus doctrinam vult annuntiari? nemo certe non videt, ſuperfluum iſtud futurum fuiſſe, ſi fidelibus ad ſalutem neceſſaria non eſſet Legum divinarum obſervatio.

31 Sed & rationem ſi conſulant Sectarii, manifeſto comperient, abſque gravi in Chriſtum injuria & impietate ſuſtineri non poſſe libertatem eam, quam prætexunt, Evangelicam. Etenim ſi Chriſtus, Legis Evangelicæ auctor, per hanc ipſam fideles a jugo mandatorum divinorum ita liberos eſſe voluit, ut tranſgreſſio illis non imputetur ad peccatum, proinde nec ad pœnam: quid niſi ſcelerum omnium impunitatem promiſit, hacque promiſſione ad omne flagitii genus viam aperuit? id quod nemo non dixerit eſſe impium & blaſphemum aſſerere, ſeu ſpectentur divinæ in Chriſto perfectiones: ſeu finis, propter quem homo factus eſt, nempe ut nobis eſſet non modo Redemptor, ſed & Magiſter morum ac perfectionis ejus, qua Pater cæleſtis perfectus eſt.

Pars

Digitized by Google

Pars II. de legibus humanis, iiſque tam Eccleſiaſticis quam Civilibus, non minus certo Scripturæ teſtimonio evincitur. 32

Ac pro legibus quidem Eccleſiaſticis hæc pugnant. Chriſtus Matth. 18. fratrem ſuum corrigere volenti ait: *dic Eccleſiæ; ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Et mox ibid. ad Apoſtolos: *quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo* &c. Rurſumque ad eosdem Luc. 10. *qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Ad Petrum vero & ejus ſucceſſores Joan. 21. *paſce oves meas, paſce agnos meos.* Denique Act. 20. Paulus advocatis ex Epheſo Presbyteris, *attendite vobis*, inquit, *& univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei.* His jam autem invicem collatis, quidni fateri cogantur Novatores: Eccleſiæ, ſupremo ejus Capiti, ac reliquis etiam Prælatis Eccleſiaſticis conceſſam eſſe a Deo poteſtatem regendi & gubernandi fideles. Si iſtud: ergo iisdem data eſt poteſtas condendi leges pro fidelibus; quod enim eſſe poſſit regimen ſine legibus? Quod ſi vero Eccleſia, ejuſque Prælati jus acceperint dictandi leges: parendi quoque illis obligatio eſt impoſita; ſecus fruſtraneæ erunt leges, ridicula Eccleſiæ poteſtas. Atque hanc omnino obligationem Chriſtus luculente indicat, cum in cit. locis ait: *qui vos ſpernit, me ſpernit;* item, *qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus.*

Pro legibus Civilibus argumentum ducitur ex Apoſtolo ad Rom. 13. dicente: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non eſt enim poteſtas niſi a Deo, quæ autem ſunt a Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem aquirunt.*

runt. - - *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* En! Apoſtoli ad fideles Romanos monitum, imo mandatum. Docet primum generatim omnem ſublimiorem poteſtatem eſſe a Deo. Vult fideles obſecundare hujus poteſtatis ordinationi; quæ quid eſt, niſi leges ab ea latæ, ejuſque præcepta? Ita autem vult obſecundare, ut reſiſtere illi nemo poſſit, quin reſiſtat Deo: quin damnationem ſibi aquirat: quin proinde peccato ſe obſtringat; propterea addit, ſubditos eſſe oportere *non ſolum propter iram*, ſeu metum pœnæ, *ſed etiam propter conſcientiam.* Intelligere ſe porro etiam poteſtatem ſecularem, ſatis indicat Apoſtolus; tum quod generatim loquatur de poteſtate ſublimiori, quæ ſit a Deo, qualis utique eſt poteſtas Principis aut Magiſtratus ſecularis: tum quia ibid. V. 6. & 7. tributi & vectigalis mentionem injicit, quorum impoſitio huic poteſtati eſt propria. Ex mente igitur Apoſtoli, non eximuntur fideles a legibus Civilibus; imo iis neceſſe habent obtemperare in conſcientia, ita ut tranſgreſſione incurrant damnationem, atque adeo etiam legum Civilium tranſgreſſio illis imputetur in peccatum. Quæ omnia potiori jure pugnant pro poteſtate & jurisdictione Eccleſiaſtica.

Reſpondetur Novatoribus.

33 UTi in erroribus aliis, ita in præſenti quoque ad Scripturæ patrocinium provocant Novatores. Nimirum patrocinari ſibi putant Apoſtoli verba ad Rom. 6. dicentis: *non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia;* item ad Gal. 2. *ſubintroierunt* (falſi fratres) *explorare libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto JESU, ut nos in ſervitutem redigerent;* demum ad Gal. 5. *nolite iterum jugo ſervitutis contineri, - - evacuati eſtis a Chriſto, qui in lege juſtificamini, - - vos enim in libertatem vocati eſtis.*

Digitized by Google

eſtis. Ex mente igitur Apoſtoli fideles, per Evangelium libertatem in Chriſto JESU conſecuti, nullo tenentur ſervitutis jugo, quale utique foret legibus ſubjici; non ſunt ergo ſub lege ulla: quin ſi per legis obedientiam exiſtiment ſe juſtificari poſſe, evacuantur a Chriſto.

Reſp. Si in laud. locis contextus conſulatur, ultro ſe prodit fucus, quo Sectarii ex mutilis Apoſtoli ſententiis errorem ſuum oblinunt. Certe toto cit. ad Rom. C. agit de lege carnis & peccati; propterea ibid. V. 12. monet: *non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus.* Ad Galatas autem C. 2. & 3. ſcribens, ſolum loquitur de Legis Moſaicæ ſervitute & circumciſionis jugo, ut Cap. utriuſque argumentum docet. Non aliud igitur vult iſthic Apoſtolus, quam ut fideles, qui per Evangelium Chriſti in libertatem filiorum Dei vocati ſunt, gravem peccati ſervitutem ſolicite devitent: neque a Lege Evangelii deſciſcentes legis veteris jugo ſervili ſe iterum ſubmittant. Adeo autem certe ab omni lege & ſervitute eos non liberat, ut potius ibid. ad Rom. V. 18. dicat: *liberati a peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ;* unde vero juſtitia niſi ex legis obſervatione? quando per eundem Apoſtolum *factores legis juſtificabuntur.* Rom. 2. V. 13.

Urgent I. Quamvis forte univerſim fideles omnes legum 34
vinculo non ſint exſoluti: at prærogativa hæc concedenda eſt ſaltem juſtis, utpote qui ducuntur ſpiritu; quam in rem Apoſtolum rurſus appellant. Quid enim (inquiunt) clarius illis 1. Timoth. 11. verbis: *Lex juſto non eſt poſita, ſed injuſtis;* & 2. Cor. 3. *ubi Spiritus Domini, ibi libertas.*

Reſp. Conformiter ad mentem Patrum, non pro juſtis, ſed injuſtis legem eſſe poſitam hoc ſenſu: quod lex, quatenus

nominatim includit vim cogendi & coercendi pœnis, ſit pro injuſtis, non vero juſtis; quia nimirum hos ſupervacaneum foret minis cogere, cum ipſi ultro currant viam mandatorum, & ſitiant ac eſuriant juſtitiam: ad quam ex adverſo injuſti & ſcelerati acrioribus ſtimulis ſunt compellendi. Verum ipſos PP. audire libet. Ambroſius L. 3. Offic. C. 5. *lex non juſto eſt poſita*, inquit, *ſed injuſto: quia juſtus habet legem mentis ſuæ, æquitatis, ac juſtitiæ normam; ideoque non timore pœnæ revocatur a culpa, ſed honeſtatis regula.* Et Anſelmus in 1. Cor. *juſto non eſt lex poſita, id eſt, impoſita, ut ſupra illum ſit: in illa enim potius eſt, quam ſub illa, quia non ſua vita vivit, cui coercendæ lex imponitur; injuſtus vero ſub illa eſt, quia ſua vita vivit, cui coercendæ lex imponitur.* At certe propterea Apoſtolus juſtum non eximit ab obligatione legis, ſine cujus obedientia conſervari nequit ſtatus juſtitiæ; nam *quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus*, ut ait D. Jacobus in ſua Ep. C. 2.

35 Urgent II. Ut ut ſit de Legibus divinis: perperam certe, ac contra libertatem Evangelicam aſſeritur humanis etiam ſubjici fideles. Numquid enim eos ab his pronuntiavit liberos Chriſtus Math. 17. cum, de Regum tributis agens, ad Petrum diceret: *ergo liberi ſunt filii*, hoc eſt, fideles, ut qui Deo per Baptiſmum renati ſunt. Idem jam antea apud Matth. C. 15. V. 9. dixerat: *ſine cauſa colunt me, docentes doctrinam & mandata hominum.* Conſonat his Apoſtolus 1. Cor. 7. *pretio empti eſtis*, inquit, *nolite fieri ſervi hominum;* & Coloſſ. 2. *ſi mortui eſtis cum Chriſto, - - quid adhuc tanquam in mundo viventes decernitis - - ſecundum præcepta & doctrinas hominum?* tum etiam Jacobus C. 2. *unus eſt Legislator & Judex, qui poteſt perdere & liberare.*

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. humanis quoque legibus teneri fideles, jam ſupra N. 32. Scripturæ teſtimonio comprobatum eſt. An igitur veritatem ſecum ipſa pugnare exiſtimabimus? minime: modo contextum attendant Sectarii, & verba S. Codicis invicem conferant, argutationibus ſuis omnibus nugas ſe agere, ſibique ipſis imponere advertent. Primo certe apud Matth. loco id unum Chriſtus ſignificari voluit: quod cum Reges terræ a filiis ſuis tributum non accipiant, ſe quoque, utpote naturalem Dei regum Regis filium, a tributo Regibus pendendo eſſe eximium. Altero autem loco redarguit ſolum in Phariſæis ſuperſtitioſam traditionum humanarum obſervationem, cum interim propter illas tranſgrederentur mandatum Dei. Quod jam autem hinc Novatoribus patrocinium? Sed & ex Apoſtoli verbis fruſtra illud repetunt: Corinthios hortatur, ne ſe hominibus ita mancipent, ut eis ſerviendo negligant obſequium Dei, & libertatem filiorum Dei amittant; Coloſſenſes autem, ut caveant impoſturas Philoſophorum, Legalia vetera inducere volentium, quo a Chriſti fide avertant. Adeo autem certe Apoſtolus non improbat obedientiam & ſervitutem hominibus præſtandam, ut potius ad Coloſſ. 3. V. 22. commendet: *Servi obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed in ſimplicitate cordis, timentes Deum* &c. Jacobus demum unum eſſe ait Deum Legislatorem ſummum: an vero propterea nullus alius, qui illi ſubordinatus ſit, & ab illo poteſtatem legislativam accipiat, eſſe poſſit? Nonne Matth. 23. dicitur: *unus eſt Pater veſter, qui in cælis eſt, - - Magiſter veſter unus eſt Chriſtus;* nec tamen propterea Apoſtolus dubitavit ſe dicere *Patrem* 1. Cor. 4. & *Magiſtrum gentium* 2. Timoth. 1.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

An, ut ſubditi obligentur Lege, requiratur ejus promulgatio?

NOmine promulgationis, de qua nunc diſceptandum erit, intelligitur Legis intimatio a Legislatore facta, eademque per modum imperii ad ſubditos practice directa. Ita autem de hac habet

Status Controverſiæ.

36 QUæritur: num, ut lex in *actu ſecundo* obliget, non ſatis ſit eam a Legislatore ferri, ſed requiratur præterea, ut ab eodem *immediate*, aut ſaltem *mediate* ſubditis ſigno aliquo ſufficienti intimetur? Conſulto dicitur *ſigno aliquo:* cum enim iſthic agamus de Legibus in communi, promulgationem quoque ſolum generatim ſumptam nunc in quæſtionem vocari volumus; unde peculiaris controverſia de Legum humanarum promulgatione, qualem nimirum illam nominatim eſſe oporteat? non prius, quam Diſſert. IV. reſolvenda erit.

Jam vero de quæſtione propoſita communis eſt cum D. Thoma & Suarezio Doctorum ſenſus, ſuam non poſſe obligationem conſtare legi ſine aliqua ejus promulgatione; ut adeo lis, quæ eorum nonnullos in partes ſcindit, huc fere recidat: an promulgatio eſſentiam legis *partialiter* conſtituat? an potius ſit tantum conditio eſſentiæ ſuperaddita, ac neceſſario ad id requiſita, ut lex *in actu ſecundo* obliget? Quod quidem litis metaphyſicæ genus, etſi uberem contentioni ſcholaſticæ ſufficiat materiam, ad rem nihilominus præſentem parum aut nihil prorſus adfert commodi: quando, quid

quid

Digitized by Google

quid horum aſſeras, perinde ſe habet ad legis obligationem, de qua una ſtatuere neceſſum eſt, quo ſua ſit legibus efficacia, & in commune bonum utilitas. Haud ægre igitur ferent pugnaces hi athletæ, ſi arenæ eorum conſulto nos ſubducamus, ſatis habituri per occaſionem inſinuaſſe pauca, e quibus de illorum palma arbitrari liceat, ſi forte noſtrum etiam requirant ſuffragium. Quod jam autem nobis volumus eſſe reliquum, eſt ſummum hujus controverſiæ caput, de quo ita pronuntiamus.

ASSERTIO.

Ut lex obliget in actu ſecundo, aliqua ejus promulgatio eſt neceſſaria.

Libet in hanc rem cumprimis uti Doctoris Ang. auctoritate 37
& ratiocinio. Ita autem ille hic qu. 99. Art. 4. *lex imponitur*, inquit, *per modum regulæ & menſuræ: regula autem & menſura imponitur per hoc, quod applicatur his, quæ regulantur & menſurantur; unde ad hoc, quod lex virtutem obligandi obtineat, oportet, quod applicetur hominibus, qui ſecundum eam regulari debent; talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipſa promulgatione: unde promulgatio ipſa neceſſaria eſt ad hoc, quod lex habeat ſuam virtutem.* Cum S. Doctore igitur pro Aſſertione in hunc modum argui poteſt: lex eſt quædam veluti regula, quæ promulgationis beneficio applicatur; atqui regula quælibet applicari debet, quo re ipſa ac *in actu ſecundo* regulet; legem proinde etiam promulgari neceſſe eſt, quo *in actu ſecundo* obligare poſſit. Ac revera, cum voluntas non poſſit ferri in incognitum, plane conſequens eſt, legem obligaturam ad aliquid impoſſibile, ſi citra pro-

mulgationem obliget, antequam videlicet hujus beneficio innoteſcat. Inde eſt, quod l. *Leges.* Cod. *de Legibus* dicatur: *Leges ſacratiſſimæ, quæ conſtringunt hominum vitas, intelligi ab hominibus debent.* Huc demum & illud facit, quod habetur C. *In iſtis* Diſt. 4. *leges inſtituuntur, cum promulgantur*; ex quo id ſaltem rite intuleris: ergo legis inſtitutio complete ſumpta, prout nimirum includit vim obligandi *in actu ſecundo*, haberi nequit ſine promulgatione.

38 Eſt vero in Aſſertione propoſita obſervandum: generatim duntaxat a nobis requiri *aliquam* promulgationem. Quamvis enim nulla lex obliget niſi promulgata, non eſt attamen neceſſe, leges omnes eadem prorſus ratione promulgari, & in ſubditorum notitiam pervenire. Ita lex æterna & naturalis ſufficienter promulgatur per lumen aliquod rationis menti humanæ a Deo impreſſum. Lex divina poſitiva non raro intimatur ſola revelatione interna, quod Prophetarum quorumdam exemplo novimus; aliquando per ſigna externa, uti factum eſt, cum Chriſtus legem ſuam doceret Apoſtolos; hæc ipſa ſigna aliquando cum ſolemni aliquo ritu conjunguntur, ut erant illa, quibus promulgata eſt lex Moſaica in monte Sina, & lex Evangelica in die Pentecoſtes. Sola humana lex id peculiare habet, quod vim obligandi completam obtinere non poſſit, niſi publico ac ſolemni aliquo ritu promulgetur. Diverſitatis porro hujus ratio inde repetenda eſt: quod Deus natura ſua ſit ſummus Princeps ac Dominus, quocunque igitur modo voluntas ejus homini innoteſcat, tenetur ei ceu ſuo Domino obſequi. Ex adverſo homo, Magiſtratum gerens, privata ſimul & publica eſt perſona; ut proinde lege ſua obliget, ita eam proponere debet, ut ex ipſo proponendi modo appareat, loqui illum ut perſonam publicam, non autem ut privatam: loqui item Communitati, & non mere privatis. Di-

Digitized by Google

Diluuntur Objecta.

OBjicitur I. Ut lex obligare deſinat, neceſſe non eſt legis abrogationem promulgari; quo igitur obliget eadem, neceſſaria non erit illius promulgatio. 39

Reſp. Tametſi ultro detur Aſſertum, illatio tamen ex eo facta nondum obtinet: univerſim quippe plura requiruntur ad rei exiſtentiam, quam ad ejus deſtructionem, ut obvia docent exempla. Cæterum Aſſertum quoque negandum cenſeo: neque enim fieri poteſt, ut lex antea obligans ceſſet obligare ſubditum, niſi eidem legis abrogatio legitime innoteſcat; id ipſum autem, quo notitia hæc aquiritur, eſt abrogationis promulgatio, cum hoc nomine non aliud quam intimationem intelligamus. Id verum eſt: non eodem ſemper ſolemni ritu promulgari oportere legis etiam humanæ revocationem, quo lex ipſa eſt promulganda, ut iſtud ex Diſſ. IV. patebit.

Inſtari poteſt I. Ad omnem ſaltem legem non videtur requiri promulgatio; citra hanc certe lex naturalis obligat: 40
divina etiam, quomodocunque innoteſcat: de humanæ autem legis promulgatione controvertitur, qualem nimirum illam eſſe oporteat? an non præterea divulgatio requiratur?

Reſp. Objectionem hanc a nobis jam occupatam eſſe N. 38. ex quo conſtat, nullam omnino legem, ne naturalem quidem aut divinam, obligare ſine promulgatione aliqua: quamvis non eadem pro omnibus legibus requiratur. Quod vero nominatim ad legem humanam attinet, omnibus pariter certa eſt aliqua quoad ſubſtantiam promulgationis neceſſitas: ut adeo ſolum controvertatur de promulgationis modo & circumſtantiis, de quo nos (ut jam innuimus) Diſſ. IV. oportunius

 ſen-

Digitized by Google

ſententiam feremus. Nunc notaſſe ſuffecerit duo 1*mo*, cum lex humana ſit publica regula Communitatis, indubium eſt, promulgationem ejus fieri debere ſigno aliquo Communitati accommodato, proinde externo, eoque publico & ſolemni, tali videlicet, ut lex moraliter innoteſcere poſſit omnibus ſubditis; unde tametſi non requiratur actualis divulgatio, ejus attamen moralis poſſibilitas eſt neceſſaria. 2*do*, neceſſarium non eſt omnibus immediate promulgari legem: nam (quod ex præmiſſa animadverſione cum D. Thoma hic qu. 9. Art. 4. ad 2. deducitur) *illi, coram quibus lex non promulgatur, obligantur ad legem obſervandam, in quantum ad eorum notitiam devenit per alios, vel devenire poteſt promulgatione facta.* Ex eadem ratione, tametſi promulgatio fiat ad præſentes tantum, attamen *promulgatio præſens* (ut cit. Art. ad 3. ait S. Doctor) *in futurum extenditur per firmitatem ſcripturæ, quæ quodammodo ſemper eam promulgat.* Idem eſt de quovis alio, quod in ordine ad hunc effectum ſcripturæ æquivaleat.

41 Inſtabis II. Fieri poteſt, ut facta etiam promulgatione lex non continuo obliget *in actu ſecundo;* fruſtra proinde aſſeritur, legem promulgationis beneficio obtinere vim obligandi completam. Evincitur autem Antec. prop. tum inde, quod juxta *Novel. 66.* leges Cæſareæ regulariter non obligent niſi duobus menſibus a promulgatione exactis; tum quod lex invincibiliter ignorata non obliget *in actu ſecundo*, poteſt autem lex etiam promulgata ſic ignorari ab aliquo privato, & quidem in ipſo promulgationis loco.

Reſp. Diſt. Ant. fieri poteſt, ut non obliget, idque *per ſe*, & ſpectata legis natura ac conditione N. *per accidens*, & ſpectatis aliis circumſtantiis C. Id igitur iſthic ſolum contendimus: attenta rei natura legem, in loco ſaltem promulgatio-

gatio-

Digitized by Google

gationis, continuo obligare *in actu ſecundo*, ut primum legitime promulgata eſt. Non negamus interim, aliquando etiam legis promulgatæ obligationem ad tempus ſuſpendi poſſe: uti evenit, ſi e. g. iſtud Legislator ipſe intendat, aut jure alio poſitivo declaretur, vel ex parte ſubditi deſideretur aliquid ad completam legis obligationem. Ita leges Cæſareæ non obligant ante bimeſtre a promulgationis die exactum: quia id in cit. *Novel.* diſerte declaratur. Similiter lex invincibiliter ignorata non obligat defectu conditionis ex parte ſubditi requiſitæ: neque enim haberi poteſt *in actu ſecundo* obligatio ſine ejusdem notitia, ut clarum eſt. Quia interim poſt promulgationem legitime factam forum externum præſumit in ſubdito notitiam legis, in hoc eodem foro regulariter non patrocinatur ignorantia, niſi illam ſubditus edoceat, unaque invincibilem fuiſſe comprobet.

Objicitur II. Si legis obligatio *in actu ſecundo* haberi nequeat ſine promulgatione, admittendum erit, eſſentiam legis ſaltem *partialiter* conſiſtere in promulgatione; atqui iſtud communiter negant Doctores, conditionis duntaxat inſtar promulgationem requirentes, ergo &c. Videtur autem Maj. prop. recte deduci ex ipſa Aſſertionis probatione. Etenim ibid. cit. Doctor Ang. promulgationem ait neceſſariam ad hoc, *quod lex virtutem obligandi obtineat;* at certe virtus obligandi ad legis eſſentiam pertinet. Urget item illud ex Gratiano ibid. relatum: *leges inſtituuntur, cum promulgantur;* quid enim eſt legem inſtitui, niſi conſtitui? 42

Reſp. I. Supra jam monui, parum referre, quid quid de metaphyſica hac controverſia ſentias; liberaliter proinde permitti poteſt quiſque in ſuo, ut volet, abundare ſenſu, modo nobiſcum promulgationis neceſſitatem tueatur. Quod ſi interim quis

quis importunius urgeat, ac nos quoque in partem contentionis hujus ſcholaſticæ vocet, ceu veriſimilius dicendum cenſeo: promulgationem non conſtituere legis eſſentiam, ſed conditionem duntaxat eſſe huic ſuperadditam, ac neceſſario requiſitam ad id, ut lex evadat proxime & *in actu ſecundo* obligans. Ratio ita ſentiendi petitur ex D. Thoma laud. N. 37. ubi legem comparat regulæ ac menſuræ: promulgationem autem applicationi illi, qua regula & menſura applicantur his, quæ regulantur & menſurantur; ergo ſicut applicatio regulæ & menſuræ ne partem quidem facit earum eſſentiæ, ſed eſt mera conditio ad actum regulandi & menſurandi requiſita: ita & promulgatio ex mente ejusdem Doctoris nullatenus conſtituit legis eſſentiam, verum conditionis inſtar ſolum requiritur ad obligationem *in actu ſecundo* inducendam. Quid quod res ipſa ſatis doceat, legem ſecundum ſe ſpectatam non aliud eſſe, quam ordinationem Superioris obligare volentis: certe autem id genus ordinatio jam ante promulgationem habetur, ita ut promulgatio ſolum applicet legem in ordine ad obligationis effectum virtute illius in ſubdito præſtandum; quis autem exiſtimet applicationem cauſæ eſſe ejusdem eſſentiam? Igitur lex, ut primum eſt lata a Superiore, continuo habet totam vim obligandi *in actu primo*, totam proinde ſimul eſſentiam antequam promulgetur; ut adeo legis quoad eſſentiam ſumptæ pars eſſe nequeat promulgatio: quamvis legem ut proxime & *in actu ſecundo* obligantem conſtituere dici poſſit. Hinc

Reſp. II. N. Maj. Nec urgent, quæ ex D. Thoma & Gratiano opponuntur. Prior certe id unum vult, quod a promulgatione lex virtutem *in actu ſecundo* obligandi obtineat: non autem etiam virtutem *in actu primo*, quæ ſola ad legis eſſentiam pertinet; quo ſenſu fuiſſe locutum Doctorem Angelicum ſatis apparet vel inde, quod ibid. exemplo regulæ & men-

Digitized by Google

menſuræ utatur. Conformiter ad hæc Gratianus quoque congrue exponitur, ſi dicas: leges per promulgationem inſtitui quoad vim obligandi *in actu ſecundo*; non autem quoad ipſam legis eſſentiam, ſeu vim obligandi *in actu primo*. At contra hæc

Arguet forte aliquis ex definitione legis: quæ juxta D. Thomam eſt *ordinatio rationis - - ab eo, qui curam Communitatis habet, promulgata*; juxta *JCtos* autem *Principis ſubditos obligare volentis ad eosdem locutio*, quæ non poteſt fieri abſque ſigno aliquo voluntatem Legislatoris manifeſtante, atque adeo promulgatione; ergo promulgatio ingreditur legis definitionem, proinde & eſſentiam. 43

Reſp. utraque hac definitione agi de lege ut *in actu ſecundo* obligante, cum ſub hac potiſſimum ratione a Theologis propter forum internum, propter externum autem ab *JCtis* ad examen revocetur; hinc admiſſo Ant. diſtinctione explicanda eſt Illatio: promulgatio ingreditur definitionem & eſſentiam legis ut *in actu ſecundo* obligantis C. legis ſecundum ſe tantum acceptæ, ſeu ut eſt *in actu primo* obligans N. utriuſque rationem ex præmiſſis facile colligas. Neque hinc licet inferre: ergo lex ſaltem humana in aliquo caſu poteſt *in actu ſecundo* obligare ante promulgationem; idque propterea, quod ante hanc ex dictis ſua jam ſit legi eſſentia & virtus obligandi, eadem vero ante ſolemnem promulgationem poteſt privatim ſubdito innoteſcere, atque adeo applicari, quod ſatis eſt ad ſubditum *in actu ſecundo* obligandum. Etenim, ut lex hunc obligationis effectum obtineat, non ſatis eſt eam quomodocunque ſubdito applicari: verum applicanda eſt legitime, applicatione videlicet legi accommodata, qualis quoad leges humanas eſt ſolemnis tantum & publica promulgatio, ut jam ſupra commemoravimus.

§. V.

§. V.

An, & quomodo Lex, ejuſque obligatio poſſit deſinere?

CUm lex natura ſua ſit ſtabilis ac perpetua, videtur, ſemel latam nunquam poſſe deſinere, nec obligationem ex ea promanantem ceſſare unquam poſſe. Sed enim, ſi de lege generatim ſumpta inſtituatur quæſtio, ut in præſenti a nobis inſtituitur, contra exiſtimandum eſt; quin dubitari nequit, plures etiam modos ſuppetere, quibus lex aut abrogetur penitus, aut ſaltem *in actu ſecundo* obligare ceſſet. Utrumque nunc paucis explanandum habemus.

ASSERTIO.

Lex, ejuſque obligatio poteſt deſinere: & quidem pluribus modis.

44 NOn id Aſſertione hac volumus, quaſi quælibet omnino lex poſſit deficere; certum quippe eſt legum aliquas eſſe penitus immutabiles: eas etiam, quæ aliquando obligare deſinunt, non eadem ſemper ratione vim *in actu ſecundo* obligandi amittere. Illud igitur ſolum hic contendimus, legem etiam proprie talem, ſi generatim duntaxat ſpectetur, poſſe quandoque abrogari: aut, tametſi in ſe perſeveret, in aliquo caſu ſubditum non obligare. Quam in rem quidni a facto legitimo rite arguam? Lex nimirum Moſaica quoad cæremonialia penitus abrogata eſt: idem multis humanis legibus eveniſſe novimus; quin ab earum obſervantia ſubditorum aliquos nonnunquam diſpenſationis aut privilegii beneficio eximi, ſatis compertum eſt: utrumque igitur fieri poteſt ſalva legis proprie

Digitized by Google

prie talis natura. Neque pugnare iſtud cum legis perpetuitate, facile colliges, ſi modo advertas, quo ſenſu perpetuitatis prærogativa legibus conveniat, de quo a nobis jam dictum N. 6. & 7.

Perinde certa eſt pars Aſſerti altera: pluribus videlicet 45
modis utrumque contingere. Sic enim veteris Teſtamenti Leges cæremoniales omnino deſierunt ceſſante earum fine. Leges humanæ non raro abrogantur per revocationem Principis, vel contrariam conſuetudinem. Eædem, licet etiamnum perdurent, non obligant tamen *in actu ſecundo* ſubditos legis ignaros, aut diſpenſationis gratia communitos &c. Non deſunt ergo complura, quorum ſubſidio lex aut abrogetur penitus: aut ſaltem pro caſu aliquo obligare deſinat. Id proinde ſolum habemus reliquum, ut, quæ nominatim ſint hæc ſubſidia, commemoremus.

De Modis, quibus Lex, aut ejus obligatio deſinit.

SPectata rei natura, ſimulque Juris tam Canonici quam Civilis conſtitutione, quinque præcipui cenſentur eſſe id genus modi, nimirum: ceſſatio finis a Legislatore intenti, ab eodem facta legis revocatio, diſpenſatio in lege, privilegium contra legem, legis demum interpretatio. Quid jam horum nomine veniat, quidque eadem generatim adverſus legem poſſint efficere, nunc ex communi Doctorum ſenſu referendum eſt.

Ceſſatio finis a Legislatore intenti.

PEr finem hic intelligitur tota & integra ratio illa, propter 46
quam lex lata eſt: proinde legis *adæquatus* & *intrinſecus* finis

finis reſpectu Communitatis, qui eſt commune bonum. Atque de hoc fine conſentiens eſt Juriſperitorum ſententia: ceſſante illo, ipſo facto legem quoque ceſſare; ex quo capite veteris Teſtamenti Leges cæremoniales penitus deſiiſſe ſupra meminimus. Nimirum lex non exiſtit, niſi quamdiu Legislator vult illam exiſtere; at certe tota & integra cauſa, propter quam lata eſt, ceſſante, non vult illam exiſtere, ut clarum eſt, ergo &c. Quid quod ad legis eſſentiam pertineat, ut pro fine habeat bonum commune; hoc igitur ceſſante, deeſt aliquid legi eſſentiale: tum vero legem ipſam penitus deſinere neceſſe eſt. Unde ex adverſo obſervant Doctores: ſi finis tantum *partialis* ceſſet, hoc eſt, ad unum vel alterum legis articulum pertinens, non hoc ipſo totam legem deſinere, ſed ex parte ſolum, quoad illum videlicet articulum; quia (ut habetur C. 37. de R. I. in 6.) *utile per inutile non debet vitiari.*

Revocatio Legis.

47 I. LEgem abrogari, ac penitus deſinere, ſi eam Legislator revocet, certum eſt omnibus, reſque ipſa docet. Etenim lex eſt *ordinatio Superioris volentis obligare;* perinde igitur ac prima legis exiſtentia, perſeverantia quoque ejusdem pendet a libera Legislatoris voluntate: atqui, ſi legem prius latam revocet, ceſſat in eo voluntas obligandi; per eamdem ergo revocationem ceſſat lex ipſa perſeverare, atque adeo eſſe deſinit. Quod autem de Legislatore dictum, idem intellige de ejus Succeſſore, qui ſit paris cum eo poteſtatis: potiori vero jure de illo, qui utroque eſt ſuperior. Porro revocatio hæc, tametſi abſque juſta & rationabili cauſa fiat, valet nihilominus ad legem abrogandam; cum enim legis exiſtentia integre pendeat a libera Legislatoris voluntate, ſicut prin-

Digitized by Google

principio illam pro arbitrio poterat penitus non ferre, ita latam quoque pro arbitrio poteſt abrogare. Peccat attamen, ſi id abſque juſta cauſa faciat; abrogatione enim hujuſmodi bono communi, quod procurare tenetur, male conſulit.

II. Nec dubium eſt, revocationem hanc fieri poſſe non 48
modo per expreſſam Legislatoris declarationem, qua legitime ſignificet Legem abrogari: verum etiam per Legem aliam ab eo latam, quæ priori ſit contraria. Quamvis autem in id genus lege communiter adjiciatur clauſula derogans, e. g. *non obſtante quavis Conſtitutione alia* &c. omiſſa nihilominus etiam illa, cenſetur lex prior revocari, ſi poſterior ſit ei contraria, idque juxta tritam Juris regulam: *poſteriora derogant prioribus.* Duo attamen hic ex communi Juriſperitorum ſenſu obſervanda occurrunt. 1*mo*, ſi lex contraria deſtituatur expreſſa derogante clauſula, quoad fieri poteſt, reſtringi debet: quia legis abrogatio communiter eſt odioſa; eo proinde caſu, ſi verborum ſenſus & ſubjecta materia admittant, conciliandæ ſunt potius leges, earumque concordia abrogationi præferenda. 2*do*, leges ſpeciales non abrogantur per poſteriores generales, niſi in his priorum expreſſa fiat mentio: quia ex Juris præſumptione Princeps cenſetur ignorare legem ſpecialem, cujus expreſſis verbis non meminit; cum igitur voluntas non feratur in incognitum, recte præſumi poteſt hoc caſu non voluiſſe Principem derogare quidquam legi ſpeciali.

III. Eadem revocatio fieri poteſt per tacitum etiam Le- 49
gislatoris conſenſum, uti iſtud evenit, cum lex per legitimam conſuetudinem contrariam abrogatur. Eſt autem conſuetudo generatim ſumpta, *Jus non ſcriptum, diuturnis populi moribus, & cum aliquo Legislatoris conſenſu, introductum.* E variis e us ſpeciebus ſola *Conſuetudo contra Legem* ad rem noſtram facit:

per hanc quippe, ſi legitima ſit, lex antea exiſtens abrogatur, cum & ipſa vim legis obtineat, ut conſtat ex C. fin. de Conſuetud. item l. 32. ff. de Legibus, & l. fin. Cod. quæ ſit longa conſuet.

Porro ut id genus conſuetudo ſit legitima, vimque abrogandæ legis obtineat, hæc tria potiſſimum requiruntur. 1*mo*, introduci debet *moribus diuturnis populi:* proinde per actus plures uniformiter, ac debito tempore, ſimulque ſine interruptione exercitos a Communitate tota, vel ſaltem potiore ejus parte, iis videlicet, ad quos cumprimis pertinet res, circa quam dantur actus frequentati. 2*do*, accedere oportet *tacitum Legislatoris conſenſum:* ſecus enim conſuetudo rationem legis habere non poſſet, cum univerſim lex omnis pendeat a legislativa poteſtate. Jam vero tacitus hic conſenſus eſſe poteſt vel *perſonalis*, vel *legalis.* Perſonalis eſt, cum Legislator contrariis populi moribus non adverſatur, tametſi eos non ignoret: hoc ipſo enim tacite in eos conſentire cenſetur. Legalis fundatur in jure, omnem conſuetudinem legitime præſcriptam generaliter approbante in ſupra cit. locis; unde, ſi Legislator expreſſe non contradicat, tacite & ipſe conſenſu legali eam approbare præſumitur. 3*tio*, conſuetudinem hanc oportet eſſe *ſaltem negative rationabilem:* talem proinde, quæ non adverſetur Juri naturali vel divino, non pariat morum corruptelam &c. Non requiri autem, ut ſit *poſitive rationabilis*, colligitur ex locis jam laudatis, & C. 2. de Conſuetud. in 6. tum etiam ab exemplo Legis ſcriptæ, quam ſufficit eſſe *negative rationabilem:* quæ enim ratio eſt poſitiva, quod Lex e. g. de Teſtamentis ad eorum valorem præſcribat nominatim ſeptem teſtes? cur non ſex tantum, aut plures numero ſeptenario? Quanquam vix fieri poſſit, ut conſuetudo ad leges exacta non ſit ſimul *poſitive rationabilis* vel ideo, quod per illam diminuatur legum copia, ſubditi regantur ſuavius &c.

Diſpen-

Digitized by Google

Diſpenſatio in Lege.

I. Diſpenſatio eſt *remiſſio, ſeu relaxatio Legis in aliquo caſu, aut perſonis particularibus;* non conceditur proinde in perpetuum, ſed certo tempore definitur, lege etiamnum quoad alios in ſuo robore permanente. Ex quo colligas: Diſpenſationis effectum non alium eſſe, quam quod per illam *in perſonis vel in caſibus, in quibus Lex deficit, licentia tribuatur, ut præceptum Legis non ſervetur*, ut ait D. Thom. 1. 2. qu. 97. Art. 4. Poſſe jam vero diſpenſari in lege aliqua, ſaltem humana, certum eſt: leges quippe (ut cit. loco ratiocinatur Doctor Ang.) latæ ſunt, ut proficiant, non ut noceant; cum interim ex adverſo evenire poteſt, ac non raro evenit, ut in quibusdam circumſtantiis lex humana evadat noxia; cur igitur eo caſu relaxari non poſſit, imo non debeat? Unde diſpenſatio, ex communi Doctorum ſenſu, non eſt mera gratia, quam Superior pro arbitrio concedere aut negare poſſit: ſed potius levamen neceſſarium, quod ex officio impendere tenetur indigentibus. Quam in rem faciunt verba Summi Pontificis apud Gratianum Cau. 1. qu. 7. Can. 6. ubi, *Neceſſaria*, inquit, *rerum diſpenſatione conſtringimur, Apoſtolicæ ſedis moderamine convenimur, ſic paternorum Canonum decreta liberare, - - ut, quæ præſentium neceſſitas temporum reſtaurandis Eccleſiis relaxanda depoſcit, adhibita diligenti conſideratione (quantum poteſt fieri) temperemus.* 50

II. Quod autem ad diſpenſandi poteſtatem attinet, indubium eſt competere eam Legislatori, cum lex ipſa tota ex ejus voluntate pendeat; idem eſt de Succeſſore, qui pari juriſdictione ſit præditus. Pari inquam: nam Inferior in lege Superioris diſpenſare non poteſt, niſi id ei vel jure, vel conſuetudine, vel delegatione concedatur, ut conſtat ex C. 15. 51

Digitized by Google

de Temp. Ord. & Clement. 2. de Elect. eſtque ratio clara: quia ipſe Inferior lege Superioris obſtringitur.

Cæterum neque Superioribus ipſis integrum eſt pro lubitu poteſtatem hanc exercere: diſpenſationes quippe ſunt quædam velut *Legum vulnera*, & *diſciplinæ plaga*; cautela igitur opus magna, nec frequenter adeo, nec ſine juſta ratione diſpenſandum eſt, ut monet Trident. Seſſ. 25. de Reform. C. 18. Quid enim eſt (ut ibid. notatur) *frequentius Legem ſolvere, exemploque potius, quam certo perſonarum rerumque delectu petentibus indulgere, quam unicuique ad leges tranſgrediendas aditum aperire?* cum interim Superiores ex officio legum cuſtodes & defenſores, non prævaricatores, eſſe oporteat. Digna hic relatu ſunt D. Bernardi L. 3. de Conſiderat. C. 4. verba, quibus Eugenium S. P. ita alloquitur: *Quid ergo, prohibeo diſpenſare? non ſum tam rudis, ut ignorem poſitos vos Diſpenſatores: ſed in ædificationem, non deſtructionem. Denique quæritur inter Diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur. Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt; ubi utilitas provocat, diſpenſatio eſt laudabilis: utilitas (dico) communis, non propria. Nam cum nihil horum eſt, non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.*

Atque hinc eſt, quod Theologi communiter cenſeant, diſpenſare ſine cauſa eſſe natura ſua (niſi materiæ levitas excuſet) peccatum mortale: cum hoc poteſtatis abuſu multis præbeatur peccandi occaſio, atque adeo agatur contra bonum commune, quod ex juſtitia procurare Superiori incumbit. Quamvis interim ejuſmodi diſpenſatio ſit illicita, valida eſt nihilominus: quia lex poſitiva non habet vim obligandi niſi ex Legislatoris voluntate, hæc autem eſſe deſinit pro caſu diſpenſationis ab eo conceſſæ. Secus attamen ſentiendum eſt, ſi Inſe-

Inferior diſpenſet ſine cauſa in lege Superioris: nam (juxta C. 22. de Reſcript. & l. 5. ff. Mandati) qui poteſtatis ſuæ tranſgreditur limites, agit invalide; at certe dubitari nequit, Inferiorem ſine cauſa rationabili diſpenſantem tranſgredi limites poteſtatis, ut quæ ei a Superiore conceſſa eſt non ad temere, ſed ad prudenter & ſecundum juris regulas diſpenſandum. Nimirum, cum Jura non præſumant peccatum, præſumi pariter non poteſt eam a Superiore delegatam eſſe Inferiori poteſtatem, quam ſine peccato concedere non poterat: quamque nec Inferior exercere poteſt abſque boni communis diſpendio, atque adeo ſine peccato.

III. His de poteſtate diſpenſandi, quæ Superioribus eſt 52
propria, explicatis haud inutiliter adjecerimus aliqua de ſubdito diſpenſationem petente. Ac huic quidem primum non licere abſque cauſa diſpenſationem petere, ex jam dictis ultro conſequitur: quid enim iſtud foret aliud, quam Superiorem velle inducere ad peccatum? Fatendum nihilominus: ſi vel illicita hac petitione contingat obtineri diſpenſationem validam, valide ea uſurum ſubditum, actumque contra legem poſitum non amplius fore irritum. Nec tamen idcirco ſimul licitum diſpenſationis hujus uſum dixeris. Quamvis enim hoc caſu ſolvatur humanæ legis vinculum: ſupereſt attamen obligatio legis naturalis, ſecundum quam privatæ perſonæ conformare ſe debent Communitati ita, ut in communium onerum partem veniant, neque ab illis ſine juſta cauſa ſe poſſint eximere; quod ſi ſecus faciant, præbetur aliis ſcandalum, aperitur via ad licentiam, in Rempublicam invehitur perturbatio &c.

At quid, inquies, cenſendum de diſpenſatione *obreptitie* aut *ſubreptitie* a ſubdito obtenta? dicitur autem obrepere, qui in

Digitized by Google

in petitione narrat falſa: ſubrepere vero, qui reticet aliquid, quod ex juris præſcripto exponendum erat. Ad quæſtionem hanc reſponſum ſuggerit C. *ſuper literis*, de Reſcript. ubi ex Decreto Innocentii III. hæc declarantur. *1mo*, diſpenſatio eſt irrita, nihilque profutura petenti, ſi mala fide falſum retulerit, aut verum reticuerit; nam (ut loquuntur Jura) *fraus & dolus nemini patrocinantur.* *2do*, ſi obreptio vel ſubreptio contingat bona fide, obſervandum eſt: num Superior cognita cauſa diſpenſationis gratiam fuiſſet impenſurus, an negaturus? ſi primum, rata eſt diſpenſatio: ſi ſecundum, nulla: in dubio, ſtandum eſt judicio delegati, cui incumbit diſpenſationis obtentæ negotium recognoſcere. Addendum attamen ex Platelio & illud: dum Superior in literis diſpenſationis apponit *motu proprio*, juxta Sanch. & Bonac. valet diſpenſatio, quamvis celetur veritas a jure requiſita; tum enim per verba *motu proprio* ſignificat habere ſe voluntatem diſpenſandi abſolutam, nulla ratione habita cauſæ in Libello prætenſæ.

Privilegium contra Legem.

53 I. PRivilegium, quod Cicero vocat *legem privatam*, quodque inde multi nuncupatum putant, eſt *permanens conceſſio a Superiore facta contra, vel præter Jus commune;* unde vel ideo differt a diſpenſatione, quod hæc non ſit neceſſario permanens, imo ſæpe unico actu definiatur, ut cum e. g. diſpenſatur in impedimento Matrimonii. Præter alias Privilegii ſpecies, uti eſt *motu proprio*, vel *ad inſtantiam* conceſſum: item *clauſum in Corpore Juris*, vel extra hoc *ſpecialiter* datum &c. dividitur in *reale*, quod conceditur officio vel loco; *perſonale*, quod nominatim alicui perſonæ confertur; *odioſum*, quando eſt cum aliorum incommodo, ut cum quis eximitur a communibus tributis, unde alios gravari opor-

Digitized by Google

oportet; *favorabile*, quod nemini incommodat; *præter jus*, aut ex adverſo *contra jus & legem:* quæ poſtrema Privilegii ſpecies ad rem noſtram cumprimis pertinet.

II. Vel ex definitione autem Privilegii, poteſtate item Legislativa, ac demum ex compluribus Privilegiis contra legem humanam jam conceſſis certum eſt, poſſe dari a Superiore privilegium, quo ſubditus juſta ex cauſa permanenter eximatur a legis alicujus obſervantia. Quam in rem ea hic quoque in memoriam revocanda ſunt, quæ paulo ante de diſpenſationis conceſſione adnotavimus. Cæterum, quamvis privilegium ex ſe ſit permanens, pluribus attamen modis amitti poteſt: videlicet *interitu ſubjecti* C. 25. de Verb. Signific. & C. 7. de R. J. in 6. item *ceſſante privilegii fine* C. 60. de Appellation. *renuntiatione libera privilegiati*, vel *revocatione concedentis* aut etiam ejus in jurisdictione ſucceſſoris, ut conſtat ex C. 12. de For. compet. & C. 1. de Conſtit. in 6. 54

Interpretatio Legis.

I. DUplex interpretationis genus diſtinguunt Juriſperiti. 55 Minus propriam dicunt illam, quæ eſt mera legis explicatio; hæc tum fit, dum verba legis obſcura planiore ſenſu exponuntur: aut cum ob paritatem rationis lex extenditur ad caſus, vel perſonas a Legislatore non expreſſas. Proprie dicta interpretatio, præter explicationem, continet etiam legis correctionem pro eo caſu, in quo Lex deficere judicatur. Atque hæc interpretatio communiter ἐπιείκεια (Latinis *æquitas*) vocatur propterea, quod ſpectata æquitate prudens judicium formetur, mentem Legislatoris non fuiſſe pro his nominatim circumſtantiis obligare, etſi lex attento verborum ſenſu generatim

Digitized by Google

ratim lata videatur. Unde ſimul colligas, proprium *epijkiæ* effectum eſſe, non legem ipſam, ſed ejus duntaxat *in actu ſecundo* obligationem pro aliquo caſu tollere.

56 II. Utrique porro huic interpretationis ſpeciei legem ſubjacere, indubium eſt. Certè quod attinet ad primam: conſtat Chriſtum ea uſum, dum Matth. 5. legem naturalem explicaret; idemque facit Eccleſia, cum dubia de legis naturalis & poſitivæ ſenſu enata dirimit: nihil ut dicam de poteſtate Politica, cujus eſt leges Civiles explicare. Sed & proprie talis interpretatio, ſeu *epijkia*, tametſi non in omnibus, in aliquibus attamen, ac præſertim humanis Legibus locum habet; hinc illa Juris pronuntiata: *placuit in omnibus præcipuam eſſe juſtitiæ, æquitatiſque, quam ſtricti Juris rationem* l. 8. Cod. de Judic. & rurſum: *in omnibus quidem, maxime tamen in Jure, æquitas ſpectanda eſt* l. 90. ff. de R. J. Exemplum ſit in Lege univerſaliter prohibente egreſſum Monialibus extra ſepta monaſterii: hæc certe omnium judicio per *epijkiam* corrigitur pro caſu incendii, hoſtilis incurſionis &c. ita ut pro hujuſmodi eventibus prudenter cenſeatur Legislator obligare noluiſſe.

57 III. His jam vero extra dubitationem poſitis, illud ſolum controverti poteſt: num promiſcue cuilibet ſit integrum uti interpretatione, præſertim ea, quæ a legis obſervantia ſubditum abſolvit? Ac ego quidem iſthic probe diſtinguendum cenſeo. Etenim ſi, ſpectata rei natura & circumſtantiis, certum ac evidens ſit, ex mente Legislatoris ad hunc caſum non extendi legem, plane liberum eſſe videtur cuivis eam interpretari: cur enim de Legislatoris voluntate, quæ manifeſta eſt, anxie inquiras, &, quæ neſcio, appelles tribunalia? Quod ſi autem iſtud ſit incertum ac dubium, tum recur-

Digitized by Google

currendum eſt vel ad auctoritatem Magiſtratus publicam; cujus interpretatio dicitur *authentica;* vel (ſi hæc conſuli nequeat) ad Doctorum ſenſa, ſeu interpretationem *doctrinalem.* Si neque iſtud fieri poſſit: attendenda eſt conſuetudo, quæ per ipſum Jus cenſetur eſſe *legitima legum Magiſtra & interpres*, diciturque interpretatio *uſualis.* Hac quoque demum deficiente, licitum eſt privato cuilibet legem dubiam interpretari: modo id conſiderate præſtet, ac ſingula ad rectam rationem & æquitatis normam exigat. Subſidio in hanc rem eſſe poſſunt trita illa Juris axiomata. *Odia reſtringi, favores convenit ampliari. Qui potuit clare dicere, & non dixit, contra illum interpretatio eſt facienda. Non debet intentio verbis deſervire, ſed verba intentioni. In dubio melior eſt conditio poſſidentis* &c.

Atque hæc de modis, quibus lex aut penitus exiſtere deſinit, aut ſaltem *in actu ſecundo* obligare ceſſat, generatim dixiſſe nunc quidem ad propoſitum noſtrum ſuffecerit; quin eadem, univerſalis inſtar principii, haud parum conferent ad faciliorem eorum notitiam, quæ Juris utriuſque Commentatores de hoc argumento copioſe pertractant. Cæterum nos ipſi peculiares quaſdam ejuſdem argumenti controverſias, quæ de Legibus in particulari moveri ſolent, ſeqq. Diſſertationibus ſpeciatim diſcutiemus.

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

DE LEGE NATURALI.

§. I.

Quid Legis Naturalis nomine veniat? an detur? & quo auctore exiſtat?

LEges quaſvis temporales ſuam ab æterna Dei lege originem ducere, ejuſque velut participationem eſſe, jam alias meminimus. Has vero inter prima, quæ nobis æternam illam annuntiat, eſt Lex naturalis: quid quid enim præterea legum eſt, quas Poſitivas dicimus, ad hanc conſequi nemo ignorat. Inde, poſt Legem in genere explanatam, diſceptaturi de Legibus in particulari plane convenienter ad rerum ordinem a Lege Naturali initium facimus. Neque argumentum hoc a Theologia alienum quiſquam exiſtimaverit. Eſt quippe lex naturalis æternæ Dei legis ad nos nuncia; nec tantum eſt cum ratione naturali nobis inſita, ſed & a Deo per tabulas Decalogi & Chriſti Evangelium confirmata, ac diſtinctius expoſita; eadem in hoc elevationis ſtatu non jam ad finem duntaxat naturalem, verum ad ipſam ſupernaturalem quoque beatitudinem homini facem præfert; quidni autem tot nominibus ad Theologiam jure optimo pertineat? Quin, cum ſacræ hujus Scientiæ ſit mores hominum formare, vel ideo accuratius etiam de lege naturali tractandum eſt Theologo, quod, hoc præſertim ævo, complures Pſeudo-politici Juris Naturæ ſtudium pernicioſis erroribus ſuis contaminaverint, ut ſunt: *legem naturalem eſſe ipſum hominis appetitum & inclinationem; jure naturæ licitum eſſe, quid quid facit ad* cor-

Digitized by Google

corporis incolumitatem, & vitam conſervandam; a juris naturalis prudentia reſcindi oportere hominis erga Deum officia &c. Hos, ac id genus alios errores, e Pſeudo-politicorum & Proteſtantium Commentariis excerptos, omnium (quod ſciam) copioſiſſime refert ac refellit Ignatius Schwarz e S. J. in ſuis *de Jure Nat. & Gent. Inſtitutionibus*, ubi ſtatuta ab illis de Jure Naturæ principia ad criſim revocat. Ac nobis quidem tametſi nec propoſitum ſit, nec vacet idem minutim præſtare; dabimus nihilominus ea, quæ & ad recte ſentiendum de lege naturali, & pernicioſos Pſeudo-politicorum errores convellendos ſufficiant. Hocque jam conſilio in ipſo Diſſertationis aditu libet ſtatuere generalia Legis Naturalis ex vero cognoſcendæ principia: tum ea, quæ ad reſolvendam quæſtionem propoſitam faciunt, ſpeciatim exequemur.

Generalia Legis Naturalis cognoſcendæ Principia.

I. F*Inis ultimus hominis, ſpectata etiam ſola naturali ejus conditione, eſt ſolus Deus.* Quo certa obtineatur Legis naturalis cognitio, fundamenti inſtar ſtatui debet: quis hominis ſit finis ultimus naturalis? Hunc vero eſſe ſolum Deum, ex triplici capite (ut alia omittam) ita arguo. Nimirum 58

1mo. Univerſim cauſa, quo perfectior eſt, hoc nobiliorem operi ſuo finem præſtituit: cum igitur Deus, etiam ut naturæ auctor, cauſa omnium ſit perfectiſſima, non poterat univerſo huic a ſe condito non præfigere finem nobiliſſimum; quis vero nobilior ipſo Deo? ſe ipſum ergo præfixit: ſe voluit rebus omnibus eſſe in finem ultimum. Quin cum Deus ſit ſummum bonum, ſimulque ſumma Sapientia, neceſſario ſe

 amat

amat non tantum in ſemetipſo, ſed & in omni ſuo opere; rurſum igitur vel hoc nomine creata omnia ad ſe ultimo retulit, utque Prov. 16. habetur, *univerſa propter ſemet ipſum operatus eſt Dominus*. Si univerſa: ergo & hominem; ergo hominis etiam, tametſi eum in ſtatu naturæ colloces, finis ultimus eſt Deus.

2*do*. Cum Deus creata omnia ad ſe ipſum eatenus referat, quatenus per illa vult manifeſtari perfectiones ſuas, ac proinde obtinere *gloriam extrinſecam;* cumque ad id præ aliis aptius ſit inſtrumentum homo: ut qui, quo amplius cæteras res creatas dotibus naturalibus antecellit, hoc magis gloriam & perfectionem Conditoris ſui commendat; alienum plane futurum erat a divina Sapientia, ſi, cæteris omnibus ad Deum relatis, uni homini finis alius præſtitueretur.

3*tio*. Id ſaltem nemo ullus negavit unquam: finem hominis ultimum naturalem eſſe ejusdem felicitatem, qualis quidem in ſtatu naturæ puræ haberi poteſt, perfectam: eam vero tum obtineri, cum appetitum ſuum ita perfecte explet, ut in poſſeſſione rei expetitæ conquieſcat. Quænam autem hæc poſſeſſio, niſi ſummi, ejuſque perpetui boni? niſi enim tale ſit, ultro ſemper ad id, quod majus bonum eſt, appetitu ſuo feretur ratione duce animus humanus; cumque idem ſit natura immortalis, nullo niſi perpetuum duraturo bono explebitur: cum igitur id genus bonum ſit ſolus Deus, hujus unius poſſeſſio veram ac perfectam hominis felicitatem abſolvit. At qui (inquies) homo in ſtatu naturæ puræ ita Deum poſſideat? per cognitionem ajo & amorem illius perfectum, quoad ſtatus hujus fert conditio: tum quippe ita ſe habet ad Deum auctorem ſuum, ut ſecundum omnem mentis ſuæ capacitatem naturalem, intelligentiam videlicet & voluntatem,

Digitized by Google

tatem, ejus perfectiones in ſe exprimat, ac gloriam commendet; tum item hac ſua beatitudine quam maxime accedit ad eam, qua Deus ipſe per ſui cognitionem & amorem beatus eſt. Ex quibus demum facile conficias, perfectam hanc hominis felicitatem non eſſe mortalis hujus vitæ: quando durante illa ſenſuum illecebris, ipſa corporis conditione, pluribuſque aliis interpellari mentem humanam neceſſe eſt, quominus in unius Dei cognitione & amore omnino conquieſcat; unde in ipſo naturæ ſtatu felicitatem hanc & finem ſuum ultimum non prius obtineret anima, quam corporis vinculo exſoluta.

Atque hæc, ex ſola naturali ratione petita, ſatis ſunt (ut opinor) ad evincendam ſtatuti a nobis primi hujus Principii veritatem; ut adeo graviſſime hallucinati ſint veteres quidam Sophiſtæ, cum in voluptate carnis, vel opum affluentia, aut tranſeuntibus animi bonis ultimum hominis finem reponerent.

II. *Ad hunc obtinendum finem homo dirigitur per Legem* 59
naturalem. Nihil hoc principio certius: res quippe creata quælibet non niſi per actiones ſibi proprias, & naturæ ſuæ conformes finem ultimum obtinet; ergo cum actiones homini peculiares, & naturæ illius rationali conformes non aliæ ſint, quam rationales & honeſtæ, in quibus nimirum perfectiones divinæ reluceant, & gloria Conditoris commendetur, hæ ipſæ ſunt illi media ad conſequendum finem ultimum neceſſaria. At enim cum homini etiam in ſtatu naturæ puræ ſua ſit libertas, ſuæ illecebræ, quibus a recti tramite abduci poſſit: opus utique eſt lege aliqua, qua videlicet non modo edoceatur rectum & honeſtum, ſed ad amplectendum etiam illud ſe obligari noverit. Quid jam vero iſtud in ſtatu hoc eſt aliud? quam

Digitized by Google

quam lex illa cum ipſa rationali natura omnibus hominibus inſita, quam ipſam dicimus Legem naturalem. Sicut igitur homo per legem hanc dirigitur ad actiones ſuas rite exercendas, ita pariter ad conſequendum finem ultimum.

60 III. *Lex naturalis nequit ſejungi a Deo.* Si enim eſt lex: utique obligans. Si naturalis: omnibus ergo hominibus cum natura ita inſita, ut omnes ſimul obliget. Si iſtud: ergo lata ab eo, qui totius naturæ humanæ eſt Superior, quique illam proinde unus ſumma ſua poteſtate obligare potuit. Quis jam vero iſte, niſi Deus ejusdem naturæ Conditor? ergo lex naturalis eſt ipſa Dei obligantis ordinatio, per rationem naturalem nobis intimata. Profecto autem cæcutire, imo inſanire eſt, ex conceptu hoc velle Deum expungere. Inde ſapienter jam olim Epictetus dixerat: *naturam ſequi*, eſſe *Deum ſequi.* Errant contra, qui in ſolius naturæ creatæ viſceribus ita eſſe ſitam Legem naturalem contendunt, ut in ea nullus Deo relinquatur locus: quaſi vero lex aliqua poſſit conſiſtere ſine illo, cujus unius ſtat voluntate.

61 IV. *Infinita Dei perfectio eſt ratio ultima, cur aliquid lege naturali præceptum aut vetitum dici poſſit.* Tametſi ignotum ſit nemini, id univerſim ſub Legis naturalis imperio comprehendi, quod ſolo rationis naturalis ductu cognoſcimus neceſſario præcipi aut prohiberi: quæri nihilominus ultro poteſt, cur nominatim ac determinate hæc vel illa actio ita præcipiatur aut prohibeatur? Hujus jam vero cauſam, in qua demum ultimo acquieſcas, ab infinita Dei perfectione repetendam cenſeo. Cum enim Deus, ad gloriam ſuam extrinſecam & manifeſtandas perfectiones ſuas, ceu ultimum finem, naturam humanam condiderit, ad ejus utique ſummam perfectionem, præſertim ſapientiam & providentiam pertinet ita guber-

Digitized by Google

gubernare eandem naturam, ut in illa nihil eſſe velit, quod fini huic, ſeu perfectionibus divinis adverſetur; ergo quidquid ſapientiæ, providentiæ, aliiſque ejus perfectionibus eſt oppoſitum, id neceſſario prohibet: quidquid contra ad ſapienter & provide gubernandam naturam humanam infinita Dei perfectio exigit præcipi, iſtud neceſſario præcipit: quæ ipſa neceſſaria præceptio aut prohibitio eſt Lex naturalis.

Unde legitima conſecutione arguas: ſi Deus non præciperet e. g. ſui amorem & reverentiam, nec vetaret e. g. blaſphemiam aut perjurium, non regeret hominem ſapienter ac provide ad manifeſtandam ſuam gloriam & perfectiones; ergo neceſſario illa præcipit, hæc vetat. Item: ſi e. g. mendacium per voluntatem Dei ſit licitum, impune licebit naturæ rationali in ſe ipſa obliterare ſummam Dei veracitatem, atque adeo apta non erit ad manifeſtandam hanc Conditoris ſui perfectionem; ergo non gubernabitur ſapienter ac provide ad finem ſuum: iſtud vero cum fieri nequeat, ultro conſequitur, mendacium neceſſario prohiberi a Deo. Quia interim, ob caliginem intellectus humani, non eſt ſemper pronum ſingulis vitiis lege naturali vetitis ſpeciatim deſignare perfectionem divinam oppoſitam, generatim advertiſſe ſuffecerit: hoc ipſo actionem aliquam cenſeri debere lege naturali præceptam aut prohibitam, quod eam lumen rationis naturale dictet eſſe ejuſmodi, ut a Deo ſapienter & provide omnia gubernante præcipi aut prohiberi debuerit.

Hæc fundamenti inſtar ſint, quibus ſinceram Legis naturalis inveſtigationem niti oportet. Atque hanc jam, & ipſi aggredimur: quæ ut planior evadat, explicanda primum videtur

detur recepta legis naturalis notio; exiſtentia deinde aſſerenda; tum deſignandus ejusdem auctor.

Notio Legis Naturalis.

62 I. QUoſcumque veterum, ſeu Philoſophorum, ſeu Patrum conſulas, omnibus Legis naturæ nomine venit lex illa, quæ cum natura ipſa eſt homini indita. Tullio certe in Orat. pro Mil. eſt *non ſcripta, ſed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti; non inſtituti, ſed imbuti ſumus.* D. Ambroſius L. 9. Ep. 71. vocat *legem non ſcriptam, ſed innatam: quæ non aliqua percipitur lectione, ſed profluvio quodam naturæ fonte in ſingulis exprimitur, & humanis ingeniis hauritur.* Eadem paſſim legas apud alios. Sed & in eo (ſi paucos veteres, & quosdam e modernis Pſeudo-politicos, ad ipſum naturæ lumen cæcutientes excipiam) conſentiunt: legem hanc, ita nobis cum natura inditam, *eſſe ipſum rationis naturalis dictamen, quo in genere moris dirigimur & obligamur ad agenda quædam, ut bona: ad omittenda item aliqua, ut mala.* Audiatur rurſum Tullius L. II. de Leg. *eſt quidem vera lex*, inquit, *recta ratio naturæ congrua, diffuſa per omnes, conſtans, ſempiterna, quæ vocet ad officium jubendo, vitando a fraude deterreat* &c. Clarius adhuc Seneca Ep. 65: ad Lucilium: *eſt ergo a Deo tamquam auctore naturæ impreſſum, inditumque cordibus noſtris, per quod ſecundum dictamen rationis practicæ actus humanos liberos ad bonum juſtumque dirigimus.*

Hoc igitur dictamen dicitur Lex Naturæ: *Lex* quidem, quia eſt norma obligans; *Naturæ*, quia a Deo, tanquam auctore naturæ, proficiſcitur, ſimulque per rationem naturalem

Digitized by Google

lem homini innoteſcit. Idem communiter vocatur etiam *Jus Naturæ:* legis enim eſt obligare jubendo, *Jus* autem a *jubendo* nuncupatum exiſtimatur; hinc quidam cum Feſto veteres jura *Juſa* vel *Juſſa* dicebant. Cæterum *Juris* vocabulum eſt æquivocum: quamvis enim apud JCtos ſæpe ſignificet *Regulam juſti*, ſeu Legem ipſam: eodem nihilominus perinde crebro deſignatur etiam *poteſtas aliquid agendi*, *alterum obligandi*, *ipſa obligatio*, *dominium rei* &c. propterea tum hic, tum deinceps de Legibus poſitivis acturi, malumus uti *Legis* quam *Juris* vocabulo.

II. Legi naturali, hoc communi ſenſu acceptæ, pecu- 63
liarium inſtar proprietatum attribuuntur: unitas, uniformitas, univerſalitas, evidentia, neceſſitas, immutabilitas. *Unitas* quidem propterea, quia, licet plures ſint particulares Leges naturales, omnes attamen reducuntur ad unum principium, nempe: *bonum eſt proſequendum*, *malum fugiendum;* ad unum item finem, gloriam nimirum Dei extrinſecam, & hominis beatitudinem perfectam; demum ad auctorem unum, Deum videlicet, a quo uno Lex naturalis lata eſt, ſimulque per rationis lumen nobis intimata. *Uniformitas & univerſalitas* conſiſtit in eo, quod lege hac univerſim omnes & quidem uniformiter obligentur ita, ut hominum nullus ab ea eximatur ratione ſtatus, loci, temporis &c. *Evidentia* inde repetitur, quod lex naturalis homini applicetur per lumen rationis: ut adeo, quoad prima ſaltem principia, a nemine ignorari poſſit. *Neceſſitatis* ratio eſt: quia ex hypotheſi conditæ naturæ rationalis uti Deus neceſſario illi ſe ipſum in finem præfixit, ita pariter conſtituere debuit certam normam, cujus ductu homo in actionibus ſuis regeretur, ſuumque finem ſubinde obtineret; hæc jam autem norma (ſi limites naturæ non egrediamur) eſt ipſa Lex naturalis. Ex hac porro neceſſitate,

Digitized by Google

ultro deducitur ejusdem legis *immutabilitas*. Sed nimirum hæc clariora fient ex iis, quæ tota hac Diſſert. diſputabuntur; nunc ſatis fuerit animum advertiſſe ad Principia ſuperius ſtatuta.

Vel his autem proprietatibus attentis pronum eſt conjicere, quæ ſit legis naturalis a quovis alio Jure vel Lege differentia. Certe a quibusdam male confunditur cum *Jure Gentium:* cum enim hoc per Juſtinianum §. 1. de J. N. & Gent. uſu exigente & humanis neceſſitatibus, gentes ipſæ ſibi pactione tacita vel expreſſa conſtituerint, ſatis patet, quod tametſi a Jure naturali ſuam ducat originem, cum eo tamen omnia non habeat communia, ut rem expendenti facile erit aſſequi. Multo etiam certius eſt legem naturalem inter & poſitivam diſcrimen: illa enim eſt cum natura homini indita, eſt neceſſaria &c. hæc extrinſecus ſupervenit, libera Legislatoris voluntate fertur &c.

64 III. Cæterum, quamvis Lex naturalis generatim ſumpta in ſenſu ſupra expoſito ſit una, ſpectata nihilominus materia illi ſubjecta diviſionem & differentias admittit. Ita multis alia eſt *abſoluta*, alia *conditionata:* illa immediate obligat independenter ab omni prævio ſtatu, conſenſu, vel conditione, e. g. ad colendum Deum, non mentiendum &c. hæc nonniſi mediate & facta ſuppoſitione aliqua, e. g. ad ſolvendum debitum, ſi Creditor rationabiliter petat, niſi remittat &c. Quidam interim legis hujus conditionatæ nomen non ſuſtinent, cum univerſim Jus naturæ ſit invariabile: nos, quia controverſia hæc eſt de nomine, in re autem omnes conſentiunt, in uſu vocabuli facile aliorum arbitrio aquieſcemus. Dicitur item *affirmativa*, quæ aliquid faciendum præcipit, e. g. cultum Dei, parentum &c. *negativa*, ſeu prohibens actum ali-

Digitized by Google

aliquem e. g. blaſphemiam, mendacium &c. hæc ad omne tempus obligat; ſecus illa, cum actionem præcipiat, cujus occaſio aut materia ſæpe deficit. Quod ſi per legem naturalem actus aliquis non tantum ſit illicitus, ſed jure etiam naturæ irritus, dicitur Lex naturæ *irritans*. Addunt alii legem *conceſſivam*, ſeu *permittentem*: vi cujus videlicet liberum ſit ponere vel omittere actiones, quæ lege naturali nec ſunt præceptæ, nec prohibitæ, ſed indifferentes; actiones id genus eſſe dicunt communionem rerum conceſſam, permiſſam rerum diviſionem, ſervitutem &c. Quia interim conceſſio & permiſſio congrue reducuntur ad legem præcipientem, ut colligi poteſt ex N. 17. multi legis permiſſivæ nomen univerſim expunctum volunt. Lis hæc (ut nemo non videt) rurſum eſt de nomine; tricari proinde vix operæ fuerit pretium. Illud vero pro indubitato habendum: diviſionem Juris naturæ in *primarium*, quod commune ſit brutis & hominibus, ac *ſecundarium*, quod ſolis hominibus ſit proprium, eſſe nullam, quia æquivocam; brutis enim nec ratio, nec lex aut jus conveniunt. Inde impropria eſt Juris acceptio apud Juſtinianum, cum in Inſtit. de J. N. & G. jus naturæ pro inſtinctu naturæ ſenſitivæ ſumens, definit eſſe illud, *quod natura omnia animalia docuit.*

Exiſtentia Legis naturalis.

LEgem aliquam naturalem exiſtere, adeo certum ac evidens 65
eſt, ut a nemine, niſi quem ſana mens deſtituerit, in dubium vocari poſſit. Ipſum nimirum rationis lumen nobis congenitum, citra omnem revelationem & legem poſitivam, unicuique dictat diſcrimen, quod inter actiones bonas & malas in genere moris intercedit: eodem lumine naturali edocemur obligationem faciendi bona, vitandi mala; ergo lumine naturali

Digitized by Google

nobis innoteſcit, dari aliquam æqui ac recti Regulam obligantem, quæ ipſa eſt Lex naturalis: cum igitur certum ac evidens ſit, quod Lumen rationis naturale omnes edocet; certum pariter eſt eadem evidentia Legem naturalem exiſtere. Atque hinc eſt ille hominum, jus naturale tacito inſtinctu confitentium, communis conſenſus; qui quidem ad rem præſentem maximi eſſe debet momenti: quando impudentis, ne dicam inſani foret animi id negare velle, in quod communis omnium ſenſus conſpirat. Hujus vero teſtimonium perhibent Gentes omnes, tametſi ævo, religione, vivendique inſtituto differentes; ut adeo Apoſtolus ad Rom. 2. non dubitaverit generatim aſſerere: *Gentes, quæ legem* (poſitivam Divinam) *non habent, naturaliter ea, quæ legis* (naturalis) *ſunt, faciunt, ejuſmodi legem* (poſitivam) *non habentes, ipſi ſibi ſunt lex; qui oſtendunt opus legis* (naturalis) *ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium illis reddente conſcientia ipſorum.*

Auctor Legis naturalis.

66 I. NOtione Legis naturalis expoſita, aſſertaque etiam ejus exiſtentia, ipſe demum Legislator deſignandus eſt. Quis vero hic, niſi Deus, ut naturæ auctor? Agnoverunt id vel Gentiles: hinc Seneca in ſupra cit. Ep. 65. dictamen illud, in quo legem naturæ reponit, eſſe ait *a Deo tanquam auctore naturæ impreſſum cordibus noſtris;* & Cicero L. II. de Leg. univerſim affirmat, *Sapientiſſimorum fuiſſe ſententiam,* quod lex hæc ſit *æternum quoddam, quod univerſum mundum regeret imperandi prohibendique ſapientia:* quod ſi autem tale, alium utique, præter Deum, auctorem habere non potuit. Conſentiunt Patres cum Auguſtino in Pſ. 57. dicente: *manu formatoris noſtri in ipſis cordibus noſtris veritas ſcripſit: quod tibi non vis fieri, ne facias alteri,* quæ eſt lex naturalis. Nec dubi-

Digitized by Google

dubium eſt, de hac ipſa intelligendum Vatem Regium, cum Pſ. 4. V. 6. quærens, *Quis oſtendit nobis bona?* continuo reſpondet: *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.*

II. Sed nimirum haud opus externis eam in rem teſti- 67
moniis, cujus unuſquiſque in ſe ipſo habet argumentum, rectam rationem. Sola hæc profecto (tametſi abſint cætera) docet, abſque peccato legem naturalem violari non poſſe; unde Apoſtolus ad Rom. 2. de Gentilibus, hujus unius legis ductum ſequentibus, *oſtendunt*, inquit, *opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus* &c. atqui peccatum eſſe non poteſt, niſi ſit contra Legem Dei: *neque* enim (ut ait Auguſtin. L. 2. de Pec. & Mer. C. 16.) *peccatum erit, ſi quid erit, ſi non divinitus jubeatur, ut non ſit;* lex igitur naturalis eſt Lex Dei, hoc eſt, Deo auctore lata. Quid quod legis hujus nomine nihil aliud veniat, quam lex cum natura ipſa hominibus omnibus impreſſa, omneſque obligans, etiam pro eo ſtatu, in quo homo ultra naturæ conditionem nihil habeat; ergo profecta eſt ab eo, qui naturæ humanæ legem hanc imprimere, ſimulque totam in hoc ſtatu obligare potuit: at certe hic alius non eſt, quam Deus naturæ auctor, ad hunc igitur unum, ceu auctorem, Lex naturalis eſt referenda.

§. II.

In quo proprie ac complete conſiſtat Lex naturalis? quomodo item obliget?

Lex naturalis complete ſumpta virtutem *in actu ſecundo* obligandi involvit; unde ad plenam ejus notitiam modus ſimul,

Digitized by Google

ſimul, quo obligat, definiendus eſt. Sed expendendæ ſunt prius variæ in hanc rem

Doctorum Opiniones.

68 I. FAmiliare eſt Patribus legem naturalem dicere *lumen rationis*, *legem innatam*, *radium divini luminis nobis impreſſum*, *legis æternæ participationem &c.* Conformiter ad quæ ipſe Doctor Ang. 1. 2. qu. 91. Art. 2. in ☉ ſuper illa Pſalmi, *ſignatum eſt ſuper nos* &c. *quaſi lumen*, inquit, *rationis naturalis*, *quo diſcernimus*, *quid ſit bonum*, *& quid malum*, *quod pertinet ad naturalem legem*, *nihil aliud ſit*, *quam impreſſio divini luminis in nobis; unde patet*, *quod lex naturalis nihil aliud eſt*, *quam participatio Legis æternæ in rationali creatura.* Hæc interim nondum ſufficiunt ad integre explicandam legis hujus naturam complete ſumptam: quo nomine venit lex naturalis, non ut præciſe in Legislatore eſt, ſed ut illam in nobis deſcriptam habemus, utque eadem *in actu ſecundo* obligamur. Atque

69 II. Hoc ſenſu acceptam quidam cum Vaſquezio putant eſſe ipſam naturam rationalem, prout hæc videlicet fundamentum eſt convenientiæ, vel diſconvenientiæ actionum humanarum. Alii cum Abulenſi & Soto eam conſtituunt in illa naturæ rationalis vi, quam habet ad diſcernendum inter operationes rationi conformes vel diſformes. At hos ipſos inter non convenit, num vis hæc rationalis reponenda ſit in actu potius, quam habitu; actum eſſe vult Cajetanus cum pleriſque Thomiſtis: pro habitu contra Alenſis pugnat. Unde rurſum alia opinionum varietas: cum videlicet hi legem naturalem arbitrantur conſiſtere in ſolo rationis judicio, quidam in imperio voluntatis &c. alii in ſyndereſi, in conſcientia

Digitized by Google

tia alii &c. Quas Doctorum ſententias referens Suarez in Tract. de Leg. L. 2. C. 5. recte obſervat, quæſtionem hanc eſſe de modo loquendi; unde & nobis (nam in re cum aliis fere convenimus) modus hic duntaxat peculiari Aſſertione planius explicandus erit: ad cujus ipſius uberiorem notitiam conferet Aſſertio altera, qua obligandi efficaciam legi naturali propriam definiemus.

ASSERTIO I.

Lex naturalis proprie & complete ſumpta, eſt ipſa Dei voluntas neceſſaria, naturæ humanæ promulgata, per rectum, idemque practicum rationis dictamen, quo dirigimur & obligamur ad agendum, vel omittendum ea, quæ ſolo naturali lumine cognoſcuntur eſſe præcepta vel prohibita.

In his porro, quæ Aſſertione hac complectimur, legem 70 naturalem integre conſiſtere, tria evincunt. Etenim deſcriptione hac

1*mo* declaratur: quid lex naturalis ſit in Legislatore Deo. Eſt nimirum ipſa Dei voluntas, qua, ſpectato etiam ſolo naturæ ordine, neceſſario aliqua homini præcipit, prohibet alia. Neceſſario inquam: ſecus enim in hoc ſtatu naturam humanam ſapienter ac provide non gubernaret in ordine ad finem illi præſtitutum. Nimirum, poſtquam Deus libere condidit naturam rationalem, ſicut neceſſario illi ſemetipſum pro fine conſtituit: ita non potuit non velle ea, quæ homini ad hunc finem obtinendum ſunt neceſſaria; debuit igitur illi certam agendi normam deſignare, cujus ductu ad finem ſuum perveniat. Hæc jam vero in ſtatu naturæ norma, ſeu

lex naturalis, quid aliud eſt? niſi ordinatio Dei neceſſario prohibentis ea, quæ hominem a ſuo fine avertunt: neceſſario item præcipientis illa, ſine quibus hic finis obtineri nequit.

2*do* declaratur: quid lex eadem ſit in nobis. Dictamen rationis aimus practicum, quod præconis inſtar nobis annuntiat ea, ad quæ, vel in ſtatu naturæ, ex voluntate & imperio Dei agenda aut omittenda obligemur. Certe dictamen ejuſmodi naturale eſt nobis non tantum *regula*, ſed & *regula obligans:* cum per lumen naturale non tantum *ſpeculative* oſtendat bonum & malum; ſed *practice* ſimul edoceat, hoc vitandum, illud vero proſequendum eſſe, quæ propria ſunt legis, ſeu regulæ obligantis. Ex quo una facile colligas, cur lex naturalis, prout in nobis eſt, dicatur naturæ rationali inſita: hoc quippe dictamen eſt nobis ab auctore naturæ Deo cum ratione ipſa congenitum.

3*tio* deſcriptione eadem id continetur totum, quod legi naturali *in actu ſecundo* obliganti convenit, quodque illam a legibus aliis differentem reddit; id quod clare patebit verba Aſſertionis expendenti: ac ea, quæ paulo ante dicta ſunt, legeſque ipſas invicem conferenti.

71 Sed & hinc aſſequi pronum erit, cur legem naturalem cenſeamus reponendam potius in memorato rationis actu, ſeu dictamine, voluntatem Dei neceſſariam nobis per naturale rationis lumen imperii inſtar proponente: quam in ſynderesi tantum, vel conſcientia, ut quidam volunt. Nimirum ſynderesis nomine non aliud venit, quam habitus intellectum dirigens circa principia practica e. g. bonum eſſe faciendum, malum vitandum; quis autem legem, natura ſua in actu

impe-

Digitized by Google

imperante conſiſtentem dicat habitum, hoc eſt meram facilitatem & inclinationem ad agendum? Sed & conſcientiæ ratio legis naturalis attribui nequit: generatim quippe ſumpta poteſt eſſe dictamen rectum, vel erroneum; eodem præterea proponuntur quædam inſtar præcepti, alia per modum conſilii: cum interim lex naturalis ſit natura ſua actus tantum imperans, idemque ab errore immunis. Cum igitur utrumque hoc dictamini, quod in Aſſertione tuemur, conveniat: hocque ipſum etiam ſit participatio Legis æternæ in ſenſu alias expoſito, potiori jure illi legis naturalis prærogativa eſt deferenda.

Ac omnino opinioni huic favere videtur ipſe Auguſti- 72
nus L. 14. de Trin. C. 15. ubi de impiis multa recte reprehendentibus, recteque laudantibus agens, *Quibus ea*, inquit, *tandem regulis judicant? niſi in quibus vident, quemadmodum quiſque vivere debeat, etiamſi nec ipſi eodem modo vivant. Ubi eas vident? Neque enim in ſua natura: cum procul dubio mente iſta videantur, eorumque mentes conſtet eſſe mutabiles, has vero regulas immutabiles videat, quiſquis in eis & hoc videre potuerit. Nec in habitu ſuæ mentis: cum illæ regulæ ſint juſtitiæ, mentes vero eorum conſtet eſſe injuſtas. Ubinam ſunt igitur iſtæ regulæ ſcriptæ? - - niſi in libro lucis illius, quæ veritas dicitur, unde omnis lex juſta deſcribitur.* Nimirum iſthic S. Doctor de generali hac impiorum regula, quæ eſt ipſa naturalis lex, tria inſinuat. Primum ait eam mente videri; deinde proponi cum obligatione, quemadmodum quiſque vivere debeat; demum regulam hanc, quam immutabilem vocat, in Deo ipſo eſſe pronuntiat. Quæ omnia congruunt cum dictamine practico voluntatem Dei neceſſariam nobis promulgante.

Digitized by Google

ASSERTIO II.

Lex naturalis obligat in conſcientia ita, ut actus contra eam poſitus ſemper ſit illicitus: quandoque autem etiam irritus ac invalidus.

73 Ratio 1*mæ* partis eſt: nam univerſim legi naturali nihil deeſt eorum, quæ ad obligandum in conſcientia requiruntur. Quæ enim illa ſunt alia? niſi poteſtas ſub reatu culpæ obligandi in Legislatore, efficax voluntas re ipſa ita obligandi, hujuſque voluntatis legitima intimatio. Quid vero horum in lege naturali complete ſumpta, prout a nobis deſcribitur, deſideres? aut quis ſanæ mentis exiſtimet, ſupremi omnium Domini imperia ſine piaculo poſſe rejici? Hanc ipſam certe obligationem non obſcure indicat Apoſtolus, dum ad Rom. 2. de gentilibus ait: *quicumque ſine lege* (ſcripta) *peccaverunt*, *ſine lege* (ſcripta) *peribunt*, & quidem interitu etiam damnationis æternæ, ut contextus docet; non perirent autem propter peccata contra legem naturalem admiſſa, niſi eadem in conſcientia obligaret. Quod ſi autem ita obligat, neceſſe eſt actum illi contrarium ſemper eſſe illicitum, proinde peccatum, idque grave vel leve pro ratione materiæ.

Illud hic quæri poteſt: num lex naturalis in conſcientia obliget non tantum ad ſubſtantiam actus, ſed etiam modum (ut ajunt) virtutis? Cui quæſito ut ſatisfiat, revocandum eſt in memoriam principium ſupra N. 21. inſinuatum, tum nempe *legem integre obſervari*, *cum mens Legislatoris integre impletur.* Ex quo, cum Simonnetto, Tract. de Leg. diſp. 2. Ar. 2. affirmantium ſecuti ſententiam, in hunc modum arguimus. Deus, ut naturæ auctor, per legem natura-

turalem generatim præcipit creaturæ rationali, ut vivat honeſte, & conformiter ad naturam rationalem; atqui ad ſic vivendum non eſt ſatis, ut fiant actus, quorum omiſſio dedecet naturam rationalem: verum fieri illos oportet ſimul modo naturam rationalem decente, & cum convenientibus eidem circumſtantiis, ut clarum eſt; ex mente igitur Legislatoris Dei modus etiam virtutis præſcribitur lege naturali. Unde inferas: legis naturalis ſaltem affirmativæ (de qua una quæri poſſe exiſtimat Suar. L. 2. de Leg. C. 10.) obligationi non ſatisfieri integre, niſi per actus honeſtos, & moraliter bonos; tales videlicet, qui fiant modo convenienti naturæ rationali, qua rationalis eſt.

Ratiò 2*dæ* partis petitur ex communi ſenſu, per lumen 74
naturale nobis ingenito: hujus quippe (citra omnem legem poſitivam) ſolius ductu docemur, actus aliquos eſſe irritos. Ac horum quidem alii ſunt irriti defectu poteſtatis, vel voluntatis in eo, qui agit: ut ſi amens, vel alius ſufficiente rationis uſu deſtitutus contractum ineat; ſi quis rem alterius dominio ſubjectam promittat; ſi ad donationem faciendam vi illata, reluctans proinde ac invitus compellatur &c. Alii evadunt irriti deficiente objecto, circa quod actus verſatur; deficere autem eo ipſo cenſetur, quod ſit aut impoſſibile, aut perpetuo turpe, ſeu natura ſua illicitum: hinc jure naturæ invalida eſt promiſſio de committendo mendacio, furto &c. Atque hæc fere ſunt illa, ex quibus judicari poteſt actum aliquem lege naturali eſſe irritum; ut adeo, ſi nec agentis poteſtas & voluntas, nec objectum deficiat, tametſi actus legi naturali contrarius ſit illicitus, non tamen etiam invalidus: ita e. g. matrimonium, poſt promiſſionem ſponſalitiam alteri factam cum alio initum, eſt quidem jure naturæ illicitum, ratum nihilominus ac validum.

Si hujus porro diſcriminis requiras cauſam, ea conformiter ad principium N. 61. præmiſſum, ultimo repetenda eſt a Dei naturæ auctoris voluntate, qua ſicut actus aliquos neceſſario præcipit aut prohibet, ita alios neceſſario jubet ſimul eſſe irritos: utrumque enim iſtud ad ſummam Dei in gubernando ſapientiam & providentiam pertinet: ex defectu utriuſque imperfectio creaturæ rationalis redundaret in ipſum Deum. Unde, quamvis actus jure naturæ irriti inchoata quadam ratione per ſe ſint tales, cum in ſe ipſis habeant fundamentum, cur irritentur: re ipſa attamen, complete, & *formaliter* redduntur irriti, ac pro talibus eos habere obligamur per voluntatem Dei, irritos illos eſſe neceſſario jubentis; quod ipſum potiori jure dicendum de actibus legi naturæ contrariis, qua illicitis, & in *actu ſecundo* ac *formaliter* malis, ſeu peccaminoſis.

Reſolvuntur Objectiones.

75 Aſſertio prima his fere momentis impugnari poteſt. I. Si voluntas Dei neceſſaria ſit lex naturalis, ſequitur, eam non aliud eſſe, quam Legem æternam & divinam: a qua tamen legem naturæ nos ipſi diverſam fatemur. Ac omnino penitus diverſa eſt; nam

II. Abſtrahendo etiam a voluntatis divinæ imperio, actus lege naturæ præcepti aut prohibiti ſunt in ſe boni aut mali; hinc ipſum rationis dictamen naturale proponit eos nobis faciendos aut omittendos, non ut voluntati divinæ, ſed ut naturæ rationali convenientes aut diſconvenientes. Unde

III. Etiam in hypotheſi, qua re ipſa non daretur hæc Dei voluntas, ratio naturalis nihilominus dictaret horum fugam,

gam, illorum proſecutionem; perinde item hi eſſent natura ſua moraliter boni, illi vero mali, atque adeo peccata. Hæc jam vero ſi ita habeant, tota legis naturalis ratio videtur reponenda in ſola rationali natura: nullatenus autem in voluntate Dei.

Reſp. ad I. legem naturalem, ut ea in Legislatore eſt, ac *in actu primo* tantum obligans, eſſe omnino Legem Dei æternam; eadem attamen, prout in nobis eſt, noſque *in actu ſecundo* obligat, eſt lex temporalis: cum Lex illa Dei, ab æterno lata, nobis in tempore applicetur per naturale rationis dictamen, per quod ſimul completur in ratione legis re ipſa actu obligantis. Nec tamen propterea confundenda eſt lex naturalis cum lege divina poſitiva; hujus quippe nomine venit lex Dei libera, proinde de rebus natura ſua indifferentibus lata: cum ex adverſo illa ſit neceſſaria. Ex quibus patet, Legem Dei æternam eſſe quidem ratione aliqua diverſam a Lege naturali: at non (ut vult Adverſarius) diverſam ita, ut hæc penitus excludat illam, aut ſine illa integre conſiſtere & explicari poſſit.

Reſp. ad II. Si abſtrahas a voluntate & imperio Dei aliquid præcipientis vel prohibentis, actus, quos dicimus natura ſua bonos aut malos, erunt tales hoc ſolum ſenſu: quod ſint conformes vel difformes divinæ rationi, tanquam normæ infallibili, illos neceſſario approbanti, hos vero improbanti; quodque fundamentum in ſe ipſis habeant, cur neceſſario eos a Deo præcipi aut prohiberi oporteat. Atque hoc ſenſu memorati actus dicuntur a nonnullis natura ſua *fundamentaliter* boni aut mali; ſi quis interim etiam *formaliter* tales dici cupiat, nihil morabor: modo vocabulum hoc non alio, quam nunc expoſuimus, ſenſu uſurpet. At vero

vero iidem actus, citra voluntatem Dei, non ſunt *formaliter* boni aut mali eo ſenſu, quaſi ſint ſimul conformes vel difformes legi proprie tali; hæc enim eſt imperium Superioris obligare potentis: natura autem humana non eſt ſui ipſius Superior, nec legem proinde ſibi poteſt conſtituere. Unde id, quod in Object. additur, omnino ſuſtineri nequit: nam dictamen illud practicum confuſe ſaltem & implicite (quod ad rem præſentem ſatis eſt) proponit actus ejuſmodi eſſe ſimul convenientes aut diſconvenientes Dei voluntati, cum proponat obligationem, quæ non poteſt eſſe niſi a Deo, ceu naturæ humanæ auctore & Superiore. Ex quo ſequitur, omne peccatum contra dictamen rationis admiſſum eſſe theologicum: mere philoſophicum autem non dari.

Reſp. ad III. Explicando Diſtinctione aſſertum: in data hypotheſi ratio naturalis dictaret actuum quorumdam fugam, quorumdam vero proſecutionem, idque mere ob convenientiam vel diſconvenientiam naturæ rationali in ſenſu paulo ante explicato C. dictaret etiam cum obligatione fugæ, aut proſecutionis N. Cum enim, facta hac hypotheſi, deficiat lex vera & proprie talis, deficit pariter obligatio, proinde per rectum dictamen rationis naturale proponi non poteſt; unde hoc caſu actus, contra ejuſmodi dictamen poſitus, non eſſet peccatum *formale*, quod natura ſua eſt tranſgreſſio legis. Cæterum hypotheſis hæc ſe ipſam evertit. Fac enim exiſtente creatura rationali non dari memoratam in Deo voluntatem, hoc ipſo jam nec Deus dabitur: cum, ſi detur, neceſſaria ſit illi pro hoc ſtatu ea voluntas, ut ex N. 61. certum eſt; quod ſi autem Deus non detur, non exiſtet creatura rationalis: ergo in hac hypotheſi diſceptatio inſtituitur de creatura rationali exiſtente, quæ tamen in eadem hypotheſi neceſſario ſupponi debet non exiſtere. Sed enim ex his

Urge-

Digitized by Google

Urgebit aliquis ab oppoſito. I. Si lex naturalis ſit voluntas Dei, lex proinde divina, perperam exiſtimatur conſiſtere etiam in dictamine rationis practico: hoc enim non eſt actus divinus, ſed mere humanus. 76

II. Lex naturalis hoc ipſo, quod ſit vera lex, eſt permanens; eadem dicitur nobis innata, eſſe naturæ immanens: quomodo autem hæc habeantur per rationis dictamen, quod conſtat eſſe actum tranſeuntem?

III. Negari nequit legem naturalem, utpote toti naturæ humanæ communem, dari etiam in infantibus & amentibus; at certe in his non datur per rationis dictamen, cum eo deſtituantur, ergo.

Reſp. ad I. negandam eſſe Illationem: dum enim contendimus legem naturalem conſiſtere etiam in dictamine rationis, agimus de lege naturali complete ſumpta, hoc eſt, prout nos *in actu ſecundo* obligante, proinde ut nobis promulgata; cum igitur promulgatio hæc fiat per rationis dictamen, recte in eo etiam reponitur lex naturæ complete ſumpta. Quid quod dictamen hoc ipſum, tametſi in re ſit actus humanus, moraliter attamen eſt divinus: per illud enim nobis Deus loquitur, legemque ſuam promulgat. Habes exemplum a lege humana, quæ non ceſſat eſſe lex Principis propterea, quod præconis voce promulgetur. Neque contra nos facit, dictamen rationis eſſe errori obnoxium: in hac quippe, quam tuemur, ſententia lex naturalis completur ac promulgatur per ſolum dictamen rationis rectum, hoc eſt, rationis de rebus recte & vere judicantis. Unde dictamina practica erronea, quamvis invincibiliter ſint talia, non

Digitized by Google

pertinent ad legis naturalis complementum: eadem non ſunt vera actuum humanorum regula, neque ſecundum ſe præciſe habent vim obligandi; ut adeo, qui dictamen erroneum non ſequitur, non ideo peccet, quia contra illud agit: verum quia agit contra rectum rationis dictamen reflexum, quo docemur non eſſe faciendum, quod exiſtimamus eſſe illicitum.

Reſp. ad II. Legem naturalem eſſe permanentem ſufficienter habetur per hoc, quod a Deo naturæ auctore ſit lata ſtabiliter, quodque dictamen ipſum illam promulgans ſit quid permanens in potentia animæ rationali, ſemper ad ſuggerendum illud parata ac expedita: unde in æſtimatione morali hoc ipſum rationis dictamen eſt permanens, quamvis phyſice & re ipſa ſit actus tranſiens. Atque hoc uno ſenſu dicitur lex naturalis nobis innata, naturæ immanens & congenita, aut etiam ipſa natura rationalis, ut cum Paulus ad Rom. 2. v. 14. de hominibus gentilibus ait: *ipſi ſibi ſunt lex.*

Reſp. ad III. Communem omnino toti naturæ humanæ eſſe legem naturalem, cum ex mente Legislatoris Dei lata ſit pro omnibus hominibus, ex ſe ac natura ſua ejus capacibus vel ideo, quod omnes præditi ſint potentia intellectiva, qua eis (niſi aliquid obſtet) proponi, ac promulgari per rationis dictamen poſſit. Ex quo conſequitur, legem naturalem etiam complete ſumptam, dari quidem *potentia* in amentibus & infantibus, ut qui ipſi facultate rationali ſint inſtructi: non dari attamen *actu*, aut etiam *potentia expedita*, cum pro hoc ſtatu ex defectu uſus rationis incapaces reddantur practici dictaminis. Idem cum proportione aliqua eſto judicium de ebriis & dormientibus.

Aſſer-

Aſſertioni ſecundæ tria adverſari videntur. I. Lex naturalis non manifeſtat pœnam æternam: hæc enim ſolo lumine naturali cognoſci nequit; ergo nec obligat ad pœnam æternam: quodque hinc conſequitur, non obligat in conſcientia ſub culpa ſaltem gravi, quæ inducit reatum pœnæ æternæ. 77

II. Generatim legi, quæ actum charitatis non præcipit, ſatisfit per actum præceptum, licet is non ponatur ex charitate: damnata enim eſt Baji Prop. 16. *non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine charitate;* at certe charitas, ex qua fit actus, eſt modus virtutis; igitur legi naturali ſatis fit per ſubſtantiam actus: proinde obligatio ad modum virtutis perperam adſtruitur. Præterea

III. Leges humanæ non obligant ad modum, ſed tantum ad ſubſtantiam actus; idem igitur etiam de legis naturalis obligatione cenſendum eſt.

Reſp. ad I. C. Ant. N. Illat. Ut enim delinquens incurrat reatum pœnæ, ſatis eſt, committi ab eo aliquid dignum pœna, cognoſci proinde ſimul actus malitiam, aut inculpabiliter ſaltem non ignorari: non requiritur autem pœnæ delicto adnexæ notitia, niſi forte hanc Legislator ipſe ad incurrendum pœnæ reatum in delinquente ſpeciatim requirat. Ita e. g. fur juſto fori Civilis judicio ad furcam damnatur, tametſi hanc pœnam in fures lege dictatam neſcierit.

Reſp. ad II. admiſſa Maj. & Min. diſtinguendam eſſe Illationem: ſatisfit per ſubſtantiam actus, ita ut non ſit obligatio ad omnem virtutis modum C. ut nec ſit obligatio ad eum virtutis modum, qui neceſſario requiritur ad id, ut actus fiat ho-

Digitized by Google

neſte & convenienter ad naturam rationalem N. ſed nec plus a nobis exigi, patet ex dictis N. 73.

Reſp. ad III. haud recte argui a lege humana ad naturalem: per hanc enim Deum ejus auctorem conſtat generatim velle ſimul modum virtutis, ut dictum eſt N. 73. cum ex adverſo Legislator humanus actus duntaxat ſubſtantiam regulariter præcipiat, id quod ad finem ab eo intentum communiter ſufficit. Inde, ſi quando Legislator humanus ſimul modum aliquem, & convenientes actus circumſtantias legitime a ſubdito exigat, indubium eſt, tum humanam etiam hujuſmodi legem ſimul ad modum virtutis obligare; ex quo capite Legi eccleſiaſticæ de annua Confeſſione & Communione non ſatisfit per ſacrilegam Confeſſionem & Communionem juxta Propoſ. 14. ab Alexandro VII. & 55. ab Innocentio XI. damnatas.

§. III.

An Lex naturalis ſit una in ſe? an item una eademque in nobis?

Unitas, quam Legis naturalis proprietatem eſſe jam alias diximus, ſpectari poteſt tam quoad ipſam Legem, prout nempe hæc naturalia præcepta complectitur: quam etiam quoad homines, quibus hæc ipſa lex per dictamen rationis naturale innoteſcit. Utriuſque porro hujus unitatis notitia admodum utilis eſt ad penitius intelligendam, ac explicandam Legem naturalem; inde, poſtquam de natura ejus complete ſumpta diſſeruimus, nunc ſpeciatim ſtatuendum eſt: an, & quomodo unitas hæc legi naturali conveniat? id quod, duce D. Thoma 1. 2. qu. 94. Art. 2. & 4. duabus Aſſertionibus exequemur.

ASSER-

Digitized by Google

ASSERTIO. I.

Plura quidem particularia præcepta complectitur Lex naturalis; iſtud attamen non officit, quo minus vero ſenſu dicatur una in ſe.

PRimum Aſſertionis membrum controverti non poteſt, cum 78
conſtet hominis officia, jure naturali præſtanda, alia eſſe erga Deum, alia erga ſe ipſum, erga cæteros homines alia: quæ uti ex objecto ſuo ſunt multiplicia, ita obligatio quoque eorum multiplici præcepto continetur. Ac ut particulatim loquar: certum eſt, lege naturæ præcipi cultum Dei, conſervationem vitæ propriæ, reverentiam Parentibus exhibendam &c. prohiberi item blaſphemiam, furtum, mendacium &c. quæ quidem particularia præcepta nemo eſſe diverſa negaverit.

Sed nimirum iſtud (ut altera parte aſſerimus) officere 79
nequit Legis naturalis unitati. Quamcunque enim ob materiæ varietatem multiplicia ſint hæc præcepta, omnia attamen uniuntur in hoc uno generali: *bonum eſſe faciendum*, & (quod cum hoc neceſſario connectitur) *malum vitandum*. Uniri porro in hoc dicuntur propterea, quod ex illo, ceu radice, proficiſcantur & deducantur, atque adeo ad illud tanquam principium primum reduci poſſint; neque enim e. g. colendus foret Deus, niſi cultus hic bonus eſſet: cur item vitandum e. g. mendacium, niſi quia malum? Præterea (ut notat Suarez) omnia Juris naturæ particularia præcepta congrue dicuntur uniri in uno auctore, ſeu Legislatore: in uno fine ultimo: in uno modo faciendi aliquid, quia bonum eſt, vel vitandi id, quod bono eſt oppoſitum, ſeu malum: in uno item rationis lumine, per cujus dictamen nobis intimantur. Quæ omnia (ni fallor) ſufficiunt ad veram unionem

moralem; proinde etiam ad id, ut multiplicia juris naturæ præcepta vero ſenſu dicântur una Lex naturalis in ſe, & unum Jus Naturæ; ſicut dicitur unum Jus Gentium, unum Jus Civile &c. Atque hoc illud eſt, quod Theologi quidam ſignificatum volunt, dum ajunt legem naturalem eſſe unam *formaliter*, multiplicem vero *materialiter*.

ASSERTIO II.

Lex naturalis eſt una etiam in nobis: tametſi non plane eadem ratione in omnibus.

80 UT Aſſerti veritas pateat, ſola illius explicatione opus eſt. Ajo itaque Legem naturalem eſſe in nobis unam hoc ſenſu: quod a Deo naturæ auctore lata ſit pro omnibus hominibus, & quidem pro omni loco, ſtatu, ac tempore; quod omnibus eadem ſit inſita natura rationalis, per cujus lumen ac dictamen omnes uſu rationis præditi, ſaltem quoad prima & magis generalia præcepta, cognoſcant Legem naturalem, eaque *in actu ſecundo* obligentur; quod denique in omnibus ſit eadem potentia rationalis, cujus ductu omnes, ſi rectam rationem ſequantur, devenire poſſint in notitiam particularium etiam præceptorum; atque adeo omnes illis obligentur ſaltem *in actu primo*. Hæc omnia Suarez paucis complexus, L. 2. de Leg. C. 8. legem naturalem in omnibus hominibus & ubique eſſe unam ait propterea: *quia hæc lex eſt veluti proprietas conſequens, non rationem propriam alicujus individui, ſed ſpecificam naturam, quæ eadem eſt in omnibus.* Idem intellexerunt vel ipſi Gentiles, cum legem naturalem dicerent eſſe *aliquid a Deo naturæ auctore impreſſum cordibus noſtris*, eſſe *rectam rationem naturæ congruam, diffuſam per omnes, conſtantem, ſempiternam* &c. ut legere eſt apud Senecam & Ciceronem N. 62. laudatos.

Quod

Digitized by Google

Quod vero Lex naturalis non ſit eadem ratione in omnibus una, ſatis conſtat experientia: cum ſciamus fuiſſe haud paucos, qui particularia aliqua juris naturæ præcepta ignoraverint. Ita adulterium Lycurgo probatum fuiſſe refert Plutarchus in vita illius; teſte Julio Cæſare L. 6. de Bel. Gall. olim Germani non exiſtimabant furto ineſſe aliquid iniqui: quod ipſum de Lacedæmoniis narrat Plutarch. L. 2. de Lege pœnali C. 14. Porro ignorantiæ hujus cauſam D. Th. ſupra cit. Art. 4. in ⊙ duplicem inſinuat. Primam inde repetit, quod apud omnes non ſit eadem illatio ex principiis generalibus: cum, quanto magis concluſio particularis, & certis veſtita circumſtantiis diſtat a primo principio, tanto minus ſit quoad nos evidens. Ita ex hoc e. g. principio, *quod tibi non vis fieri, alteri non feceris*, evidentiſſime infertur, *ergo non eſt proferendum falſum teſtimonium contra proximum;* non tamen perinde evidenter ſequitur iſtud, *ergo non eſt proferendum falſum teſtimonium pro vita propria conſervanda:* quamvis utrumque hoc ſit æque præceptum naturale, ac primum principium generale. Inde factum, ut quibusdam aliquando viſum fuerit, mendacium eſſe licitum in aliquo caſu. Alteram id genus ignorantiæ cauſam, eo refert, *quod aliqui habeant depravatam rationem ex paſſione, ſeu ex mala conſuetudine, ſeu ex mala habitudine naturæ;* atque hinc eveniſſe putat, quod Germani olim latrocinium non reputaverint iniquum. 81

Expediuntur quædam Dubitationes.

ERit forte, qui hactenus dicta in dubium revocet propterea, quod 1*mo* præceptum juris naturæ quodlibet ſit lex naturalis; ſicut igitur præcepta particularia ſunt multiplicia, ſic & lex naturalis eſt multiplex, non una. 2*do*, quod 82

quod juxta Gratianum diſt. 1. in princ. *jus naturale ſit, quod in Lege & in Evangelio continetur;* at ea, quæ in Lege & Evangelio continentur, non ſunt in omnibus hominibus quid unum in ſenſu Aſſertionis ſecundæ; ergo nec lex naturalis. 3*tio*, quod lex hæc ſit in nobis per rationis dictamen: hoc vero etiam quoad præcepta naturalia non eſt idem in omnibus; igitur nec ipſa lex.

Dubitationibus his ut te expedias, pro 1*mo* obſerva: haud inficiari nos, legem naturalem eſſe *materialiter*, ſeu quoad præcepta particularia multiplicem; at enim cum hæc ipſa præcepta in ſenſu Aſſertionis I. ſint quid unum *formaliter*, unione videlicet morali, lex quoque naturalis eodem ſenſu una dicenda eſt. Pro 2*do* ex D. Thoma reſponſum eſto: Gratianus (inquit ille ſupra cit. Art. ad 1.) non eſt ſic intelligendus, *quaſi omnia, quæ in Lege & Evangelio continentur, ſint de lege naturæ, cum multa tradantur ibi ſupra naturam: ſed ea, quæ ſunt de lege naturæ, plenarie ibi traduntur; unde cum dixiſſet, quod jus naturæ eſt, quod in Lege & Evangelio continetur, ſtatim explicando ſubjunxit: quiſque jubetur alii facere, quod ſibi vult fieri.* Pluribus in hunc Gratiani locum commentans Suarez de Leg. L. 2. C. 7. demum concludit, verba ejus ad hunc modum eſſe conjungenda: *Jus naturale eſt, quo quiſque jubetur alii facere, quod ſibi vult fieri; quod in Lege & Evangelio continetur. Unde Chriſtus in Evangelio* &c. Demum pro 3*tio* notaſſe ſuffecerit: rationis dictamen quoad præcepta juris naturæ prima & generalia eſſe idem in omnibus; quamvis autem quoad particularia aliquando ſit varium, quoad hæc ipſa tamen idem eſſe poteſt vi potentiæ rationalis, quæ eadem eſt in omnibus. Iſtud vero ſatis eſt, ut lex naturalis dicatur in omnibus una in ſenſu a nobis intento.

Digitized by Google

§. IV.

Quæ generatim præcipiantur aut prohibeantur per Legem naturalem? & , num ſub illa nominatim contineantur omnia Decalogi præcepta?

Animadverſio prævia.

Commemorata; quin etiam aſſerta eſt §. priore multiplicitas 83
præceptorum particularium, ad Legem naturæ pertinentium; ordo jam rei poſtularet, ut hæc ipſa præcepta nominatim deſignentur, ac ſtatuatur: quæ ſpeciatim actiones ſint illæ, quæ jure naturæ præcipiuntur, aut prohibentur? Ac de his quidem copioſe & minutim agit jam alias laudatus Schwarzius in *Elemento ſecundo Partis I. de Jure Naturæ*, ubi expendit ſpeciatim *Officia hominis erga Deum, ſe ipſum, & proximum, jure naturæ præſcripta*. Idem ex propoſito præſtitit P. Franc. Xav. Roys e S. J. a Cap. 5. Partis II. in politiſſimo Opere, quo *Ethicam & Jus Naturæ* complexus eſt. Argumento eodem nos ipſi haud inviti Auditores noſtros diſtineremus, niſi rerum copia, quæ tractanda supereſt, vetaret. Ne tamen etiam in hoc operam noſtram penitus deſiderari patiamur, duo in præſenti totidem Aſſertionibus pronuntiabimus, quæ prolixioris tractationis defectum apud Theologum abunde ſuppleant.

Dabimus nimirum primo generalem regulam, ex qua ſolo naturali ratiocinio deduci poſſit, num hæc aut quævis actio alia ſit lege naturali præcepta, aut vetita; deſignabimus deinde in particulari actus aliquos, qui ex hoc principio tales dici debeant: quod alterum tum exequemur, cum

Aſſertione II. de præceptis Decalogi ſententiam feremus. Utrumque multum lucis affundet ad eorum, quæ de Lege naturæ hactenus diſputata ſunt, cognitionem: ac etiam ad detegendos errores hæreticorum, quorum aliqui (ut videre eſt apud laud. Schwarzium) circa actiones jure naturæ præceptas aut prohibitas graviter hallucinantur.

ASSERTIO I.

Ea cenſenda ſunt lege naturali præcepta aut prohibita, quæ lumine naturali cognoſcimus a Deo, ut auctore naturæ, neceſſario præcipi vel probiberi.

84 ISTud, quod regulæ inſtar ſtatuimus, eſt non minus certum quam generale principium, ex quo, accedente ſolo naturali ratiocinio, per legitimam illationem judicari poſſit de actionibus lege naturæ præceptis aut prohibitis. Etenim

1*mo*, nulla actionum earum, quæ communi conſenſu ſola poſitiva lege prohibentur aut præcipiuntur, eſt ejuſmodi, ut a Deo naturæ authore neceſſario præcipi vel prohiberi debuerit; ex adverſo actio quælibet, quæ conſentientibus ſuffragiis legi naturæ præcipienti aut prohibenti eſt ſubjecta, id peculiare habet, quod Deus, ſpectato etiam ſolo naturæ ordine, eam præcipere aut prohibere neceſſe habuerit, exigente id videlicet ſumma illius in gubernando ſapientia & providentia. Conſule actiones ſingulas, & rem, quam contendimus, ita ſe habere indubie comperies. Quod ſi vero iſtud: jam ex ſtatuto principio legitima illatione licebit deſignare actiones jure naturæ vetitas aut præceptas. Unde

2*do*

Digitized by Google

2*do* ſimul conſtat certa actionum harum differentia ab illis, quæ ſola poſitiva lege vetantur, vel imperantur. Nimirum, ſi quid libera duntaxat voluntate Deus prohibeat aut præcipiat, totum id ad ſolam Dei legem poſitivam eſt referendum. Quorum omnium rationem ultimam reddidimus ſupra N. 61. ubi Legis naturalis cognoſcendæ *Princip. IV.* explanavimus; unde hoc in memoriam revocandum eſt, ac ratiocinatio, quam illic inſtituimus, ad rem præſentem applicanda. Hæc eadem porro deſervient ad formandum judicium de actibus jure naturæ irritis, aut penitus indifferentibus. Conformiter enim ad nunc dicta, jure naturæ irrita eſt actio, quam Deus vel in ſtatu naturæ, ſalva ſua perſectione, non potuit non velle eſſe irritam; indifferens autem, ſi ea ſit ex ſe illius conditio, ut Deus neceſſe non habuerit illam præcipere, prohibere, minus irritare. Jam vero,

Ex his in promptu eſt reſponſio ad quæſitum a Doct. 85
Ang. 1. 2. qu. 94. Art. 3. propoſitum: *Utrum omnes actus virtutum ſint de lege naturæ?* Quod ſi enim ſermo ſit de actibus virtutum ſingillatim quoad proprias ſpecies, ex principio nunc dato conſequitur, omnes non eſſe de lege naturæ; complures quippe eorum conſtat non eſſe tales, qui a Deo naturæ auctore præcipi debuerint: cum, tametſi a creatura rationali omittantur, nihil inde imperfectionis in Deum univerſi conditorem redundet. Nemo certe negaverit, opera Evangelicis conſiliis conformia eſſe actus virtutis: quis autem hæc præcepto aliquo comprehendi dicat? Contra, ſi actus virtutum ſpectentur ſub ratione generica virtutis, ſeu ſecundum id, quod generatim eſt *virtuoſe agere*, hoc ſenſu cenſendum eſt omnes ſub lege naturæ contineri: ut enim Deus naturæ auctor ſapienter ac provide hominem gubernaret, non potuit non velle, ut homo viveret naturæ ſuæ rationali con-

convenienter, quod idem eſt, ac *virtuoſe.* Hæc eadem eſt cit. Ar. in ☉ D. Thomæ ſententia; quin quoad rem eadem etiam aſſerti ratio, tametſi ſpectatis verbis non perinde proxima, ac a nobis allata. Ita autem ibid. arguit. *Naturalis inclinatio ineſt cuilibet homini ad hoc, quod agat ſecundum rationem; & hoc eſt agere ſecundum virtutem. Unde ſecundum hoc omnes actus virtutum ſunt de lege naturali: dictat enim hoc naturaliter unicuique propria ratio, ut virtuoſe agat. Sed ſi loquamur de actibus virtuoſis ſecundum ſe ipſos (prout ſcilicet in propriis ſpeciebus conſiderantur) ſic non omnes actus virtuoſi ſunt de lege naturæ; multa enim ſecundum virtutem fiunt, ad quæ natura non primo inclinat, ſed per rationis inquiſitionem ea homines adinvenerunt, quaſi utilia ad bene vivendum.*

Rem totam exemplo illuſtrare libet. Niſi homo virtutem colat, ac nominatim etiam e. g. temperantiam, non erit inſtrumentum idoneum ad commendandas in ſe perfectiones divinas; cum igitur auctor naturæ Deus, ob finem ſibi præſtitutum, debeat velle tale inſtrumentum eſſe hominem, velle pariter debet ab eo coli generatim virtutem, temperantiamque ipſam nominatim; hæc igitur, vel ſolo naturæ ordine ſpectato, neceſſario præcipit, proinde lege naturali. At enim non perinde res habet, ſi virtutem, aut temperantiam ipſam in qualibet ſpecie propria ſingillatim attendas. Certe abſtinentia a carnibus eſt ſpecies virtutis, & quidem temperantiæ: nec tamen propterea illam lege naturali imperatam ullus dixerit; quin obligationem, qua certis diebus a carne abſtinendum eſt, ſola eccleſiaſtica lege inductam nemo non novit.

ASSER-

Digitized by Google

ASSERTIO II.

Omnia Decalogi præcepta (circumſtantia diei in præcepto tertio excepta) continentur ſub Lege naturali.

SEntentia hæc communis eſt DD. Orthodoxis, imo (teſte 86
Suarez) indubitata etiam contra JCtos quosdam; eamdemque Doctor Ang. ex propoſito propugnat locis pluribus. Excipitur autem in Præcepto tertio *circumſtantia diei.* Quamvis enim ex lege naturæ, id ipſum dictante nobis naturali lumine, hominem oporteat tempus aliquod *ſanctificare*, hoc eſt, cultui divino impendere; hoc attamen præſtandum eſſe nominatim die integra, eaque ſeptima, & non per interpolatas hebdomadæ horas, legis eſt duntaxat poſitivæ, ac Deo liberæ: cur enim, ſalva ſua perfectione, diem aliam, hujusque ipſius circumſtantiam aliam ſtatuere non potuiſſet? Sed audiendus eſt ipſe Angelicus. Ac primum quidem 1. 2. qu. 100. Ar. 3. in ⊙ præcepta naturalia dividens in prima, ſeu communia: in ea deinde, quæ ex his adhibita conſideratione cognoſcuntur, ſubdit: *Utraque tamen horum præceptorum continentur in præceptis Decalogi, ſed diverſimode; nam illa, quæ ſunt prima & communia, continentur in eis ſicut principia in concluſionibus proximis: illa vero, quæ per ſapientes cognoſcuntur, continentur in iis e converſo ſicut concluſiones in principiis &c.* Eadem repetit cit. qu. Ar. 11. in ⊙ & qu. 14. de Verit. Ar. 11. ad 3. ubi, *mandata*, inquit, *Decalogi ſunt de his, quæ naturalis ratio dictat.* Agens vero ſpeciatim de Præcepto tertio in 3. diſt. 37. qu. 1. Ar. 5. qu. 2. hæc habet: *ſecundum illud ejus, quod naturalis ratio dictat, præceptum morale eſt, ut ſcilicet aliquo tempore homo contemplationi vacet; ſed taxatio temporis, in quo vacandum ſit, non eſt de*

diſtamine naturalis legis &c. In eundem ſenſum loquitur ibid. qu. 3. & 1. 2. qu. 100. Ar. 3. ad 2.

87 Sed nimirum ut Aſſerti veritas amplius pateat, addendum eſt etiam momentum ex ratione petitum; quam in rem ſingula Decalogi præcepta expendere, & cum Legis naturæ principio ſupra aſſerto conferre juverit. Jam vero tribus primis præcipi cultum Dei, quodque huic adverſatur, vetari, certum eſt; reliquis de officio erga proximum agitur ita, ut primum imperetur in Parentes reverentia: dein prohibeatur homicidium, mœchia, furtum, falſum teſtimonium, ac univerſim rei alienæ concupiſcentia. Horum porro ſingula ſi ad datam regulam exigas, facili, eoque mere naturali ratiocinio cognoſces, non minus ea, quæ præcipiuntur, ac quæ prohibentur, eſſe ejuſmodi, ut illa quidem præcipi, hæc prohiberi neceſſario debuerint a Deo naturæ auctore, quo hominem ad præſtitutum ſibi finem ſapienter ac provide gubernaret. Utere in hanc rem ratiocinio N. 61. inſinuato V. *Unde* &c. Addi poteſt demum & illud: quod communi omnium, etiam gentilium Sapientum, opinione ad legem naturalem referantur ea, quæ ſolo (tametſi lex poſitiva abeſſet) rationis naturalis ductu docemur facienda aut vitanda, ita, ut ſecus non vivamus convenienter ad naturam rationalem; ejuſmodi autem eſſe illa, quæ Decalogi præceptis continentur, quiſque intelliget, ſi rectam rationem conſulat: nec dictamini ejus obicem ponat per male concepta præjudicia, pravos affectus &c.

Reſpondetur ad Objecta.

88 Contra Aſſertion. I. opponitur I. Cum Deus ſit ens natura ſua & eſſentia liberum, nihil eſſe poteſt, quod eum agen-

Digitized by Google

agendi aut volendi neceſſitate conſtringat; quidquid igitur decernit, non neceſſario, ſed prorſus libere decernit. Si iſtud: lex naturæ repeti nequit a voluntate Dei neceſſario præcipientis aut prohibentis; quodque hinc ſequitur, voluntas hæc neceſſaria haud recte ſtatuitur pro regula cognoſcendi actiones legi naturæ ſubjectas. Quid quod primum ac maxime univerſale hujus Legis præceptum, *bonum eſſe faciendum*, non ſit Deo neceſſarium: neque enim omne *bonum* neceſſario præcipit. Cæterum

II. Tametſi ultro concedatur hæc neceſſaria Dei voluntas, principium attamen in ea, prout lumine naturali propoſita, fundatum non eſt ſatis expeditum ad formandum judicium de actionibus jure naturæ præceptis, aut prohibitis. Complura nimirum ſunt, quæ hodie ex communi ac certa Doctorum ſententia ad legem naturalem pertinere judicantur, ut e. g. ſimplex fornicatio, mollities, quodvis mendacium &c. hæc nihilominus olim, imo etiamnum ab aliquibus non cenſentur eſſe ejuſmodi, ut ſolius rationis naturalis ductu inter actiones lege naturæ vetitas referri debeant. Ita fornicationem & mollitiem non eſſe jure naturali prohibitas docuit Caramuel *Tom.* 1. *Theol. fundam. Fundamento* 12. De mendacio, num ad perniciem ſaltem avertendam ſit aliquando licitum? ipſe Auguſtinus ad Conſent. fatetur, quæſtionem eſſe *latebroſam & inter doctos alternantem;* eodemque teſte fuerunt quidam e Veteribus, qui exiſtimarent, *mendacio inſtar hellebori homines uti poſſe*, in caſu nimirum neceſſitatis, aut utilitatis magnæ. Eadem licentia infertur ex Proteſtantium quorumdam principiis apud Cl. Schwarz in *Elemento ſecundo* Par. I. Tit. 5. §. 3. ubi qu. 6. in Adnot. hanc cæteris clariorem Thomaſii, & ejus ſectatoris Fleiſcheri de ſermocinantium officio præceptionem recitat: *tace, loquere,*

re, vera dic, falſiloquio utere, quoties & quo modo opus eſt ad promovenda aliorum commoda, aut jura non lædenda; prior, concluſio eſt ex regulis decori, poſterior ex regulis juſti.

Reſp. ad I. nihil equidem eſſe, quod Deum conſtringat ulla neceſſitate, omnem ejus determinationem liberam antecedente C. etiam conſequente, ac ex hypotheſi ipſi libera N. eodem ſenſu explicanda eſt Illatio. Nimirum per nos voluntas divina, in qua legem naturæ reponimus, non eſt *abſolute* neceſſaria: verum *conditionate* duntaxat, ac ex hypotheſi, quod creaturam rationalem libere condiderit. Sicut igitur hanc condere, ita eamdem præceptis inſtruere liberum erat Deo *antecedenter*; poſtquam autem libere condita eſt, ſumma Dei perfectio exigebat, ut certæ ſtatuerentur leges, ſine quibus creatura rationalis ſapienter ac provide non gubernaretur. Id genus porro neceſſitatem nihil præjudicare libertati divinæ, complura docent exempla alia Theologis nota. Eadem autem neceſſitate latum eſſe primum quoque illud Juris Naturæ præceptum, *bonum faciendum*, patet ex N. 85. ubi, quo ſenſu de lege naturali ſint omnes virtutum actus, ac proinde bonum omne, explanavimus.

Reſp. ad II. principium hoc ſatis expeditum eſſe inprimis quoad actiones illas, quæ per illationem proximam deducuntur eſſe lege naturali præceptæ aut prohibitæ: tametſi non perinde quoad nos expeditum ſit tum, dum judicium ferendum eſt per remotiores concluſiones. At enim quis clarum adeo juris naturæ deſignet principium, ex quo plana ac expedita ratione evidenter cognoſci poſſint omnia præcepta naturalia pro ſingulis circumſtantiis? certe ſi quod tale foret, nullo unquam caſu ullum præceptum naturale citra culpam ignoraretur.

Cæte-

Digitized by Google

Cæterum ſtatutum a nobis principium quoad ſe ſufficiens eſt, ut ex eo univerſim de omnibus omnino actionibus legi naturæ ſubjectis recte judicari poſſit, ſi modo facto in eam rem naturali ratiocinio ponantur præjudicia, rite expendantur circumſtantiæ ſingulæ, ac omnia cum ſumma Dei in gubernando ſapientia, & providentia, perfectionibuſque reliquis conferantur. Unde, quia in his ratiocinium humanum ſæpe deficit: quia item ab omnibus præcepta naturalia non exiguntur ad hanc regulam: mirum videri non debet, variaſſe olim, hodieque variare quorumdam opiniones de actionibus non nullis ad legem naturæ pertinentibus, ut e. g. fornicatione, mollitie, mendacio &c. His ex adverſo uſi ſubſidiis alii certo compererunt, complura eorum, quæ aliqui exempta volunt a lege naturæ, huic omnino ſubjecta eſſe.

Ita certum eſt orthodoxis omnibus, fornicationem & mollitiem naturali præcepto vetari; hinc ab Innocentio XI. proſcripta eſt Propos. 48. *Tam clarum videtur, fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi diſſonum videatur:* item Prop. 49. *Mollities jure naturæ prohibita non eſt; unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpe eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.* Nimirum fornicatio opponitur rectæ & a natura inſtitutæ propagationi generis humani, ad quam neceſſe eſt certum eſſe patrem, ne incerta reddatur prolis educatio: præſertim cum matres ipſæ in ejuſmodi prolem minore plerumque cura & amore ferantur. Mollities vero adverſatur fini naturæ: eſt item propagationi humanæ & ſocietati præjudicioſa &c. An non autem vel his nominibus utrumque hoc vitium a Deo auctore naturæ

Digitized by Google

prohiberi neceſſe erat? Plura in hanc rem vide apud Joannem Cardenas in Criſi Theol. Diſſert. 29. ubi memoratam Caramuelis doctrinam impugnat, & duas cit. Propoſitiones damnatas explanat.

Certum item eſt, mendacium nulla ex cauſa eſſe licitum, idque jure naturæ: quodcumque enim ſit illud, pugnat cum Dei veracitate, atque adeo hanc Conditoris perfectionem in creatura rationali obliterat; iſtud vero cum ſit contra finem a Deo naturæ auctore homini præfixum, non poterat non prohiberi omne mendacium. Atque hoc ipſum eſt fere argumentum illud, quo utitur Baſilius Reg. 76. & Auguſtinus L. 1. contra mendacium C. 8. De reliquis, quibus idem evincitur, conſuli poteſt Schwarzius in Elem. 2. cit. §. 3. qu. 9. Cæterum, quod hodie etiam cum Thomaſio Pſeudo-politici & Proteſtantes multi officioſa id genus mendacia jure naturali licere exiſtiment, id provenit inde, quod pro juris naturæ cognoſcendi principio *Socialitatem* conſtituant: *fac ea* (inquit Thomaſius) *quæ neceſſario conveniunt cum vita hominis ſociali; & quæ eidem repugnant, omitte.* At enim principium hoc ſuſtineri nequit. Certe *ſufficiens* non eſt, cum ex eo debita hominis in Deum & ſe ipſum officia non deriventur. Nec *verum:* ſi enim ex Socialitate duntaxat præcepta naturalia repetantur, extra ſocietatem humanam jus naturæ nullum erit; quis autem neget, Adamum ante conditam Evam legi naturæ fuiſſe obnoxium? idem eſto judicium de Anachoretis, extra hominum conſortium vitam ſolitariam agentibus. Sed hæc nos per occaſionem tantum; adi (ſi lubet) ſæpe laud. Schwarzium, contra Socialitatis principium ex propoſito pugnantem in Inſtitut. Juris Nat. & Gent. Par. 1. Tit. 2. Inſtruct. 3. §. 2. qu. 12.

Contra

Digitized by Google

Contra Aſſertion. II. opponitur I. Legis naturæ præcepta non dantur ſcripto, verum cum natura ipſa homini inſeruntur: cum interim conſtet Decalogi præcepta ab ipſo Deo in tabulis exarata nos accepiſſe; non pertinent igitur ad legem naturæ. Ac ſi pertineant, ſi cum natura ipſa nobis inſita ſunt, quid opus erat illa ſcribi, & ritu adeo ſolemni promulgari? 89

II. Sola principia generalia, quæ verſantur circa bonitatem vel malitiam moralem, ut *bonum faciendum*, *malum vitandum*, *quod tibi non vis fieri*, *alteri ne feceris* &c. ſunt materia legis naturæ: non autem etiam concluſiones ex his principiis deductæ; atqui præcepta Decalogi continent id genus concluſiones, ut certum eſt; ergo non ſunt de lege naturali. Jam vero Propos. Maj. duobus nititur momentis. Nimirum, lex naturalis eſt cum ipſa natura nobis inſita; cum ex adverſo concluſiones hujuſmodi non niſi diſcurſus humani beneficio, ſtudio proinde & exercitatione hominis comparentur. Deinde, jus gentium a jure naturæ diverſum eſt: certe autem actus illi, quos ratio dictat per diſcurſum duntaxat, ad jus gentium referuntur per JCtos ex l. *Omnes* ff. de Juſt. & Jure; item l. *Bona fide* ff. Depoſiti.

III. Rei alienæ ſaltem concupiſcentia, quæ Præcepto IX. & X. prohibetur, non eſt de lege naturali, cur enim hanc Deus, ut naturæ auctor, neceſſe habeat prohibere? nulli certe videtur adverſari perfectioni divinæ, non eſt proximo noxia &c.

Reſp. ad I. præcepta Decalogi per tabulas Moyſi traditas non fuiſſe primum data, verum confirmata duntaxat, ac veluti renovata. Cauſam porro, cur iſtud a Deo factum,

Digitized by Google

reddens D. Thomas 1. 2. qu. 99. Ar. 2. ad 2. ita diſſerit: *Dicendum, quod legi divinæ conveniens erat, ut non ſolum provideret homini in his, ad quæ ratio non poteſt: ſed etiam in his, circa quæ contingit rationem hominis impediri. Ratio autem hominis circa præcepta moralia, quantum ad ipſa communiſſima præcepta legis naturæ, non poterat errare in univerſali: ſed tamen propter conſuetudinem peccandi obſcurabatur in particularibus agendis. Circa alia vero præcepta moralia, quæ ſunt quaſi concluſiones deductæ ex communibus principiis legis naturæ, multorum ratio oberrabat: ita ut quædam, quæ ſunt ſecundum ſe mala, ratio multorum licita judicaret. Unde oportuit contra utrumque defectum homini ſubveniri per auctoritatem legis divinæ,* poſitivæ ſcilicet. Hæc ipſa dein confirmans exemplo, *ſicut etiam,* inquit, *credenda nobis proponuntur non ſolum ea, ad quæ ratio attingere non poteſt, ut Deum eſſe trinum: ſed etiam ea, ad quæ recta ratio pertingere poteſt, ut Deum eſſe unum; ad excludendum* videlicet *rationis humanæ errorem, qui accidebat in multis.*

Reſp. ad II. negandum eſſe primæ Propos. aſſertum. Nec evincunt quidquam momenta pro eo allata. Non primum: nam & concluſiones hujuſmodi recte dicuntur nobis cum natura inſitæ hoc ſenſu, quod ſolius rationis cum natura nobis congenitæ ductu ex primis principiis deduci, ac innoteſcere poſſint. Non alterum: tametſi enim jus gentium a jure naturæ ſit diverſum, eidem nihilominus multum affine eſt propterea, quod gentes omnes facile in id conſenſerint, quod eſt de lege naturali. Haud negaverim igitur concluſiones ejuſmodi particulares hoc ſenſu referri poſſe ad jus gentium; at enim, ſi JCti eas præterea a lege naturæ exemptas velint, in hoc illis aſſentiri non poſſumus. Ac ſane, cum de primis generalibus principiis nemo dubitet, de par-

Digitized by Google

particularibus etiam dubitari nequit: *quia* (ut arguit Suarez L. 2. de Leg. C. 7. num. 7.) *etiam illa per ſe, & ex vi terminorum habent convenientiam cum natura rationali, ut talis eſt; ergo nec de concluſionibus ex his principiis evidenter elicitis dubitandum eſt: quia veritas principii in concluſione continetur, & qui unum præcipit, vel prohibet, neceſſario prohibet id, quod in illo continetur, vel ſine quo ſubſiſtere non poteſt.*

Reſp. ad III. Eadem neceſſitate, qua Deus naturæ auctor ad ſapienter ac provide gubernandum hominem præcipere debuit charitatem in proximum, debuit quoque prohibere rei alienæ concupiſcentiam, utpote dilectioni huic repugnantem. Sicut igitur odium proximi, ita & hæc concupiſcentia Dei bonitati reſpectivæ adverſatur. Adde: concupiſcentiæ nec cum juſtitia congruere; quod ſi enim aliena habere injuſtum eſt, quis juſtum putaverit aliena concupiſcere? Sed proximo (inquies) noxia non eſt concupiſcentia? in re equidem non eſt, eſt tamen in affectu: quando alienum habere velle, eſt velle nocere alteri. Quid quod affectus hic ex ſe ſit cauſa realis injuriæ; ac tametſi illa non ſequatur ſemper, cum periculo tamen ejus inferendæ ſemper conjungitur. En! quot nominibus rei alienæ concupiſcentia juris naturæ præcepto ſubjiciatur.

§. V.

An Lex naturæ ita ſit neceſſaria, ut nec abrogari penitus: nec vim in actu ſecundo obligandi amittere poſſit per diſpenſationem, interpretationem, vel ignorantiam?

PLuribus jam locis ſparſim Diſſertatione hac inſinuatum, ac etiam comprobatum eſt, Legem naturæ eſſe neceſſariam;

Digitized by Google

riam; nunc, quanta ſit hæc neceſſitas? in quæſtionem vocatur. Pro qua definienda exponendus eſt prius

Status Controverſiæ.

90 QUoniam Legis naturæ neceſſitas ſpectari poteſt vel quoad legem ipſam, ſecundum ſe duntaxat ſumptam: vel quoad nos, prout videlicet *in actu ſecundo* legis obligatione conſtringimur; utraque hæc neceſſitas ad præſentis controverſiæ argumentum pertinet. Eſt vero indubitatum: univerſim legem illam, quæ abrogationi ſubjecta eſt, non eſſe ita quoad ſe neceſſariam, ut penitus deſinere non poſſit; poſſe item legis quoad nos obligationem tolli, ſi lex patiatur diſpenſationem, ſi interpretationi proprie tali ſit obnoxia, aut invincibiliter ignorari queat. Unde, ut de propoſita ſtatuatur quæſtione, ſatis fuerit definire primum: an lex naturæ quoad ſe, ipſam videlicet ſuam exiſtentiam abrogari poſſit? item: an ſaltem in illa diſpenſari poſſit? aut, num patiatur interpretationem proprie talem? vel demum, an poſſit invincibiliter ignorari? Quid quid porro iſtud de legis naturalis neceſſitate & immutabilitate eſt controverſiæ, dubitari nequit eam moveri ſolum ex hypotheſi creaturæ rationalis non modo conditæ, ſed & conſervatæ, etiamnum proinde exiſtentis; certum quippe eſt, legem naturæ complete ſumptam omnino non exſtituram, ſi Deus creaturam rationalem (ut poteſt) conſervare deſinat, atque ita illius exiſtentia deficiat.

ASSERTIO I.

Lex naturæ ita eſt neceſſaria, ut abrogari non poſſit.

91 NImirum univerſim legis cujuslibet abrogatio tum evenit, dum aut ceſſat finis legis: aut lex ipſa legitime revocatur.

catur.

catur. Jam vero ex neutro horum capite fieri poteſt, ut lex naturæ abrogetur.

Non ex *primo:* nam legis naturæ finis eſt, ut creatura rationalis convenienter ad naturam ſuam vivat, hacque vivendi ratione gloriam Dei extrinſecam promoveat; quod ipſum eſt naturæ rationalis commune bonum. Cum igitur iſtud Deus ſummo jure ſuo poſſit ſemper exigere: imo vi ſapientiæ, providentiæ, ac ſanctitatis etiam exigere debeat; cumque lex naturæ ad hunc finem obtinendum ſemper ſit non tantum opportuna, ſed & neceſſaria: ut quæ ea tantum prohibet, quæ natura ſua mala ſunt: nec præcipit alia, quam quorum omiſſio pariter ex ſe mala eſt; plane conſequitur, legis naturalis finem non poſſe unquam deſinere.

Non etiam ex *altero:* quis enim is, qui præcepta naturalia legitime revocet? Certe poteſtas hæc Deo attribui nequit: eædem quippe perfectiones divinæ, quæ exigebant legem naturalem ferri, latam quoque conſervari exigunt. Perinde ſcilicet natura rationalis ſapienter ac provide non gubernaretur ad finem ſibi neceſſario præſtitutum, ſi lex naturæ deficeret, atque ſi lata nunquam fuiſſet: eadem igitur neceſſitate, qua illam ferre Deus debuit, tueri etiam & conſervare neceſſe habet.

Minus vero poteſtatis hujus prærogativa convenire poteſt creaturæ: quæcumque enim ea ſit, eſt Deo ſubjecta, illo proinde inferior; quis autem inferiori id juris tribuat, ut Superioris ſui ordinationem revocare poſſit? Ex quo una conficitur, nulla contraria lege aut conſuetudine humana jus naturæ abrogari poſſe. Recte proinde Lactantius L. 6. de Inſtit. C. 8. generatim ait: *huic* (legi naturæ) *nec abrogari fas*

fas eſt, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari poteſt, nec aut per Senatum, aut per populum ſolvi hac lege poſſumus; - - omnes gentes, & omni tempore una lex, & ſempiterna, & immutabilis continebit. Et de conſuetudine legi naturæ contraria Gregorius IX. Cap. *Cum tanto*, de Conſuetud. *nemo*, inquit, *ſanæ mentis intelligit naturali juri (cujus tranſgreſſio periculum ſalutis inducit) quacumque conſuetudine (quæ dicenda eſt verius in hac parte corruptela) poſſe aliquatenus derogari.*

ASSERTIO II.

In lege naturali non poteſt ab ullo diſpenſari; eadem non patitur interpretationem proprie talem; nec poteſt invincibiliter ignorari quoad prima ſaltem, & magis generalia præcepta, ac etiam ea, quæ cum his perſpicuam habent connexionem.

92 PArs I. evincitur ex ipſa diſpenſationis notione. Quid enim eſt in lege vero ac proprio ſenſu diſpenſare? niſi concedere, ut licite agatur contra legem, manente ejus materia, & perſeverantibus circumſtantiis omnibus, in quibus lex cæteroqui viget & obligat; at profecto ne Deus quidem concedere poteſt, ut, manentibus Legis naturæ circumſtantiis omnibus, licitum ſit adverſus eam quidquam committere, ut ex iis, quæ jam ſparſim dicta ſunt, facile colliges. Omnis nimirum actio vel omiſſio, juris naturalis præcepto obnoxia, eſt natura ſua mala; quis autem non videat? actionis ejuſmodi conceſſionem pugnare cum Dei ſanctitate, & ſumma in regendo homine ſapientia ac providentia. Hoc certe nomine legem naturæ ferri a Deo oportuit: qui igitur fieri poſſit? ut, ſalva nihilominus perfectione ſua, ab ejus obligatione quemquam eximat. Atque hæc de diſpenſatione pro-

Digitized by Google

proprio ſenſu accepta: eam enim, quæ quibusdam eſt improprie talis, in aliquibus præceptis naturalibus a Deo fieri poſſe, infra N. 97. adnotabimus.

Quod vero ad humanam poteſtatem attinet, vix operæ pretium fuerit de ea quæſtionem inſtituere: quando nemini ignotum eſt, in lege Superioris proprie diſpenſari non poſſe ab inferiore, cum & ipſe Superioris ſui lege adſtringatur. Extra omnem proinde dubitationem ponendum eſt: a nullius, ne ſacri quidem humani Magiſtratus auctoritate proprie diſpenſari poſſe in iis, quæ aliquo legis naturæ præcepto comprehenduntur.

Pars II. perinde certa eſt, modo, quid interpretationis 93
proprie talis, ſeu *epijkiæ* nomine veniat, attendatur. Eſt nimirum illa non ſolum legis explicatio, ſed ſimul correctio, qua ſcilicet actus, cæteroqui lege comprehenſus, per benignam interpretationem in æquitate fundatam a lege eximitur. Unde interpretatio hæc ſupponit defectum in lege, & caſum a Legislatore non prævifum; cum igitur Deus legis naturæ auctor omnes caſus intime præviderit: ac etiam circumſtantias omnes, in quibus actus aliquis natura ſua bonus vel malus eſt, præceptis naturalibus integre ſit complexus, fieri nequit, ut in lege naturæ *epijkia* locum habeat. Quod ſi proinde occurrat caſus, in quo lex naturæ e. g. de ſecreti fide ſervanda non ſit, prorſus cenſendum eſt, eum ab ipſo Legislatore Deo exceptum eſſe. Hujuſmodi porro judicium dicitur interpretatio minus propria, ſeu mera legis declaratio, qua explicatur, qui actus lege comprehendantur; cui quidem legem naturæ ſubjectam eſſe, ambigi non poteſt: cum nonnulla ejus præcepta propter circumſtantiarum varietatem

tatem paulo difficilius intelligantur. Ita e. g. lex naturalis fidem ſecreti præcipiens ex Doctorum interpretatione non extenditur ad caſum, in quo ſecreti cuſtodia Reipublicæ fieret graviter noxia.

94 Pars III. repetitur inde, quod lex naturæ ſit homini cum ipſo rationis lumine inſita: fieri igitur nequit, ut ea, quæ per ſe intellectui manifeſta ſunt, mens rationis compos ita ignoret, ut ignorantiam hanc depellere ac ſuperare non poſſit. Eſſe autem ita manifeſta juris naturæ præcepta prima & univerſalia, eaque etiam, quæ cum his perſpicue connectuntur, res ipſa ſatis docet: quando vel ſola terminorum, quibus conſtat, cognitio eorum veritatem prodit. Inde experientia ipſa docemur, unum quemque, etiam rudem, abſque labore & magiſtro, ſolius rationis ductu facile intelligere; *ſectandum eſſe honeſtum, fugiendum inhoneſtum: quod quis ipſe ſibi fieri nollet, faciendum non eſſe alteri;* atque ex his continuo eruere, *Deo deberi cultum, honorem parentibus &c. fas non eſſe committere homicidium, furtum, mendacium* &c. Quod ſi jam vero quoad hæc legis naturæ præcepta nequeat dari ignorantia, quæ facile ſuperari non poſſit, ultro conſtat, inculpabilem eſſe non poſſe: quodque hinc conſequitur, id genus præcepta ſuam *in actu ſecundo* obligandi vim neutiquam amittere per ignorantiam. Fruſtra igitur exiſtimaverit quiſquam, a culpæ reatu ſe immunem reddi, ſi forte per ignorantiam contra hujuſmodi præcepta quidpiam admiſerit; hanc quippe legem (ut in Pſal. 57. ait Auguſtinus) *& antequam lex* (poſitiva) *daretur, nemo ignorare permiſſus eſt: ut eſſet, unde judicarentur, & quibus lex* (poſitiva) *non eſſet data.*

Idemne autem (quæret aliquis) exiſtimandum univerſim de lege naturæ qualibet? minime; ſunt etenim particu-

laria

laria quædam juris naturæ præcepta adeo implicata & abſtruſa, ut non niſi per remotiores concluſiones ex primis naturalibus principiis deduci poſſint. Atque hæc, non dico rudium, ſed vel doctiſſimorum perſpicaciam nonnunquam effugere, ſatis comprobant complures de jure naturali controverſiæ, circa quas ſanctitate non minus quam doctrina illuſtres viri in diverſas abeunt ſententias: quorum tamen partem alterutram nemo niſi temere damnaverit. Hujuſmodi igitur præcepta, dum progreſſu temporis pleniorem lucem accipiant, citra culpam ignorari, nec obligationem inducere, haud inficior.

Diluuntur Objectiones.

QUod Aſſertionem I. videtur controverſam facere, eſt I. 95
quod Gloſſa in C. 17. Eccleſiaſtici ſuper illud, *addidit eis diſciplinam & legem vitæ*, dicat: *legem literæ quantum ad correctionem legis naturalis eſſe ſcriptam;* igitur lege ſaltem Dei poſitiva corrigi, atque adeo abrogari etiam poteſt lex naturæ. Ac ſane, cum id juris ſit Legislatori humano in ſuas leges: cur idem pariter in ſuas, quales ſunt naturales, Deo non conveniat? Imo

II. Ne auctoritati quidem humanæ poteſtas hæc neganda videtur. Etenim 1*mo*, tametſi jure naturæ omnia bona fuerint communia, omneſque homines liberi: jure nihilominus gentium, quod humanum eſt, introductam novimus bonorum diviſionem, proprietatem, & ſervitutem. 2*do*, lege naturali nefas eſt retineri rem alienam invito domino: cum interim iſtud jure humano liceat beneficio præſcriptionis. 3*tio*, contractus complures, qui ſpectato naturæ jure ſunt validi, hoc uno nomine irriti redduntur, quod careant ſo-

Digitized by Google

lemnitatibus lege humana requiſitis. Hæc autem omnia prorſus legitime eſſe conſtituta, nullus in dubium revocat; quid ni igitur poteſtas humana legem naturæ ex parte ſaltem jam abrogaverit, ac porro etiam abrogare poſſit?

Reſp. ad I. cum Doctore Ang. 1. 2. qu. 94. Ar. 5. ubi ad 1. Gloſſam explicans, docet: *quod lex ſcripta dicitur eſſe data ad correctionem legis naturalis, vel quia per legem ſcriptam ſuppletum eſt, quod legi naturæ deerat; vel quia lex naturæ in aliquorum cordibus quantum ad aliqua corruptum erat in tantum, ut exiſtimarent eſſe bona, quæ naturaliter ſunt mala: & talis corruptio correctione indigebat.* Nec urget, quod de Legislatore humano adjicitur. Satis quippe conſtat, legis ab eo latæ finem nonnunquam deſinere: aut occurrere ſaltem circumſtantias non raro, quæ rationabiliter ſuadeant eam abrogari: quælibet denique lex, quæ mere humana eſt, libera hominis voluntate fertur; nil igitur mirum, Legislatorem humanum ſuas leges mutare, revocare, ac penitus abrogare poſſe. Nihil ex adverſo horum eſt, quod legem naturalem ulli mutationi aut abrogationi obnoxiam faciat, ut patet ex N. 91.

Reſp. ad II. N. aſſertum, idque ex ratione, quam eod. N. 91. reddidimus. Fruſtra autem certe ad ea, quibus aſſerti probationem quidam confectam putant, provocaveris; nihil quippe eorum eſt ejuſmodi, ex quo judicari poſſit, aliqua legis naturalis præcepta jure humano eſſe abrogata.

Non 1*mum:* etenim bonorum communio de jure naturæ fuit ſolum *negative;* hominum autem libertas *poſitive* quidem, at ſub conditione duntaxat, ſi nulla interveniat culpa & injuria. Sed clarius loqui libet. Itaque non diffiteor lege naturali

turali permiſſam eſſe bonorum communionem: at præceptam illam, ſimulque eorum diviſionem & proprietatem (quod quidam nullo prorſus fundamento aſſerunt) eſſe prohibitam, omnino inficior; ſalva igitur naturæ lege diviſio hæc & proprietas jure humano induci poterat ex cauſa rationabili, e. g. ut acueretur hominum induſtria, ut res majore ſtudio curarentur &c. Quod vero ad libertatem attinet: equidem illa homines frui jus naturæ voluit nulla intercedente culpa vel injuria; non prohibuit attamen, ne quis ob admiſſam culpam vel injuriam libertate exueretur: hinc cum injuriæ juſto bello vindicari poſſint, atque in hoc necem etiam inferre homini liceat, æquiſſima plane gentium conſenſione factum eſt, ut in caſu juſti belli mors in ſervitutem commutaretur. Atque hinc facile intelligas, JCtos in Inſtit. *de Jure Nat. Gent. & Civ.* minus proprio ſenſu loqui, cum dicunt *ſervitutem naturali juri eſſe contrariam;* certe eod. Tit. Imperator ait: *naturalia quidem jura -- ſemper firma atque immutabilia permanent.*

Non *2dum:* nam lege naturali prohibetur ſolum, ne quis rem alienam, quamdiu aliena eſt, retineat invito Domino; jam vero præſcriptio transfert dominium rei in præſcribentem, ut adeo is non amplius rem alienam, ſed ſuam præſcriptionis beneficio retineat. At hæc ipſa forte præſcriptionis prærogativa contra jus naturæ introducta eſt? imo huic illam plane conformem exiſtima, cum introducendæ præſcriptionis ratio & finis ſit bonum commune: ne videlicet rerum dominia ſemper ſint incerta *princip. Inſtit. & l.* 1. *ff. de uſucap.* ut lites, vix finiendæ alias, certi temporis lapſu extinguantur *l. ult. ff. pro ſuo:* ut acuatur hominum induſtria in rebus ſuis inquirendis, & juribus conſervandis *C.* 5. *de Præſcript. & pr. Inſtit. cit.* ut denique jura ſua & res oſci-

Digitized by Google

tanter curantium puniatur negligentia *l. 2. Cod. de Annaſi except.*

Non 3*tium:* lex quippe humana, ad contractus valorem requirens ſolemnitates, addit duntaxat aliquid, quod jure naturæ non eſt neceſſarium,, nec tamen una prohibitum. Adjectione igitur hujus ſolemnitatis non derogatur juri naturali: vel ideo enim, quod eas non prohibeat, legitimo Magiſtratui relinquit integrum de celebrandis contractibus ſtatuere ea omnia, quæ in bonum commune expediunt. Expedire autem ſolemnitates lege humana requiſitas, dubitari non poteſt: cum earum uſu caveatur, ne temere ineatur contractus, ne quis in contrahendo interveniat dolus &c. Iſthuc vero univerſim ſpectare ſolemnitates lege humana præſcriptas, conſtat tam ex Jure Civili, præſertim Tit. *de Obligation.* & *Quibus modis re contrahitur obligat.* item *de Verb. obligat.* & aliis: quam ex Canonico Tit. *de Pactis*, & L. 3. Decretal. a Tit. 13. uſque ad 20.

96 Momentis, quibus Aſſertionis II. pars ſecunda & tertia impugnatur, haud difficile erit occurrere, ſi modo animum identidem advertas ad ea, quibus utriuſque hujus partis aſſertum affirmare & illuſtrare adniſi ſumus. At enim pars ejusdem Aſſertionis prima validioribus urgetur argumentis; hæc proinde paulo copioſius referenda & reſolvenda erunt. Opponitur autem

I. Univerſim Legislator ea poteſtate, qua fert leges, in illis quoque diſpenſare poteſt: ut clarum eſt ab exemplo Magiſtratus Eccleſiaſtici & Politici; eamdem ergo poteſtatem fatendum eſt eſſe in Deo, legis naturalis auctore. Ac omnino

II. Hæc

II. Hæc ipſa fuit olim S. Bernardi ſententia; nam L. 1. de Præcepto & Diſpenſat. C. 3. inter divina præcepta differentiam aſſignans, alia vocat *incommutabilia:* alia *inviolabilia*, quæ a Deo tamen ſolvi poſſint. Ita autem de his ſermonem proſequitur. *Quod inviolabile nominavi, illud intelligo, quod non ab homine traditum, ſed divinitus promulgatum, niſi a Deo, qui tradidit, mutari omnino non patitur, ut exempli cauſa: Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, & reliqua illius tabulæ legiſcita; quæ etſi nullam prorſus humanam diſpenſationem admittant, nec cuiquam hominum ex his aliquo modo ſolvere aut licuit, aut licebit: Dominus tamen horum quod voluit, & quando voluit, ſolvit, ſive cum ab Hebræis Ægyptios ſpoliari, ſive quando Prophetam cum muliere fornicaria miſceri præcepit.*

III. Negari ſaltem non poteſt, legem naturæ de honorandis Parentibus ſubjectam eſſe divinæ diſpenſationi: cur enim ſummo jure ſuo Deus nequeat præcipere filio, ut Patrem fame interire ſinat, eidemque non præſtet obedientiam? hoc ipſum autem foret diſpenſare.

Reſp. ad I. Diſt. aſſert. in illis diſpenſare poteſt, quas tulit libere C. quas tulit neceſſario, uti legem naturæ a Deo latam alias comprobavimus N. Atque hinc patet non recte argui a Magiſtratu humano, ut qui leges ſuas libera voluntate condit; ſicut proinde eas poterat non condere, ita conditas pro arbitrio poteſt revocare, aut in illis diſpenſare. Libertatis porro hujus & neceſſitatis diſcrimen ab ipſa legis materia repetitur. Ea nimirum, quæ lex mere humana pro objecto habet, ſunt ejuſmodi, ut facienda ſint, quia præcepta: vitanda, quia prohibita. Ex adverſo legis naturæ materia vel eſt ex ſe ita bona, ut neceſſario præcipienda fuerit:

fuerit: vel ex ſe ita mala, ut non potuerit non prohiberi.

Reſp. ad II. verba D. Bernardi congrue exponi de diſpenſatione improprie tali, quæ videlicet fieret a Deo mutatione materiæ, cæteroqui legi naturali ſubjectæ. Recte autem ibid. vel hanc diſpenſationem, prout illa Deo eſt propria, poteſtati humanæ abjudicat: nam homo nequit perinde ac Deus immutare materiam plurium legum naturalium. Cæterum fateor, regulam cit. Cap. a S. Bernardo traditam ne de diſpenſatione quidem improprie tali integre ſuſtineri poſſe; exceptione proinde aliqua limitare eam oportet. Generatim nimirum illic pronuntiat: Deum in Præceptis primæ tabulæ diſpenſare non poſſe; poſſe contra in tabulæ alterius præceptis; in his vero nullam prorſus diſpenſationem humanam admittit. Profecto autem, ſi de diſpenſatione ſenſu improprio accepta ſit ſermo, quoad aliqua horum conſtat oppoſitum. Sic enim Deus per Eccleſiæ Præpoſitos diſpenſat in voto & juramento promiſſorio, quæ tamen ad primam tabulam pertinent; circa mendacium contra, quod eſt materia ſecundæ tabulæ, nequit ratione ulla diſpenſare; demum, in aliquo ſaltem hujus tabulæ præcepto humanam quoque diſpenſationem, quæ ſit improprie talis, locum habere, certum eſt ex jure præſcriptionis, condonationis &c. At de hac diſpenſationis ſpecie ſequ. N. pluribus dicendum erit.

Reſp. ad III. ſunt, qui contendant, legem naturæ de honorandis Parentibus ne impropriam quidem pati diſpenſationem. Qui contra ſentiunt, eatenus eam a Deo fieri poſſe exiſtimant, quatenus ſumma auctoritate ſua Deus privare poſſet e. g. Patrem jure paterno, vi cujus ei debet filius obedientiam & reverentiam; cum igitur in hoc jure fundetur lex naturalis, ſublato illo ſufferretur quoque materia legis,

Digitized by Google

legis, atque ita fieret ſolum improprie talis diſpenſatio, quæ adverſum nos non pugnat.

Urgebit attamen aliquis I. ab exemplis, quæ Deum in lege naturæ aliquando diſpenſaſſe comprobare videntur. Certum nimirum eſt, præcepto naturali prohiberi idololatriam, occiſionem innocentis, mendacium, fornicationem, furtum, polygamiam ſimultaneam; Scripturæ nihilominus teſtimonio docemur, Deum diſpenſaſſe cum Naaman Syro, ut idolum adoraret Rege adorante 4. *Reg.* 5. *V.* 18. & 19. cum Abrahamo, ut Iſaac innocentem interficeret *Gen.* 22. cum obſtetricibus Ægyptiis in mendacio, ſecus enim illud remuneratus non fuiſſet *Exod.* 1. cum Oſea Propheta in fornicatione, præcepit quippe illi acceſſum ad meretricem *Oſee.* 1. cum Judæis in furto, ut vaſa Ægyptiorum auferrent *Exod.* 11. demum cum Patriarchis veteribus in polygamia, ut conſtat de Abrahamo, Jacobo &c. 97

II. Ab exemplo diſpenſationis humanæ, qua novimus haud raro obtineri ſolutionem a vinculo naturali. Quis enim neſciat Summum Pontificem diſpenſare nonnunquam ſuper Epiſcoporum reſidentia, in matrimonii vinculo, in voto, juramento promiſſorio &c. quorum tamen obligatio eſt juris naturalis.

Reſp. I. Generatim ad utrumque: complura ſunt exempla diſpenſationis in lege naturali factæ a Deo & homine, diſpenſationis inquam proprio & ſtricto ſenſu acceptæ N. diſpenſationis latiore duntaxat & minus proprio ſenſu ſumptæ C. neque omnino in exemplis relatis aliam eſſe, patebit ex Reſp. II. Sed nimirum ad iſtud plenius intelligendum prævie

notaſſe juverit aliqua de utraque hac diſpenſationis ſpecie. Itaque

Diſpenſationem proprie talem ajo eſſe illam, qua quis obligatione legis exolvitur in eo, quod etiamnum eſt materia legis: ac tametſi perſeverent circumſtantiæ omnes, in quibus lex cæteroqui obligat. Accipe exemplum: Titius vult ſuæ in quarto gradu conſanguineæ matrimonio jungi, idque ex cauſa ejuſmodi, quæ non mutat circumſtantias, in quibus lex eccleſiaſtica obligat; cauſa igitur hæc ſecundum ſe non efficiet, quo minus Titii nuptiæ ſint inceſtuoſæ: legitimæ contra erunt, ſi eum Pontifex (ut poteſt) etiam in his circumſtantiis a legis vinculo abſolvat. Atque hujuſmodi ſolutio vinculi foret diſpenſatio proprie dicta, quam contendimus a nemine fieri poſſe in ulla naturali Lege.

Diſpenſatio latiore ſenſu accepta eſt, dum ab aliquo objectum ita mutatur, ut deſinat eſſe legis materia; vel etiam (juxta quoſdam) dum quis mere declarat actum pro hac nominatim circumſtantia lege non comprehendi. Jam vero utroque hoc ſenſu diſpenſari poſſe in quibusdam ſaltem juris naturæ præceptis, certum eſt: cum enim eorum nonnulla ſint paulo obſcuriora, explicatione & declaratione opus habent; cum item quorumdam materia Dei aut etiam hominis dominio ſubjiciatur, ab iisdem utique mutari poteſt. Dico *quorumdam*, non omnium: nam aliquorum materia, circa quam verſantur, ne divinitus quidem mutari poteſt, ut e. g. idololatria, odium Dei, mendacium &c. Cæterum fateor, diſpenſationis hoc latiore ſenſu acceptæ nomen eſſe prorſus improprium, neque uſum illius eſſe neceſſarium ad explanandas hujus loci difficultates, ut rem expendenti facile patebit; quia tamen illo paſſim utuntur Jura & Scholaſtici,

Digitized by Google

ſtici, utimur & nos, ne a recepto loquendi more diſcedamus. Verum jam propius ad rem. Igitur.

Reſp. II. & quidem ad I. ſola explicatione opus eſſe, ut quiſque intelligat, in objectis exemplis ne veſtigium quidem haberi diſpenſationis proprie talis, & quæ hoc nomine digna ſit. Ita autem de ſingulis habe.

Naamani declaratum eſt duntaxat ab Eliſæo, quod ante idolum procumbere mere ad Regem idolum adorantem ſuſtentandum (quod Naamanis officium erat) non ſit idoli adoratio: licite proinde illum hoc uno fine poſſe genuflectere & procumbere coram *Remmon*, Damaſcenorum idolo. Hoc ſenſu cum Menochio communiter ſacri Interpretes exponunt illa Eliſæi ad Naamanem verba: *vade in pace* V. 19.

Abraham, immolare Iſaacum juſſus, a Deo acquiſivit jus in vitam filii; vel ideo præterea, quod præceptum hoc Dominus tulerit, juſſus eſt Abraham filium occidere auctoritate divina, non ſua privata. Nihil igitur admiſſurus erat contra legem *non occides*, ſi juſſu Dei immolaret filium: cum hæc naturæ lex ſolum prohibeat occiſionem, quæ fiat, auctoritate privata, ac eo caſu, quo non habetur jus in vitam alterius. Ex quo patet, caſum præſentem non comprehendi lege memorata. Idem dicendum de Samſone ſe ipſum ruina domus interficiente Judic. 16. quanquam de hoc aliter alii.

In obſtetricibus Ægyptiis remuneratus eſt Dominus benevolentiam juvandi maſculos Hebræorum: non vero mendacium, quo benevolum ſuum factum tegebant. *Et quia* (ait ſacer textus) *timuerunt obſtetrices Deum*, *ædificavit eis domos;* quomodo autem timuerunt? utique ſervando maſculos, quos

 Pha-

Digitized by Google

Pharao voluit interfici. Hunc timorem, ortamque ex eo benevolentiam ſerius conſecutum eſt mendacium.

De imperato Oſeæ ad meretricem acceſſu non una eſt Doctorum opinio. Ex mente D. Thomæ 1. 2. qu. 100. Ar. 8. ad 3. *Oſee accedens ad uxorem fornicariam, vel mulierem adulteram, non eſt mœchatus, vel fornicatus, quia acceſſit ad eam, quæ ſua erat ſecundum mandatum divinum, qui eſt auctor inſtitutionis Matrimonii.* Alii cum Hieronymo in C. 1. Oſee, & Auguſtino L. 22. contra Fauſtum C. 80. exiſtimant fuiſſe præceptum Oſeæ, ut mulierem, quæ antea fuit fornicaria, in uxorem duceret, atque ex ea jam ſua filios procrearet. Quamvis autem hoc caſu filii futuri erant legitimi, Deus attamen eos vocat *filios fornicationum* propter antecedens matris opprobrium: ita & Moyſis virga, etiam poſtquam in ſerpentem converſa eſt, virgæ nomine compellatur Exod. 7. V. 12. Utroque horum Objectioni ſatis occurritur.

Judæis non eſt facultas data ad Ægyptiorum vaſa furto ſufferenda; furtum enim committitur, cum aufertur res aliena, etiamnum ſcilicet dominio alterius obnoxia: in præſenti vero vaſorum dominium ab Ægyptiis ad Judæos ſupremo ſuo jure Deus tranſtulit, id quod vel poteſtate humana fieri quandoque poteſt. Ita Auguſtin. L. 2. Quæſtion. in Exod. qu. 39. & L. 22. contra Fauſtum C. 71. item D. Thom. pluribus locis. Idem eſt de conceſſione Iſraelitis facta, ut pecuniam ſuam alienigenis darent ad uſuram, Deut. 23. V. 20.

Plurium uxorum conceſſio, Patriarchis & quibusdam poſt diluvium aliis facta, varie exponitur a Theologis. Multis videtur legem naturæ, qua polygamia vetatur, eſſe conditionatam duntaxat, niſi nimirum divina accedat conceſſio.
Opi-

Digitized by Google

Opinionem hanc nos ipſi amplexi ſumus L. VIII. de Matrim. Diſſert. III. §. II. Num. 54. Alii cum Emin. Gotti Tract. 5. de Leg. qu. 3. §. 4, putant, legem hanc non extendi ad eas circumſtantias, in quibus poſt diluvium adeo neceſſaria fuit generis humani propagatio; Deum proinde iſthic non feciſſe ullam polygamiæ conceſſionem novam: verum declaraſſe tantum, legem de unitate uxoris pro hoc caſu non obligare, eamque unitatem pro hoc tempore non eſſe legis materiam. Primæ opinionis uſus eſſe poteſt tum etiam, cum objicitur repudii libellus, quo in Lege Moſaica ſolvebatur Matrimonii vinculum. Vide a nobis in hanc rem dicta paulo ante cit. L. VIII. Num. 56.

Reſp. item ad II. rurſus in nullo horum fieri diſpenſationem proprie talem quoad legis naturalis vinculum. Etenim

Epiſcopos ad reſidentiam teneri jure naturali, non eſt certum: quamvis jus divinum recte deducatur ex Trident. Seſſ. 23. de Reform. Cap. 1. Ut ut interim ſit illud, in lege hac (ſeu demum ea ſit naturalis, ſeu divina poſitiva) nunquam diſpenſatur proprie: verum a Pontifice declaratur duntaxat, in certis caſibus Epiſcopum non obligari ad reſidentiam. Quod ſi quis amplius velit, dic: legem illam eſſe conditionatam, niſi nimirum Pontifex abſentiam concedat, aliterque poſſit ſufficienter provideri fidelibus.

De Matrimonio, quod in certis caſibus Eccleſia diſſolvit, ſentiendum eſt conformiter ad ea, quæ in Reſp. ad I. de polygamia adnotavimus: vinculum ſcilicet hoc eſſe juris naturalis tantum conditionati, ſolutionem proinde ejus juſtis de cauſis fieri poſſe a Deo, vel homine vicaria Dei auctoritate prædito.

Digitized by Google

Ad vota demum & juramenta quod attinet, quo eorum relaxationem explicent Theologi, duplicem ineunt viam. Ajunt nimirum vota (idem eſt de juramento promiſſorio) a Deo acceptari ſub modo, ita ut iis voventem obligari velit, uſque dum juri ſuo cedat; donec item id, quod vovetur, perſeveret eſſe voti materia. Quæcumque igitur per hominem fiat voti ſolutio, id eatenus contingit, quatenus tacite vel expreſſe auctoritate legitima declaratur, Deum ſuo juri cedere: aut voti materiam deſinere; pro varietate interim cauſæ, in qua fundatur ejuſmodi declaratio, phraſi recepta dicitur votum vel irritari, vel in eo diſpenſari.

Atque ex his facile conjicias, diſpenſationis vocabulum in Jure ipſo eſſe æquivocum, promiſcueque uſurpari tam proprio, quam improprio etiam ſenſu; unde, ut de vera ejus ſignificatione judicari poſſit, attendenda eſt materia, circa quam dicitur fieri diſpenſatio: quæ quidem materia ſi legi naturali ſit ſubjecta, vel ideo exiſtimandum eſt, diſpenſationis nomen ſenſu improprio adhiberi.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO III.

DE LEGE DIVINA.

§. I.

Quid ſit Lex Divina? quam varia? ejuſque origo unde repetenda?

POſt explanatam Legem naturalem diſſerendum eſt de legibus Poſitivis: ac primum quidem de ea, quæ abſoluto nomine *Divina* dicitur. Poſtulat nimirum iſtud tam recti ordinis, quam dignitatis ratio. Primum: quia lex hæc complectitur ipſa juris naturalis præcepta, tametſi his præterea ſuperaddat alia. Alterum: quia quoad omnes mandatorum apices auctorem habet ipſum Deum: quæ prærogativa una (tametſi abeſſent cætera) potiorem utique ac digniorem facit legem divinam quibusvis humanis legibus. Nec deſunt in hoc argumento complura, quæ in exponendo S. Literarum ſenſu ipſos DD. orthodoxos in partes diſtrahant varias: multa etiam, quæ ad confutandos hæreticorum errores Theologo ſcitu ſunt perquam neceſſaria; inde poſt D. Thomam 1. 2. a qu. 98. uſque ad 109. cum Suarezio in Tract. de Leg. L. 9. & 10. operæ ſe facere pretium exiſtimarunt Scholaſtici nonnulli, dum in controverſas de Lege Divina quæſtiones paulo prolixius ex propoſito commentarentur. Horum nos veſtigia ſecuti, præcipua (quod unum licet) controverſiarum capita a §. II. deinceps toto Diſſertationis decurſu ſpeciatim explanare adnitemur: iſthic, ceu in veſtibulo, generatim duntaxat dicturi de Legis Divinæ acceptione, exiſtentia, & varietate; ejusdem demum ſecundum ſummas ſpecies notione, auctore, & promulgatione.

Uſita-

Uſitata Legis Divinæ acceptio.

98 I. Ante omnia (ne quis in ipſo Diſſertationis aditu tricas de voce obtrudat) monuiſſe juverit: ex uſu Theologis recepto eam legem nos abſoluto nomine *Divinam* dicere, quæ ipſa eſt lex *Divina Poſitiva.* Quæ autem hæc? illa inquam, quæ a Deo, & quidem (quoad promulgationis ſaltem modum) libera voluntate eſt poſita; unde non *Divinæ* tantum, ſed *Poſitivæ* etiam appellationem obtinuit. Hoc nomine igitur veniunt præcepta omnia, quæ communitati hominum Deus ipſe permanenter tulit, aliterque, quam per merum rationis dictamen, voce nimirum vel ſcripto promulgavit. Unde lex Divina (prout hic a nobis ſumitur) non ſolum continet præcepta Deo libera, ut ſunt cæremonialia: ſed neceſſaria etiam, videlicet moralia, prout eadem nobis Deus voce vel ſcripto promulgavit; qui promulgationis ritus cum Deo fuerit liber, idemque præceptis utriſque communis, utraque uno *Legis Divinæ*, aut *Legis Divinæ Poſitivæ* vocabulo complecti libuit. Atque hinc in promptu eſt differentia hujus Legis ab ea, quæ *Naturalis* dicitur; tametſi enim hæc quoque ſit divina, utpote Deo auctore lata, nihil tamen eorum continet, quæ libere præcepta ſunt: quin eadem per rationem, homini cum natura inſitam, fuit annuntianda.

99 II. Sed & illud ad vocis hujus acceptionem pertinet, ut intelligatur, quomodo præcepta divina ſumi oporteat; cum Legis Divinæ nomine iſthic deſignantur. Nimirum, cum alias de lege divina ſermo eſt, nomen hoc fere attribuimus ſingulari cuivis Dei mandato, etiam ſeorſim ſumpto, quod tamen ad hominum communitatem pertineat. At hoc loco per legem Divinam poſitivam, ex more Theologorum alio-

Digitized by Google

aliorum, intelligimus plurium legum particularium collectionem, quæ velut quoddam juris Divini corpus integrum conſtituat: in quo videlicet contineantur complura Dei mandata, ac ſtatuta, alicui hominum communitati in eum finem tradita, ut uno eorundem Sacramentorum vinculo veluti colligentur, eodem cultus (etiam externi) ac præſertim Sacrificii ritu utantur, atque ſic unum efficiant corpus myſticum. De his prævie monendus erat Theologiæ ſtudioſus: quando eorum, quæ Diſſertatione hac in quæſtionem vocantur, fere non aliud eſt, quam Lex Divina hoc ſenſu accepta, argumentum.

Varietas Legis divinæ, & exiſtentia.

I. SI ſummas Legis divinæ attendas ſpecies, communiter di- 100
viditur biſariam: in Legem ſcilicet *Veterem*, & *Novam*.

Veteris nomine intelligitur illa, quæ a Deo per Moyſen eſt promulgata, priusque viguit, quam Lex Evangelii obtineret; unde & *Vetus* dicta: ac etiam *Moſaica*. Dicitur item *Vetus Teſtamentum*, ſeu fædus & pactum: quia per eam Deus cum Judæis pepigit, fore illos ſibi in populum electum, cui terra promiſſionis in hæreditatem cederet, ſi legem obſervarent. Quin etiam vocatur abſolute *Lex*, ut Joan. 10. & in Ep. ad Rom. ſæpius: quia (ut communis fert opinio) eſt ordine prima, ſimulque propter antiquitatis prærogativam.

Lex *Nova* eſt ea ipſa, quæ abrogata Vetere, ſucceſſit, hodieque viget, ac vigebit porro. Dicitur *Lex amoris*: quiacum hac per Chriſtum nobi sdatum, divini in nos amoris longe maxima accepimus argumenta. *Evangelica* deinde: quaſi *annuntiatio Salvatoris*, ut vult Auguſtin. L. 2. contra Fauſt. C. 2. idque a voce *Evangelium*, quod rei proſperæ annuntiationem ſignificat. De-

nique *Teſtamentum Novum:* per hanc quippe legem Deus vetus ſuum de mittendo Chriſto pactum opere confirmavit, cum re ipſa promiſſum dedit Salvatorem, & per eum gratiam: unde e.iam peculiari nomine *Lex Gratiæ* vocatur.

101 II. Utriusque jam vero hujus Legis exiſtentiam certiſſimo docemur S. Literarum teſtimonio; ut adeo a nemine illa negari queat, niſi qui una in his Verbum Dei contineri negaverit.

Id igitur iſthic ſolum quæſtionem controverſam facit: num ante utramque hanc Legem fuerit alia, quæ in ſenſu N. 99. expoſito Lex divina poſitiva dici poſſit? Negat Suarez, quæſtionem hanc ex propoſito pertractans L. 9. de Lege Div. C. 1. idemque cum illo DD. communiter opinantur. Mihi (ut rem planius dicam) concedenda videtur lex aliqua divina memorato ſenſu poſitiva jam ante Moſaicam. Nimirum ante legem Moyſi traditam, præter Naturæ Legem omnibus congenitam, complures fuerunt leges libera Dei voluntate communitati hominum datæ, eædemque voce promulgatæ: lex nimirum circumciſionis Gen. 17. lex diſcernendi animalia munda ab immundis ſaltem quoad ſacrificia, ut colligitur ex Gen. C. 7. & 8. lex non comedendi carnem cum ſanguine Gen. 9. Præterea ex inſtitutione Dei libera dabantur etiam Sacramenta, quibus homines aggregarentur populo Dei, hacque aggregatione unum conſtituerent corpus myſticum; id genus Sacramentum erat Circumciſio, & jam ante hanc parvulorum remedium in externo ſigno fidei proteſtativo conſiſtens. Denique non deerat idem Sacrificii ritus, cum præcepto divino fuerit imperatum, ne immunda animantia immolarentur. Hæc jam vero omnia in unum collecta quid ni efficiant quoddam Juris Divini corpus, quale ſupra N. 99. deſcripſimus, ac proinde Legem Divinam Poſitivam?

Haud

Digitized by Google

Haud diffiteor interim, potiori ac meliori jure nomen iſtud attribui Moſaicæ & Evangelicæ Legi; cum in his multo plures, eædemque clarius in univerſum populum promulgatæ contineantur leges: plura etiam, ac ad homines in unam Eccleſiam conjungendos magis idonea Sacramenta: expreſſius denique Sacrificii mandatum commune, & ritus in eo obſervandi ratio longe explicatior; ut adeo ex his omnibus coaleſcens Juris Divini corpus ſit magis integrum ac completum, eoque utentes populi certiorem ac perfectiorem efficiant Eccleſiam, ſeu fidelium cætum, qui ſit unum corpus myſticum. Vel hæc autem ſufficiens erat ratio, ut Lex Divina Poſitiva in duas duntaxat, ceu potiores nimirum, ſpecies divideretur a Theologis; præſertim cum in ſtatu illo, qui legem Moſaicam anteceſſit, communitas hominum maximam partem ſolis naturæ legibus viveret: unde etiam tota illa retro ætas *ſtatus Naturæ* appellationem obtinuit. Inde nos etiam aliorum in dividenda Lege Divina uſum ſequimur; quin tamen litem intentare velimus ulli, ſi forte Legi Veteri ac Novæ tertiam quoque, quæ has anteceſſerit, Legis Divinæ poſitivæ ſpeciem adjiciendam contendat.

Legis veteris notio, auctor, & promulgatio.

I. AD plenam Legis veteris notionem illud cumprimis facit, 102
quod non omnia, quæ hoc nomine veniunt, eadem prorſus ratione ſint intelligenda. Ex uſu nempe apud Chriſtianos recepto Lex Vetus duplici ſenſu accipitur. Latius ſumpta complectitur totam veteris teſtamenti Scripturam: proinde non tantum Libros *Legales*, ſeu Pentateuchum, ſed etiam *Hiſtoricos*, ut ſunt LL. Joſue, Judicum, Ruth, Regum &c. *Sapientiales* item, videlicet Proverbia, Eccleſiaſten, Cantica &c. tum & *Propheticos*, hoc eſt, Davidis Pſalmos cum Prophetis majoribus & minoribus.

Digitized by Google

Quod ſi autem preſſius loquendum ſit, Pentateuchus duntaxat, ſeu Lex per Moyſen promulgata, dicitur Lex Vetus; unde & Chriſtus Luc. 24. a Libris Prophetarum & Pſalmis diſtinguit Legem, *neceſſe eſt*, inquit, *impleri omnia*, *quæ ſcripta ſunt in Lege Moyſi*, & *Prophetis*, & *Pſalmis.* Atque de hac, preſſius videlicet, & magis proprie ſumpta Lege vetere deinceps nobis potiſſimum ſermo erit. Ac primum quidem

103 II. Si de auctore illius quæſtio fiat, hunc non alium eſſe, quam ipſum verum Deum, eſt fidei dogma adverſum quosdam antiquiores hæreticos. Inter hos (teſte Auguſtino L. de Hæreſ. C. 21. & 46.) fuerunt Cerdoniani; qui duo rerum principia ſtatuentes, docebant, *Deum Legis ac Prophetarum non eſſe Patrem Chriſti*, *nec Deum bonum;* quos ſecuti Marcionitæ & Manichæi, *Deum*, *qui Legem per Moyſen dedit*, & *in hebræis Prophetis locutus eſt*, ajebant *non eſſe verum Deum*, *ſed unum ex Principibus tenebrarum.* Ptolomeus vero (cujus Hær. 33. meminit Epiphanius) veterem Legem partim Deo, partim Moyſi, partim Senioribus adſcribebat: Deo quidem ea, quæ veritatem ſapiunt; Moyſi, quæ a recta ratione videntur aliena, ut divortium, lex talionis &c. Senioribus demum traditiones, quarum fit mentio Matth. 15.

Sed enim adverſum hos, & id genus errores alios aperte pugnat Scripturarum, & Traditionis auctoritas. Scripturarum: nam Exodi 20. legimus, *Locutus eſt Dominus cunctos ſermones hos;* vixque Moyſes unquam præceptum annuntiavit ullum, quin illa ſibi ſolemnia verba præmitteret, *Hæc dicit Dominus*, ut videre eſt paſſim in Exodo. Certe ibid. C. 24. non Moyſis tantum, ſed populi etiam totius conſenſu unanimi Lex hæc adſcribitur Deo: *venit ergo Moyſes* (ait ſacer textus V. 3.) & *narravit plebi omnia verba Domini atque judicia; re-*

ſpon-

Digitized by Google

ſponditque populus una voce: omnia verba Domini, quæ locutus eſt, faciemus. Idem ex Libris novi Teſtamenti, quod memorati hæretici Deo attribuunt auctori, docemur Luc. 1. ad Hebr. 1. Act. 3. pluribusque locis aliis, quibus refertur Deum fuiſſe locutum in Moyſe & Prophetis; ut adeo Chriſtus Matth. 15. Phariſæos redarguens merito dixerit: *Vos irritum feciſtis mandatum Dei* &c. Traditionem autem comprobant Patres; præſertim Auguſtinus in Libris contra Fauſtum, Epiphanius Hær. 33. Tertullianus adverſus Marcionem, Hieronymus in Ep. ad Titum &c. Concilia item: nam in Symbolo Conſtantinopol. de ſpiritu ſancto habetur, *qui locutus eſt per Prophetas*; & in Toletano 1. in Fid. Confeſſ. contra Priſcillianiſtas, *ſi quis dixerit alterum eſſe Deum priſcæ Legis, alterum Evangeliorum anathema ſit*; demum Tridentin. Seſſ. 4. de Canon. Script. declarans, ſuſcipere ſe omnes Libros tam veteris quam novi Teſtamenti, pro cauſa reddit: *cum utriusque unus Deus ſit auctor.* Quibus quidem omnibus invicem collatis plane conficitur, non jam Pentateuchum duntaxat, de quo nobis potiſſimum hic ſermo eſt: ſed reliquos etiam veteris Teſtamenti Libros auctorem habere Deum; quidquid interim ſit de eo, an non tantum res & ſententias omnes, ſed ſingula etiam verba Sacris Scriptoribus Deus dictaverit? de quo variant Doctorum opiniones.

III. Quod ad Legis Moſaicæ promulgationem attinet, tum initium ejus factum eſt, cum eam Deus Moyſi tradidit: completa eſt autem promulgatio, dum Moyſes Legem a Deo acceptam populo annuntiavit. Tota porro ſolemnis hujus ritus ſeries copioſe deſcribitur in Libro Exodi C. 19. & 20. ac ſparſim in reliquis uſque ad 36. unde nos præcipua duntaxat aliqua de promulgationis tempore, loco, & modo adnotabimus. 104

Tempus, quo primum Lex data eſt Moyſi, juxta Exod. C. 19. fuit Menſis tertius egreſſionis Iſrael de terra Ægypti: & quidem (ut Apoſtolus ad Gal. 3. notat) anno quadringenteſimo trigeſimo a promiſſione facta Abrahæ: diem etiam D. Thomas in Ep. ad Gal. C. 3. lect. 6. addit, laudati Menſis videlicet ſextam, & a primo Paſchate quinquageſimam. Unde Pentecoſtes feſtum, quo Lex Nova fuit promulgata, coincidit cum die Legis Veteris promulgatæ: ut obſervat Hieronymus Epiſt. ad Fabiolam de 42. Manſionib. Manſ. 12. & Auguſtin. L. de Spir. & lit. C. 16.

In loco promulgationis deſignando, variare videtur Scriptura; cum Legem datam dicat modo in monte Sinai, ut Exodi 19. 24. 31. 34. & ad Gal. 4. modo in monte Horeb, ut Deuter. 4. & 18. Paralip. 5. Malach. 4. Recte attamen loci hujus prærogativa nominatim monti Sinai defertur; nam (obſervante S. Hieronymo L. de Locis Hebraicis) vel Horeb, ſeu mons Dei, eſt mons Arabiæ poſitus juxta montem Sinai: vel eſt idem mons duplici nomine. Quidam alii (apud Emin. Gotti Tract. 5. de Leg. qu. 4. dub. 2. §. 2.) addunt: veriſimile eſſe, nomen Sinai fuiſſe ejusdem montis nomen appellativum a vicino deſerto, quod vocabatur ſolitudo Sinai; proprium vero nomen, magisque excelſam ejus partem ſignificans, a qua mons totus vocatus eſt, fuiſſe Horeb, ſeu Choreb.

De promulgationis modo hæc cumprimis commemoranda ſunt. Populo per tridui ſanctificationem comparato Exod. 19. aſcendit Moyſes in montem Sinai, ibique dein, media inter tonitrua, fulgura, flammas, & tubarum clangores, a Deo legem accepit: toto hoc terrifico apparatu eo ſpectante, ut & Legis latoris majeſtas declararetur, & vel timore induceretur populus ad legis obſervationem. Ore autem primum lex tra-

dita

Digitized by Google

dita eſt Exod. 20. V. 1. deinde ſcripto in duabus tabulis lapideis digito Dei exarata Exod. 24. & 31. Atque hæc Dei mandata, tam voce quam ſcripto accepta, Moyſes de monte deſcendens confeſtim annuntiavit populo, ut in cit. locis memoratur: ut adeo ex merito Legis Veteris promulgator dici debeat.

Sed nimirum ad plenius intelligendum hunc promulgationis modum duo præterea reſolvere juverit controverſa quæſita. 1*mo*, an Deus per ſe ipſum, aut Angelorum duntaxat miniſterio Moyſi Legem tradiderit? 2*do*, qui poſſit dici, quod Moyſes, ad innovandam Legis promulgationem Exod. 34. de monte deſcendens, *cornuta eſſet facie ex conſortio ſermonis Domini?* Præter ſacros Interpretes, de primo agit Suarez L. 9. de Leg. C. 2. & Gotti ſupra cit. §. 2. de altero autem Berti de Theol. Diſcipl. L. 20. C. 7. quorum ductu nos quoque in præſenti ſtatuemus. Itaque

IV. Controverſiæ 1*mæ* fundamentum præbent illa ad Gal. 105
C. 3. verba: *quid igitur Lex? propter tranſgreſſiones poſita eſt, donec veniret ſemen, cui promiſerat, ordinata per Angelos in manu mediatoris.* Ambigua hæc (ut vides) eſt locutio, cum & *Angelorum* fiat mentio, & *Mediatoris*, quo nomine communiter Verbum, ſeu Filius Dei deſignatur; hinc variæ ſunt Patrum ſententiæ. Certe in hunc locum Chryſoſtomus per *Angelos* intelligit Sacerdotes: quem ſenſum attamen Orat. 3. ad Hebræos rejicit. Alii hoc nomine *Verbum Dei*, quod nimirum humana ſpecie apparuerit, intelligendum putant: ut Cyprianus L. 2. contra Judæos C. 5. & L. contra eosdem Tertullianus C. 9. aliique cum Irenæo, Juſtino &c. Communior demum cum S. Auguſtino & D. Thoma eſt opinio, verba hæc exponenda eſſe de veris Angelis, ſcilicet *creatura ſpirituali*: hujus proinde miniſterio datam eſſe Moyſi legem a Deo. Audiatur ipſe Auguſtinus Serm. 6. alias 17. de Diverſis C. 2. ubi

expla-

Digitized by Google

explanans modum, quo Deus apparuit Moyſi, ſimulque obſervans nunc ſcribi apparuiſſe Deum, alias Angelum, ait: *Ne intelligeres Deum per ſe ipſum apparuiſſe, illic tibi expoſitum eſt, quemadmodum apparuerit Deus per creaturam Angelum.*

Atque omnino cum his poſtremis ſentiendum videtur. Etenim cit. C. 3. ad Gal. Apoſtolus expreſſis verbis ait, *Legem ordinatam per Angelos in manu mediatoris*, ſeu Moyſis; unde Act. 7. V. 38. S. Stephanus de Moyſe, *hic eſt*, inquit, *qui fuit - - in ſolitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina:* idemque ibid. V. 53. ad Judæos, *accepiſtis Legem in diſpoſitione Angelorum.* Cum igitur (ut mox patebit) nullum ſit ſufficiens fundamentum vocem *Angelus* ſumendi improprie pro Verbo, ſeu Filio Dei: minus autem pro Sacerdotibus, ut certum eſt; communiter accipitur pro creatura ſpirituali. Quam in rem haud parum momenti adfert illud, quod Paulus in Ep. ad Hebr. C. 1. dicat Legem novam eſſe datam per Filium Dei, dein vero C. 2. V. 2. veterem per Angelos, ita hinc arguens: *ſi enim, qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, & omnis prævaricatio & inobedientia accepit juſtam mercedis retributionem; quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem? quæ cum initium accepiſſet enarrari per Dominum &c.* quod profecto argumenti genus non foret legitimum, ſi Lex vetus æque ac nova per Verbum fuiſſet data. Vide Auguſtinum de Trinit. L. 2. C. 13. item L. 3. C. 10. & 11. Hæc vero (ut vult ſupra cit. Cap. Suarez Num. 9.) probabilius intelligenda ſunt de tota Lege, præceptis proinde etiam moralibus.

Neque opinioni huic adverſatur 1*mo*, quod in Scripturæ locis pro ea laudatis vox *Angelus* nunc ſingulari, alias plurali numero exprimatur; 2*do*, quod ad Gal. 3. Apoſtolus dicat legem

gem ordinatam in manu *Mediatoris*, quod nomen eſt proprium Filii Dei; *3tio*, quod in Exodo legatur cunctos hos ſermones fuiſſe *locutum Dominum*: quem autem illum? utique eum, qui ibid. dixit, *Ego ſum Dominus Deus tuus*. Nihil inquam, horum officit: omnia quippe facili ratione conciliantur cum ſtatuta opinione.

Ita *1mum* conciliari ajo: cur enim congrue dici nequeat? aliis Angelis in terrifico illo apparatu inſtruendo occupatis, unum duntaxat fuiſſe Moyſi locutum, nec tamen eundem ſemper, ſed diverſis vicibus alium, & alium. Similiter *2dum*: nam hic per *Mediatorem* recte intelligitur Moyſes, in cujus manu, ſeu cui lex data eſt per Angelos. Fuit nempe Moyſes veri Mediatoris Chriſti figura, hinc ipſe de ſe Deuter. 5. *ego ſequeſter*, inquit, *& medius fui inter Dominum & vos -- ut annuntiarem vobis verba ejus.* Quidam interim cum D. Thoma in C. 3. ad Gal. lect. 7. per *Mediatorem* intelligentes *Filium Dei*, verba illa, Legem eſſe datam *in manu Mediatoris*, exponunt hoc ſenſu: *in poteſtate Filii Dei*. Conciliatur denique & *3tium*: Angelus enim Moyſi Legem tradens agebat miniſtrum Dei; unde, quaſi in perſona Dei, nomine ejus dicere poterat, *Ego ſum Dominus &c.* Ita Auguſtin. L. 3. de Trin. C. 11. item Gregorius in princip. Moralium, & cum D. Thoma 1. 2. qu. 98, Ar. 3. ad 1. plures alii. Nec obeſt, Dominum fuiſſe locutum Moyſi *facie ad faciem* Exod. 33. nam ex mente Doctoris Ang. nunc cit. Ar. ad 2. *quod dicitur, quod loquebatur ei facie ad faciem, ſecundum opinionem populi loquitur ſcriptura, qui putabat Moyſen ore ad os loqui cum Deo, cum per ſubjectam creaturam, id eſt, per Angelum & nubem ei loqueretur & appareret.* Hanc vero expoſitionem ibid. princ. fundat in ſenſu Auguſtini.

V. Controverſia *2da* eſt nobis cum Proteſtantibus, eaque de 106 ſo-

ſola verſionis puritate : non de verborum ſenſu. Nimirum ſi Interpretes orthodoxi conſulantur, manifeſto comperiet quisque, verba illa *cornuta facies*, a nobis accipi ſolum figurate, pro ſplendore videlicet faciei, ita ut ſenſus ſit: ignoraſſe Moyſen, *quod ſplenderet* vel *ſplendore radiaret facies ſua.* Neque iſtud ignorare poſſunt ſectarii; quid igitur? ne quam nos cavillandi occaſionem prætereant, hanc ſaltem Vulgatæ noſtræ lectionem, *quod cornuta eſſet facies*, cum Rainoldo & Glaſſio communiter inſectantur: auctoremque ejus in voce hebraica קֶרֶן *Keren* hallucinatum fuiſſe declamitant.

At enim ſectariis ego (ut auctoritate primum agam) objicio S. Hieronymum, linguarum ſane peritiſſimum, qui in C. 6. Amos, *in Exodo*, inquit, *juxta Hebraicum & Aquilæ editionem legimus: Et Moyſes neſciebat, quia cornuta erat ſpecies vultus ejus.* Aquilæ nimirum verſio ita habet: κερατώδης ἦν *cornuta eſſet*; in Hebraico autem vox קֶרֶן *Keren*, tametſi proprie ac ad literam ſignificet *cornu*, hoc nomine tamen in Scriptura per metaphoram intelligi ſplendoris radios, quod flammulæ inſtar in pyramidem & cornu aſſurgant, certum eſt Dan. 8. V. 8. & 9. nihil ut nunc dicam de figuratis aliis hujus ſignificationibus. Similiter in illo Exod. 34. V. 29. Verbo קָרַן *Karan*, quod proprie & ad literam idem eſt, ac *cornuta eſſet*, vel (ſi dicere liceat) *cornuaſſet*, ipſi hæretici cum Glaſſio agnoſcunt metaphoram. At (accedat jam ratio) ubi ſenſus eſt metaphoricus, ipſa vox propria recte retinetur: imo ſecus nec fit ſcripturæ verſio, ſed paraphraſis tantum, vel metaphraſis. Inde, licet vox *Keren* figurate ſignificet regnum 1. Paralip. 25. poteſtatem ac furorem Deuter. 33. locum eminentiorem Iſ. 5. in his omnibus locis attamen vel hæretici in ſuis verſionibus retinendum cenſuerunt proprium vocabulum *cornu*. Cur non igitur Vulgatæ noſtræ auctori verbum *Karan*

Exod.

Digitized by Google

Exod. 34. eodem jure licuit ad literam reddere, *cornuta eſſet?* Non auctor proinde Vulgatæ, ſed hæretici eum perperam carpentes hallucinantur.

Legis Novæ notio, auctor, & promulgatio.

I. PErinde ac Lex Vetus, ſic & Nova latius ſumpta comprehendit omnes Novi Teſtamenti canonicos Libros. 107
Hos inter alii dicuntur Legales, qui leges, videlicet a Chriſto latas continent: ac hi ſunt ipſi quatuor Evangeliorum Libri. *Hiſtoricus* item, qualis eſt Liber, qui *Actus Apoſtolorum* inſcribitur: in hoc Chriſti per Apoſtolos geſta ex propoſito enarrantur. Deinde *Sapientiales*, qui novæ Legis ſapientiam ſecundum doctrinam & exempla Chriſti pleniſſime tradunt: id genus ſunt canonicæ Apoſtolorum Epiſtolæ. Demum *Propheticus*, ſeu Joannis Ap. Apocalypſis: in quo ſtatus Chriſti Eccleſiæ futurus prædicitur. Preſſius autem & magis proprio ſenſu accepta Lex Nova de ſolis Chriſti mandatis, iisque tam moralibus quam cæremonialibus, intelligenda eſt; quia vero hæc potiſſimum in Evangeliorum Libris annuntiantur (tametſi alii etiam eadem per occaſionem repetant) idcirco Evangelia ut plurimum veniunt nomine Legis Novæ.

II. Hujus jam porro Legis Evangelicæ auctorem eſſe Chri- 108
ſtum adeo manifeſtum eſt ex S. Literis, ut eum, qui iſtud neget, & Scripturæ nihilominus auctoritati aliquid deferat, cæcutire, inſanire imo oporteat. Lutherus attamen & Calvinus, quamvis utrique nihil ſolemnius, atque ad Scripturam provocare, non ſunt veriti Chriſto abjudicare Legislatoris Evangelici prærogativam, impie docentes: Chriſtum obiiſſe tantum munus Redemptoris, non Legislatoris; non inſtituiſſe novam Legem, ſed veterem duntaxat abrogaſſe. *Nulla lege* (L. de li-

libert. Chriſt. ait Lutherus) *homini Chriſtiano opus eſt* , *cum per fidem ſit liber ab omni lege.*Et Calvinus in illud ad Gal. 4. *miſit Deus Filium ſuum* , - - *ut eos : qui ſub lege erant* , *redimeret*, ita exclamat: *o pernicioſum errorem prædicantium Chriſtum Legislatorem! quaſi veterem legem abrogaverit*, *ut novam Chriſtianis imponeret. Non fuit id Chriſti officium &c.*

Oppoſita eſt Eccleſiæ Catholicæ doctrina ; hinc Trident. ſeſſ. 6. Can. 21. memorati erroris patronos anathemate ferit, contra Luth. & Calv. docens : Chriſtum a Deo hominibus eſſe datum non tantum ut Redemptorem , ſed etiam Legislatorem , cui obediant. Ita porro rem habere teſtatur Scriptura utriusque Teſtamenti. Veteris quidem: nam Iſaias C. 2. *de Sion*, inquit , *exibit lex* , *& verbum Domini de Jeruſalem* ; iſtud vero de Meſſia, ejusque lege dici contextus docet. Idem C. 33. *Dominus enim Judex noſter* , *Dominus Legifer noſter*, *Dominus Rex noſter ipſe ſalvabit nos* ; ubi vides eum , qui Salvator futurus erat, ſimul Legislatorem appellari Novi etiam Teſtamenti: cum in eo Chriſtus ſæpe de ſua lege ac mandatis loquatur. Ita *mandata mea ſervate* Joan. 14. *Si præcepta mea ſervaveritis*, *manebitis in dilectione mea*, ibid. 15. *Docentes eos ſervare omnia*, *quæcumque mandavi vobis* Matth. 28. Demum de ſe ipſo loquens Apoſtolus, 1. Cor. 9. *illis*, inquit , *qui ſine lege erant*, factus ſum *tanquam ſine lege eſſem* , *cum ſine lege Dei non eſſem* , *ſed in lege eſſem Chriſti.*

109 III. Promulgatio Legis Novæ id peculiare habuit , quod ipſius auctoris ſui Chriſti voce fieri cœperit. Ipſe nimirum Chriſtus tam ante, quam poſt mortem ſuam fidei Evangelicæ myſteria partim Apoſtolos, partim quosdam alios edocuit ; Sacramenta nova non tantum inſtituit, ſed uſum etiam quorumdam eſſe neceſſarium diſertis verbis annuntiavit ; præcepta moralia multa , quin

Digitized by Google

quin & cæremonialia quædam ipſe viva voce promulgavit: ut hæc omnia conſtant ex Evangeliorum Libris. At enim initium hoc duntaxat fuit promulgationis; plenior dein facta eſt die Pentecoſtes, cum Apoſtoli, Spiritu S. repleti, congregatæ Hieroſolymis multitudini palam & intrepide prædicarent Chriſtum & Legem ab eo inductam, quod in actis Apoſtolorum C. 2. legimus. Completa demum promulgatio tum contigit, dum Apoſtoli Mar. 16. V. 15. juſſi ire in mundum univerſum, & omni creaturæ Evangelium prædicare, re ipſa ſubinde *profecti, prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* ibid. V. 20.

Hactenus de Lege Divina generatim; deinceps particulares controverſiæ, quæ de Lege tam Veteri quam Nova ſpeciatim obmoveri poſſunt, expediendæ erunt.

§. II.

Quid Lex Vetus contineat? eademque num bona fuerit?

PRæcipua hujus loci controverſia eſt contra quoſdam antiquiores hæreticos: eos videlicet, qui (teſte Auguſtino L. de Hæreſ.) cum Cerdonianis, Marcionitis, & Manichæis aſſerebant Legem veterem fuiſſe malam. Quamvis autem falſo ac blaſphemo principio, ex quo hic error apud eos profluxit, jam ſupra N. 103. ſatis occurrerimus; quia nihilominus non ratione tantum auctoris, ſed ipſorum quoque præceptorum, Legem veterem eſſe malam contendebant, nunc hac parte etiam erunt confutandi. Eſt vero eam in rem neceſſum prius referre, ac explicare præcepta, quæ in veteri Lege continentur: tum ipſa Legis bonitas nullo negotio vindicabitur.

Digitized by Google

ASSERTIO I.

Lex Vetus continebat triplicis generis præcepta: moralia ſcilicet, cæremonialia, & judicialia.

110 HAnc præceptorum diverſitatem ipſe Moyſes innuit, cum Deuter. 6. diceret: *hæc ſunt præcepta, cæremoniæ, & judicia: quæ mandavit Dominus Deus veſter*; ubi a cæremoniarum & judiciorum mandatis ſecernens præcepta, horum nomine moralia præcepta intellexiſſe cenſendus eſt. Quanquam in hanc rem haud multis opus ſit argumentis, cum, ſi inſpiciantur veteris Teſtamenti paginæ, aliis quidem locis, ultro ſe offerent Dei mandata ad morum diſciplinam pertinentia: aliis ea, quæ ad cultum Dei externum referuntur: demum aliis, quæ ad regimen populi Judaici ſunt deſtinata; quæ ipſa quid aliud ſunt? quam præcepta, quæ aſſerimus moralia, cæremonialia, & judicialia. Sed nimirum de ſingulis paulo explicatius dicendum eſt, quo ſubinde Aſſertionis II. veritas clarior evadat. Itaque ſit

Animadverſio I. de Præceptis Moralibus.

111 I. MOralia præcepta cumprimis deſcribuntur in duabus Decalogi tabulis: hæc vero non alia eſſe, quam ipſa Juris naturalis præcepta alias comprobavimus. Nec ſuperfluum erat eadem ſcribi in tabulis, quæ jam, antea cordibus omnium cum ratione naturali ſunt inſerta: in multis quippe legem naturæ (ut obſervat Auguſtinus in Pſ. 57.) quoad particularia & remotiora præcepta obſcuraverant concupiſcentiæ; & pravi habitus; quo igitur clarius legerentur in corde, prorſus opportune ſcripto ſubjecta ſunt oculis. *Scriptum eſt in tabulis* (inquit S. Doctor) *quod in corde non legebant; non enim ſcri-*

ptum

ptum non habebant, ſed legere nolebant: oppoſitum eſt oculis eorum, quod in conſcientia legere cogerentur, & quaſi forinſecus admota voce Dei, ad interiora ſua homo compulſus eſt.

II. Conſulto autem dicitur, *cumprimis in Decalogo deſcripta ſuiſſe morum præcepta:* præter hæc enim alia quoque in Veteri Teſtamento ſparſim leguntur, quæ tamen ipſa ceu additiones, vel (ut vult D. Thomas) concluſiones ad Decalogum congrue reduxeris. * Ita ex tribus primis Præceptis, ad cultum veri Dei pertinentibus, deducuntur illa: ne quis luſtret filium aut filiam ducens per ignem, ne ariolos ſciſcitetur, ne obſerventur ſomnia aut auguria, ne quis ſit maleficus vel incantator, non conſulat pythones, nec divinos, aut quærat a mortuis veritatem *Deuter.* 18. ne ullus blaſphemet nomen Domini *Lev.* 24. ne doceatur falſa doctrina *Deuter.* 13. Ad reliqua deinde Decalogi Præcepta, quæ agunt de charitate in proximum, recte utique retulerim hæc, & his ſimilia: honorandos eſſe ſeniores, non eſſe fratrem odio habendum, nec injuriam ulli inferendam *Lev.* 19. vitari oportere meretricium & ſcortationem *Deut.* 23. vitium contra naturam *Lev.* 18. uſuram & fraudem *Deut.* 23. & 25. mendacium & detractionem *Lev.* 19. 112

III. Quin præcepta etiam fidei, ſpei, charitatis in Deum, imo & pœnitentiæ, reducenda eſſe ad Decalogum, ac nominatim ad Præceptum primum, dubitari nequit: cum ſine his actibus conſiſtere non poſſit verus Dei cultus. Unde vel ideo, quod cultus hic in Decalogo præcipiatur, actus quoque memoratos implicite ſaltem eodem præcipi, in comperto eſt. Cæterum aliis locis apertius etiam præcepta hæc proponuntur. De fide quidem & ſpe Eccl. 2. V. 6. *crede Deo, & recuperabit te, & dirige viam tuam, & ſpera in illum;* item V. 8. *qui timetis Dominum, credite illi, & non evacuabitur merces veſtra;* 113

qui

qui timetis Dominum, ſperate in illum. De charitate Deuter. 6. *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* quod præceptum fuiſſe etiam Legis veteris ipſe Chriſtus indicat Matth. 22. ubi interroganti, *quod eſt mandatum in Lege?* reſpondet V. 37. *diliges Dominum Deum tuum ex toto &c.* Demum de pœnitentia eſt hoc ipſum charitatis præceptum: diſertis autem verbis eadem imperatur Ezech 18. V. 30. *convertimini, & agite pænitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris.*

Animadverſio II. de præceptis Cæremonialibus.

114 I. CÆremonialia præcepta juxta D. Thomam 1. 2. qu. 101. Art. 1. *determinant præcepta moralia in ordine ad Deum.* Cum igitur (ut ibid. ac etiam dein Ar. 4. ſe explicat) homo ordinetur ad Deum per debitum cultum, eumque non interiorem tantum, qui præceptis moralibus præſcribitur: ſed externum etiam; clarum eſt, præcepta Legis veteris cæremonialia eſſe illa, quibus imperabatur ritus quidam externus ad Dei cultum pertinens. Atque id genus præcepta fuiſſe admodum copioſa, facile quisque intelliget, ſi vel libros Exodi & Levitici conſulat; cum Genebrardo certe Guillelmus Pariſienſ. L. de Leg. C. 1. ſexcenta & tredecim numerat: Auguſtinus vero Serm. 9. de Verb. Dom. non dubitavit dicere innumera, Legem veterem propterea compellans *ſarcinam innumerarum obſervationum.* Quidquid porro præcipiebatur illis, ad quatuor capita revocari poteſt: ad Sacrificia ſcilicet, Sacramenta, Inſtrumenta ſacra, & Obſervantias legales. Ac primum quidem

115 II. Quod ad Sacrificia attinet, triplex fuit eorum genus: Holocauſtum, Hoſtia pro peccato, & Hoſtia pacifica. Primum offerebatur in proteſtationem ſummi, quod Deus in creata habet, dominii; atque hoc ſignificabat victimæ totius combuſtio. Ritum ejus & præceptum vide *Lev.* 1. & 6. Alterum in remiſſionem peccati deſti-

Digitized by Google

deſtinatum erat; hujus pars una comburebatur, altera cedebat in uſum Sacerdotum: quo ſignificaretur videlicet, Deum ad remittenda peccata Sacerdotum etiam uti miniſterio. De ritu & præcepto illius agitur *Lev.* 4. 6. & 7. Illud vero in cit. C. 7. obſervatu dignum, quod V. 7. diſtinguatur Hoſtia pro peccato ab Hoſtia pro delicto; unde patet, aliud peccati, delicti nomine aliud fuiſſe intellectum. Quamvis autem in diſcrimine hoc aſſignando opiniones varient, veriſimilius tamen cum Origene, Hieronymo, & Auguſtino Q. 20. in Levit. dici poteſt, in Lege veteri peccatum fuiſſe commiſſionem mali: delictum vero (quaſi *derelictum*) omiſſionem boni; vel certe peccatum erat, quod ſcienter admiſſum eſt: quod ignoranter contra, delicti nomen obtinuit. Pacificæ demum hoſtiæ oblatio fiebat Deo in gratiarum actionem, vel pro ſalute & proſperitate offerentium; pars ejus una incendebatur ad honorem Dei, alia Sacerdotum uſui cedebat, tertia in uſum offerentium: idque *ad ſignificandum* (ut putat D. Thom.) *quod ſalus hominis procedit a Deo, dirigentibus Miniſtris Dei, & cooperantibus ipſis hominibus, qui ſalvantur.* Ritus & præceptum deſcribitur *Lev.* 3. & 7.

Quæ jam vero in his Sacrificiis offerri poterant, ex animalibus erant: boves, oves, capræ, turtur, columba, etiam paſſer in emundatione leproſi; ex frugibus autem terræ: panis, vinum, oleum, ſal, & thus. Cur autem nominatim hæc, & non alia: cur item hæc ipſa certo ritu offerri ſibi Deus voluerit, cauſas minutim aſſignat Doctor Ang. 1. 2. qu. 102. Ar. 3. in Reſponſis ad argumenta contraria. Quam in rem ſi quid compendio & generatim dici velis, eo hæc omnia ex mente laud. Doctoris pertinebant: ut Judæi prohiberentur ab Idololatria, ſimulque rei oblatæ & præſcripti ri-

tus ſignificatione myſtica morum integritatem edocerentur. Ita e. g. offerenda erant memorata animalia, non alia; quia omnia alia Diis ſuis immolabant Idololatræ, aut certe illis ad maleficia utebantur. Similiter ſanguis & adeps non cedebant in uſum Sacerdotum vel offerentium, ſed in honorem Dei ſanguis effundebatur ad altaris crepidinem, adeps vero adurebatur; quia Idololatræ victimarum ſanguinem bibebant, & adipem comedebant: utque Judæi horrerent humani ſanguinis effuſionem. Salis oblatio ſignificabat Sacrificii integritatem, mores offerentium debere eſſe incorruptos, carnem cum concupiſcentiis ſuis mortificandam &c.

116 III. Sacramenta Legis veteris alia erant toti populo communia, ut circumciſio, eſus Agni Paſchalis, purificationes ab exterioribus immunditiis, expiationes a peccatis; alia Miniſtris ſacris peculiaria, ut conſecratio Sacerdotum, eſus panis propoſitionis, pilorum abraſio &c. Nempe cultus Dei peculiari quadam ratione pertinebat ad Sacerdotes & Levitas: quo igitur de hoc admonerentur, præter ea, quæ omnibus erant communia, peculiaria pro illis Sacramenta inſtitui conveniebat. Cæterum utraque, præter literalem, ſuam quoque habebant ſignificationem myſticam ac figuratam; nam, ut Lex tota, ſic & omnia ejus Sacramenta ordinabantur ad figurandum Chriſtum & novam Legem ab eo inſtituendam. Certe circumciſio erat figura Baptiſmi, Agnus Paſchalis Euchariſtiæ &c. Ritus & præcepta Sacramentorum legere eſt ſparſim cumprimis in Exodo, Deuteronomio, & Levitico.

117 IV. E ſacris inſtrumentis primo loco nominanda veniunt: Tabernaculum, & Arca fœderis.

Taber-

Tabernaculum (de quo *Exodi* 26.) erat ſpecies Templi mobilis ac portatilis. Nimirum populus Iſraeliticus in ſua quadraginta annorum peregrinatione fixam ſedem non habuit: ſed & terram promiſſionis ingreſſus, a pacifica ejus poſſeſſione continuis finitimorum bellis prohibebatur; conveniens igitur erat, ut toto hoc tempore provideretur ei de Templo mobili, quod de loco in locum deferre poſſet, ne forte a Gentilibus, ſi ſtabile foret, occuparetur. Sed & congrue dici poteſt: Tabernaculo hoc mobili ſignificatum fuiſſe ſtatum Legis veteris mutationi obnoxium: cum ex adverſo Templum fixum, a Salomone ſubinde conſtructum, fuerit figura ſtatus Evangelici ſtabiliter duraturi.

Arca fœderis (hujus apparatus *Exodi* 25. deſcribitur) propterea dicta eſt, quod in ea repoſitæ fuerint duæ Decalogi tabulæ in teſtimonium fœderis, quod Deus cum filiis Iſrael pepigit. At, num præter has repoſitum in ea fuerit etiam manna & virga Aaron? controverſum eſt; etenim 3. Reg. 8. dicitur, *in Arca autem non erat aliud, niſi duæ tabulæ lapideæ:* contra Apoſtolus ad Hebr. 9. de eadem, *in qua*, inquit, *urna aurea habens manna, & virga Aaron, - - & tabulæ Teſtamenti.* Ad hæc concilianda aliqui cum Theophilacto dicendum cenſent: Moyſis & Salomonis ætate ſolas Legis tabulas in Arca fuiſſe repoſitas; poſterius vero Sacerdotes manna ſimul & virgam Aaron, quo tutiore eſſent loco, in eadem aſſervaſſe. Alii putant in cit. ad Hebr. C. τὸ *in qua* accipi pro *juxta quam:* ſicut dum Joan. 10. dicitur, JEſum ambulaſſe *in Templo in porticu Salomonis*, ſenſus eſt: *in porticu juxta Templum.*

Quæ præterea in cenſum veniunt ſacrorum Inſtrumentorum, ſunt: Propitiatorium, Candelabrum ſepticeps, Altare

thymiamatis & holocauſtorum, Vaſorum genera varia, veſtes demum Sacerdotales. Agitur de his in *L. Exodi a C.* 25. *ad* 30. præcepta autem ſunt tam ad majeſtatem & decorem divini cultus, quam ad removendum idololatriæ periculum; rationes aliæ videri poſſunt apud D. Thomam ſupra cit. qu. Ar. 4.

118 V. Obſervantiæ legales dicuntur, quibus colentes Deum ſecernuntur a non colentibus; unde hæ ex mente Doctoris Ang. tantum *per quamdam conſequentiam erant Cæremonialia, in quantum pertinebant ad quamdam idoneitatem populi colentis Deum.* Id genus Obſervantiæ in Lege veteri fuerunt: ciborum mundorum ab immundis diſcretio, abſtinentia a ſanguine & adipe, Nazaræorum jejunia, certus veſtium uſus, pluraque alia, de quibus ſparſim in Exodo, Levitico, & Deuteronomio. Hæc jam vero omnia pro ſtatu Legis illius plane convenienter & rationabiliter fuiſſe imperata, multis probat D. Thomas cit. qu. Ar. 6. ubi in ☉ aſſerit: earum rationem eſſe requirendam *vel ſecundum relationem ad cultum divinum, vel ut referuntur ad vitam Chriſtianorum figurandam.* Ex his deinde capitibus in Reſp. ad Obj. minutim reddit rationem multarum in ſpecie obſervationum legalium. Ita (ut ſpecimen demus aliquorum) eſum animalium immundorum fuiſſe prohibitum, abſtinentiam vero a ſanguine & adipe imperatam ait ex cauſa, quam ſupra N. 115. V. *Quæ jam vero* &c. inſinuavimus. Huic addit ſignificationem quoque myſticam: per omnia ſcilicet animalia immunda deſignari aliqua peccata; ſanguinem & adipem eſſe figuram crudelitatis & voluptatis: ad horum proinde peccatorum fugam, in quorumdam ciborum abſtinentia figuratam, utrumque præceptum reſpexiſſe. Idem docet Tertullian. L. 2. contra Marcion. C. 18.

Inter

Digitized by Google

Inter legales Obſervantias numerantur communiter etiam Judæorum Solemnitates: quamquam hæ rectius dicantur *Sacra*, cum ad cultum divinum directe pertinuerint. Earum præcepta & ritus legere eſt *Num.* 28. & 29. Ex iisdem porro locis conſtat, unam illarum fuiſſe continuum quaſi Feſtum, cum quotidie mane & veſpere immolandus fuerit agnus; idque in ſignum cultus perpetui Deo debiti: aut etiam ad divinæ beatitudinis perpetuitatem hoc continuo jugis Sacrificii feſto repræſentandam. Solemnitates reliquæ erant temporales, ut: Solemnitas *Sabbati* quavis ſeptimana, in memoriam creationis; *Neomeniæ* quolibet menſe, ad recolendum gubernationis divinæ beneficium; *Phaſe* primo cujuſvis anni menſe, propter liberationem ex Ægypto; die autem ab hoc quinquageſimo *Pentecoſtes*, in memoriam Legis acceptæ; demum ſeptimo anni menſe feſtum *Tubarum*, *Expiationis*, & *Scenopegiæ*, ſeu Tabernaculorum: in primo recolebatur liberatio Iſaac immolandi; in altero beneficium Dei ad preces Moyſis propitii redditi populo; in tertio divinæ erga Judæos in deſerto protectionis memoria. Plura de Solemnitatibus his, earumque ſignificationibus myſticis vide apud D. Thom. ſæpe cit. qu. Ar. 4. ad 10.

Animadverſio III. de præceptis Judicialibus.

I. Ea, quæ ad plenam horum præceptorum notitiam faciunt, copioſe tradit toties hic nobis laud. Doctor Ang. 119
1. 2. qu. 104. & 105. pluribus Articulis explicans judicialia Legis veteris præcepta, eorumque ordinem, cauſas, & figuram. Nos ex his relaturi aliqua compendio, ante omnia notamus: tametſi ex conſequenti hæc quoque præcepta eſſent figura Teſtamenti novi, cum in Legis veteris ſtatu omnia in figura contigerint, ut 1. Cor. 10. docet Apoſtolus; cum-

primis interim eo ſpectabant, ut populus recte ordinaretur invicem ſecundum æquitatem. Inde, cum ad hoc obtinendum neceſſarius ſit quidam ordo Principum ad Subditos, ſubditorum ad invicem, quin & extraneos, erga domeſticos item, omnia Legis veteris Judicialia præcepta ad hæc quatuor capita revocantur. Ac

120 II. Ad Principes quidem ea pertinent, quorum mentio fit *Deuter.* 1. ubi Moyſes (Dei utique nomine) in Principes vult eligi viros ſapientes & gnaros; hiſque deinde præcipit, ut, quod juſtum eſt, judicent ſine diſcretione perſonarum &c. Plura in hanc rem particularia præcepta legere eſt *Exodi* 23. item *Deuter.* 16. 17. & 23. Subditorum ad invicem ordo conſtituitur ſparſim in Libris Exodi, Levit. Numer. & Deuteron. iis videlicet locis, quibus dantur præcepta de poſſeſſionum diviſione, emptione, venditione, commutatione, hæredum ſucceſſione &c. Quoad extraneos præceptum erat: ne alienigenis moleſtia inferretur *Exodi* 22. & 23. ut eorum quidam reciperentur in cives, quidam (quales erant Amalecitæ, præ aliis populo electo adverſati) pro hoſtibus perpetuis haberentur *Exodi* 17. ut belli jura obſervarentur *Deuter.* 20. Ad domeſticos demum rite ordinandos ſpectantia præcepta ſunt: ne vir uxori crimen falſo imponat, neve eam ex odio affligat, ſed dato potius Libello repudiet *Deut.* 21. & 22. ut filii inſtituantur in fide & moribus *Exodi* 12. & *Deut.* 21. ne ſervi & ancillæ immoderatis laboribus opprimantur, requies proinde illis concedenda erat Sabbato *Deut.* 5. ut ſervi Hebræi ſeptimo anno fierent liberi *Exodi* 21.

Neque tamen his præcepta Judicialia definiri exiſtimaveris; plura legere eſt alia partim citatis, partim aliis locis: quod etiam de præceptis reliquis, moralibus ſcilicet & cæremoni-

monialibus, eſt intelligendum. Vel hæc interim, quæ recenſuimus, ſufficiens præbent fundamentum de Legis veteris bonitate contra veteres Sectarios judicandi; unde ultro conſequitur

ASSERTIO II.

Lex Vetus fuit bona & ſancta.

PRobatur I. ratione in iis, quæ nunc præmiſſa ſunt, fun- 121
data. Nequit nimirum Lex non eſſe ſancta & bona, quæ præcipit rationi conformia, eidem vero difformia prohibet: cujus item effectus eſt bonus, & quæ ad finem rectum dirigitur; his autem certe dotibus Legem veterem fuiſſe inſtructam nemo niſi temerarius negaverit. Etenim

1mo, Moralibus præceptis non niſi bonum imperari, patet vel ex illo Deut. 6. in quo continentur cætera, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde* &c. omne præterea ex adverſo prohiberi malum ſatis indicat generale mandatum Deut. 5. *Non concupiſces* &c. idemque certum eſt de reliquis præceptis, ſi omnia ſingillatim percurras. Nec aliter ſentiendum de præceptis Cæremonialibus & Judicialibus, cum univerſim illis ea ſtatuantur, quæ ad cultum Dei externum, & rectum populi regimen faciunt: prohibeantur contra, quæ utrique adverſantur. Quid jam vero iſtud eſt aliud, niſi Lege veteri præcipi rationi conformia, eidem difformia prohiberi?

2do, Si effectus Legis ejusdem attendas, per eam primum homines cognoſcebant ſe eſſe peccatores juxta illud ad Rom. 3. *per Legem cognitio peccati;* ex hac autem diſponebantur ad agnoſcendam Mediatoris neceſſitatem, ejuſque obtinen-

Digitized by Google

tinendi deſiderium: unde illa vota, *Domine inclina cælos tuos & deſcende* Pſ. 143. *Utinam diſrumperes cælos & deſcenderes* Iſ. 64. ad quæ reſpiciens Auguſtinus L. de Spir. & lit. C. 19. *Lex data eſt*, inquit, *ut gratia quæreretur; gratia data eſt, ut Lex impleretur.* Quæ ipſa rurſum produnt, Legem veterem id effeciſſe, ut ejus beneficio homines diſponerentur ad Chriſtum venturum, doctrinamque ejus ſublimiorem amplectendam, & ſalutem aliquando conſequendam; id quod eo eſt certius, quod Lex contineret figuras, ſub quibus Chriſtus ut Redemptor ſimul & Magiſter promittebatur teſte Apoſtolo ad Gal. 3. *Lex pædagogus noſter fuit in Chriſto*, ad Hebr. 10. *umbram habens Lex futurorum bonorum*, & Rom. 10. *finis Legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti:* ut adeo 1. Cor. 10. non dubitaverit generatim dicere, *Omnia in figura contingebant illis.*

Quibus demum & illud addendum: Legem veterem per varia ſua ac tam multiplicia præcepta id effeciſſe, ut homines continerentur in officio erga Deum & ſe ipſos, morum integritatem ſectarentur, ritu conveniente Deum colerent, ipſumque regimen politicum ad æquitatem omnem exactum haberent. Atque ad hæc a populo Judaico inconſtante & in ſchola virtutis novitio obtinenda, præter largiſſimas promiſſiones, pertinebant ſeveriores illæ pœnæ etiam temporales, quas in tranſgreſſores latas novimus. Quæ omnia paucis complecti volens Hieronymus ſuper illa ad Gal. 3. *lex pædagogus &c.* Judæos parvulis comparans ajebat: *Pædagogus parvulis aſſignatur, ut laſciviens refrænetur ætas, & prona in vitia corda teneantur, dum tenera in ſtudiis eruditur infantia, & ad majores diſciplinas metu pœnæ coercita præparatur; itaque & laſcivienti populo lex Moyſis ad inſtar Pædagogi ſeverioris appoſita eſt, ut cuſtodiret eos, & futuræ fidei præpararet.* Habes

bes igitur Legis veteris effectus optimos: ex quibus una de honeſtate & æquitate finis, ad quem ordinabatur illa, pronum eſt ſtatuere.

Probatur II. auctoritate Scripturæ novi Teſtamenti, cui 122 ſe deferre omnia profitentur hæretici, quos iſthic impugnamus. Hæc jam vero complura ſuggerit pro Legis veteris bonitate ac ſanctitate teſtimonia. Certe ad Rom. 7. Apoſtolus generatim loquitur de Lege, per quam cognovimus peccatum: imo ſpeciatim etiam de Lege veteri, cum ibid. V. 7. meminerit præcepti, *Non concupiſces*, quod eſt in Exodo & Deuteronomio; diſertis attamen verbis eam probat, V. 12. dicens: *itaque Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum.* Eamdem probavit Chriſtus ipſe tam verbo, quam facto. Verbo quidem, dum Matth. 8. ad leproſum, *Vade*, inquit, *& oſtende te Sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyſes;* facto item, dum ſecundum Legem Moyſis circumcidi, & poſt legales purificationis dies in Jeruſalem deferri, ibique Domino ſiſti voluit Luc. 2. dum Paſcha celebravit &c.

Quanquam quid multis opus? auctorem Legis veteris eſſe verum Deum ſupra N. 103. comprobavimus; vel iſtud autem tam a ratione, quam ab auctoritate ejuſmodi eſt argumentum, ut Legis veteris bonitatem ac ſanctitatem ſatis ſuperque evincat: quando auctore Deo vero nihil niſi bonum & ſanctum conſtitui potuit. Adverte interim: dum pro bonitate hac pugnamus, non eam aſſerimus, quæ ſimpliciter perfecta fuerit; fatemur quippe, Legem veterem comparate ad Evangelicam minus perfectam fuiſſe, ut quæ umbra tantum & figura hujus fuerit, nec per ſe ipſam conferre potue-

rit juſtitiæ gratiam. At de hoc infra §. IV. ubi de differentia, quæ novam inter & veterem Legem intercedit, ex propoſito diſſeremus.

Reſolvuntur argumenta adverſus Aſſertion. II. pugnantia.

QUidquid antiquiores hæretici cum Marcione, Fauſto Manichæo, & Felice ad cavillandam Legem veterem protulerunt, ex his fere capitibus depromebant: quod Lex vetus contineat præcepta Cæremonialia & Judicialia virtutibus moralibus contraria; quodque qua promiſſionibus ſuis, qua permiſſione & approbatione graviſſima ſcelera foverit: unde, Scripturarum etiam uſi teſtimonio, inferebant latam fuiſſe a Deo malo, vel ab hominibus. Sed nimirum nihil unquam ab illis prolatum eſt ejuſmodi, quod non abunde diluiſſent Patres, præſertim Tertullianus in LL. contra Marcion. & Auguſtinus in Op. ſuo contra Fauſtum, pluresque alii per occaſionem cum Hieronymo, Gregorio &c. cum quibus nos quoque idem (quoad præcipua ſaltem capita) præſtare adnitemur, obſervato, quem commemoravimus, argumentorum ordine. Igitur

123 Præcepta quædam virtutibus moralibus adverſari contendebant propterea, quia

I. E Cæremonialibus aliqua præcipiunt offerendum dæmoni ſacrificium, nempe *Lev.* 16. in hirco emiſſario; obſervandos ritus ſuperſtitioſos, ut erat e. g. abſtinentia a certis eduliis, & diſcretio animalium immolandorum; reputandos pro immundis, qui mortuorum cadavera ſepeliſſent *Numer.* 19. Hæc vero contraria ſunt religioni, pietati, & charitati in proximum.

II. Ea-

Digitized by Google

II. Eadem eſt Judicialium habenda ratio; neque enim cum æquitate conſentiunt præcepta, quibus e. g. ſtatuitur: ne ſervus profugus reſtituatur Domino *Deuter.* 23. ne pignus accipiatur a debitore *ibid.* 24. ut anno Jubilæi remittantur debita omnia *Lev.* 25. ut Rex pro libidine ſua in populum ſibi ſubjectum graſſetur 1. *Reg.* 8.

Reſp. ad I. De præceptis Cæremonialibus univerſe id obſerva: tametſi omnium minutim particulares cauſas & ſenſus myſticos deſignare non ſit pronum, cum nihilominus juxta Apoſtolum Lex vetus fuerit *Pædagogus in Chriſto*, ſimulque *figura*, ſeu *umbra futurorum bonorum*, certum eſt omnia eo ſpectaſſe, ut tot ac tam variis præſcriptis ritibus, ceu in ſymbolis quibusdam, vitæ melioris rudimenta edocerentur Judæi, arcerentur ab idololatria, & futuri Redemptoris adventus illis præfiguraretur; quæ quidem adeo cum virtutibus moralibus non pugnant, ut potius ad earum acceſſionem plurimum adjuvent. Sed ut ad Objecta ſingillatim reſpondeam;

Falſum ajo inprimis, quod de capro emiſſario aſſeritur. Uterque enim hircus cit. Lev. Cap. ſiſtendus erat coram Domino; ſuper utrumque ſors mittenda; uterque Deo ſanctificandus, licet non eodem ritu: unus quippe mactabatur, alterum emitti oportebat in ſolitudinem, inde in Vulgata noſtra dictus *emiſſarius.* Nec obeſt in hebræo legi V. 10. *cujus ſors exierit Azazeli;* hoc enim nomine non *dæmonium*, ut cum Origene volunt aliqui: ſed *caprum emiſſarium*, ſeu *ablegatitium* eſſe intelligendum evincit auctoritas Septuaginta Interpretum, & communiter Patrum antiquorum cum Hieronymo, Auguſtino, & Cyrillo Alexandrino; idemque comprobat nominis etymon, cum עז *hez* ſignificet *caprum*, אזל *azal* vero *emiſſus*, vel *abiens.* Verum quo ſacrificii hujus ſanctitas

 vin-

vindicetur, Patres ipſos audire juverit. Ac Cyrillus Alexand. quidem L. 9. contra Julian. hæc ſcribit: *Sortes vero & nomina hircis, uni quidem* Dominus, *alteri* Emiſſarius; *non enim - - Dæmoni dimitti juſſit eum, qui non eſſet immolatus, ſed ipſe potius dictus eſt* Emiſſarius, *quod a mactatione dimiſſus: quemadmodum* Dominus *dictus eſt ille, qui immolabatur. Deſcriptus autem eſt per utrumque Chriſtus unus, & moriens pro nobis ſecundum carnem, & mortem ſuperans ſecundum Divinitatis naturam. Emittebatur autem in Deſertum, qua ſolitudine & inculto ſolo deſignatur Gentium ſterilitas* &c. Cyrillo conſentit Theodoretus Quæſt. 22. in Levit. ita arguens: *Qui fieri poſſet, eum, qui dixit,* Non erunt tibi alii Dii præter me, *&*, Non adorabis neque ſervies alteri Deo præter me, *Dæmoni cuidam parem dari juſſiſſe victimam? Conveniebat advertere, Deum etiam illum hircum, qui dimittitur, offerri ſibi juſſiſſe*, ſumes enim, *inquit*, hircum vivum coram Domino, ad exorandum ſuper eum, & ut mittatur in ſolitudinem. *Hoc autem ſatis innuit, quod Hircus ipſe dictus ſit Emiſſarius, ut qui emittatur in deſertum.* Interjectis quibusdam demum concludit: *Non igitur Deo cuipiam aut Dæmoni mittebatur; ſed ambo quidem offerebantur Deo: unus mactabatur, alter autem aſſumptis peccatis populi in ſolitudinem emittebatur.* His non abſimilia habet Auguſtinus Quæſt. 55. in Levit. Quæ præterea ad hujus argumenti notitiam faciunt, præter alios, præſertim Scripturæ Interpretes, utiliter conſules Natalem Alex. in Hiſt. Eccl. Veter. Teſtam. in IV. Mundi ætatem Diſſert. 3. Art. 4. §. 6.

Perperam quoque ſuperſtitionis argui abſtinentiam a certis cibis, diſcretionem animalium in Sacrificiis, alioſque id genus ritus, conſtat ex iis, quæ N. 115. & 118. dicta ſunt. Quæ ipſa ut exemplis aliquibus confirmemus: abſtinendum erat

Digitized by Google

erat Judæis a milvo, aquila, cæteriſque avibus rapina victitantibus; ut perſtringeretur fœneratorum rapacitas, cujus hæ aves ſunt ſymbola. Abſtinendum ab animali non ruminante: ut monerentur de frænando gulæ & carnis ſenſu; animal enim hujuſmodi eſcam in ventrem trajiciens, quin eam ad os retrahat dentibus comminuendam, eſt typus eorum, qui a carnali ſenſu abrepti ſpiritualia non meditantur. Vacca rufa Num. 19. præcipitur immolanda: ut prohiberetur ejus cultus apud Ægyptios receptus; cum pelle & carnibus comburenda erat: quia Idololatræ victimarum reliquiis abutebantur; eadem extra caſtra educta Chriſtum extra portam paſſum præfigurabat: ejus vero ſanguis contra fores Tabernaculi aſperſus Chriſti ſanguinem conſcientias noſtras emundantem, oblatumque pro nobis Patri in litrum. Ex his de reliquis id genus ritibus facile erit judicare. Neque hæc arbitrarie dicta putaveris: hunc nominatim in Vaccæ ſacrificio typum agnoſcit ipſe Apoſtolus ad Hebr. 9. & 13. univerſim vero in ritibus quibuſvis Moſaicis figuram Chriſti, & doctrinam morum ſymbolicam. Eadem ſentiunt Patres & Scripturæ Interpretes cum D. Thoma 1. 2. qu. 101. & 102.

Negandum denique, ex mortuorum ſepultura contractam fuiſſe vel legalem immunditiam; pietatis imo iſtud in Lege veteri erat officium, in Tobia ſumme commendatum Tob. 1. & 12. Id verum, in aliis caſibus ex contactu mortui (ut habetur Num. 19.) inductam fuiſſe legalem immunditiam: hæc interim non erat peccatum, ſed irregularitas duntaxat id efficiens, ut pollutus arceretur ab offerendo Sacrificio. Legalis porro hæc & externa immunditia figurabat immunditiam internam, quæ ex peccato, ejuſque quaſi contactu in animam inducitur.

Reſp. ad II. Quæ præceptis Judicialibus ſanciuntur, univerſim æquiſſime conſtituta eſſe nemo non intelliget, ſi ad ſummam Dei in regendo auctoritatem, cauſaſque comparate ad populum illum in vitia pronum plane rationabiles animum advertat. Ita profugus ſervus non erat reſtituendus Domino, ne forte ab irato occideretur: præcepto igitur hoc conſultum eſt vitæ ſervi. Pignus a debitore accipi prohibetur in gratiam pauperum: pronum enim erat hos opprimi, ſi neceſſitate preſſi ad pignus dandum obligarentur. Anno Jubilæi omnia, etiam agri, ad priores Dominos revertebantur: ut certius evitaretur rerum & dominiorum confuſio, quæ facile ſequi poterat, ſi agri non redirent ad priores Dominos, tametſi debitores. Atque hæc ſunto de tribus primis in Object. allatis.

De jure Regis, quod ultimo opponitur, ita habe. Quamvis regimen monarchicum ex ſe ſit perfectum, facile attamen in tyrannidem degenerat ob magnam regnantis poteſtatem, niſi præclara virtus eum coerceat. Cum igitur Judæi nondum eſſent in virtute firmi, noluit eos Deus principio gubernari per Regem, ſed Judices duntaxat & Seniores; unde importune petentibus Regem, non tam propitius, quam indignatus conceſſit, ſimul eis per Samuelem prænuntians mala ex hoc regimine obventura. Itaque (ut cum aliis notat D. Thom. 1. 2. qu. 105. Art. 1. ad 5.) illa 1. Reg 8. Samuelis nomine Dei ad populum loquentis verba, *Hoc erit jus Regis - - filios veſtros tollet* &c. non ſunt intelligenda de jure Regis legitimo, quod ei inſtitutione divina competeret: *ſed magis* (ait S. Doctor) *prænuntiabatur uſurpatio Regum, qua ſibi jus iniquum conſtituunt, in tyrannidem degenerantes, & ſubditos deprædantes*, filios videlicet eorum tollendo, & omnia bona in ſuum privatum commodum convertendo. Hunc eſſe verborum ſenſum prodit ipſe contextus Scripturæ cit. C. 8.

Quo

Quo jam vero graviſſima ſcelera foviſſe Legem veterem 124
probarent memorati hæretici, his potiſſimum momentis argutationes ſuas adornarunt.

I. Concupiſcentiam (ajebant) rerum temporalium fovit: nam Deuter. 28. mandata obſervantibus in mercedem mera temporalia bona promittit, abundantiam videlicet frugum terræ, pecoris &c.

II. Fovit cupiditatem vindictæ per legem talionis Exodi 21. dum item Exodi 17. cum Amalecitis perpetuam inimicitiam haberi voluit.

III. Fovit concupiſcentiam carnis per conceſſam polygamiam, libellum repudii, acceſſum ad meretricem, imo & conſanguineas quibusdam permiſſum.

IV. Fovit denique & alia promiſcue ſcelera, cum in Lege veteri complures eorum magnis elogiis celebrentur, qui ſe variis, iiſque gravibus flagitiis polluerunt, ut ſunt: Loth, Iſaac, Jacob, Sara, David, Salomon &c.

Reſp. ad I. Peculiare id erat divinæ providentiæ erga rudem Judæorum in via virtutis infantiam conſilium, ut promiſſione temporalium continerentur in officio: cum nondum univerſim ſatis idonei eſſent, qui toto ſe ſe animo ad æterna præmia erigerent. Promittebantur ergo illis temporalia, at ſolum ut media obſervantiæ ab iis obtinendæ opportuna: non autem in præmium & finem ultimum, in quo conquieſcerent. Neque iſtud ignorabant illi; unde Pſ. 143. improbantur, *qui beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt:* dicitur contra *beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.* Quin cum omnia Judæis contigerint in figura, hæc ipſa temporalium promiſſio fuit figura promiſſionis æternorum. An vero iſtud eſt caducorum concupiſcentiam fovere, & non potius per caduca ad æternum duratura erigere?

Reſp.

Reſp. ad II. Pœnam ſceleri dictare, eamque ex circumſtantiis æquiſſimam, non eſt vindictæ cupiditatem accendere: ſed juſtitiam exercere. Atque iſtud omnino tam de lege talionis, quam perpetua cum Amalecitis inimicitia exiſtimandum eſt. Equidem talionis lex, *oculum pro oculo*, *dentem pro dente* &c. paulo ſeverior fuit: juſta attamen, imo, ſpectata Judæorum præcipiti indole, etiam moderata; cautum quippe illa eſt, ne in vindicanda injuria modum excederent. Unde Auguſtin. L. 19. contra Fauſt. C. 25. *oculum pro oculo non fomes, ſed limes furoris eſt; non ut id, quod ſopitum erat, hinc accenderetur: ſed ne id, quod ardebat, ultra extenderetur, impoſitus.* Nec Chriſtus hanc legem damnavit, ſed abrogata illa, mitiorem duntaxat conſtituit, dum Matth. 5. diceret: *Audiſtis, quia dictum eſt*, dentem pro dente &c. *ego autem dico vobis, non reſiſtere malo.* Æquiſſimum pariter erat, quod perpetua in Amalecitas hoſtilitas imperata ſit: in pœnam videlicet graviſſimæ injuriæ, quam Iſraelitico populo intulerant, cum ei ex Ægypto in promiſſionis terram voluntate divina proficiſcenti obſiſterent. Et quia hoſtilitas hæc non ex qualicunque privato odio, ſed juſto religionis zelo exercenda fuit: non ad vindictæ cupiditatem accendendam, ſed fovendum potius religionis ſtudium valuit.

Reſp. ad III. Quo ſenſu accipienda ſit conceſſio polygamiæ, libelli repudii, & ſimilium: eamque juſtis de cauſis ſumma poteſtate ſua Deum feciſſe, jam ſupra L. II. de Leg. Nat. N. 97. docuimus. Ex his vero liquet, conceſſione ejuſmodi non foveri carnis concupiſcentiam vel ideo, quod id genus actus accedente divina conceſſione fuerint quidem liciti: extra illam nihilominus illiciti, & pœnæ obnoxii.

Reſp.

Reſp. ad IV. Criminatio hæc ultima eſt Fauſti Manichæi, contra quam ex propoſito ac prolixe pugnat Auguſtin. L. 22. præſertim a C. 31. ad 63. quibus locis oſtendit, falſo imponi crimina Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, Saræ, pluribuſque aliis. Haud negamus interim aliquos eorum, quos Scriptura vetus laudat, in gravia ſcelera fuiſſe prolapſos, ut erat Loth, David, Salomon; at enim ſolæ eorum virtutes, quibus præditi erant, commendantur: nuſpiam autem ſcelera, tametſi horum quoque ſacer Codex meminerit: imo hæc pluribus locis reprehendi, ac ſeveriore etiam pœna caſtigari legimus. Præclara eſt in hanc rem ſententia Auguſtini cit. L. C. 45. de inceſtu Loth præcipue agentis. *Nos*, inquit, *Scripturas ſanctas, non hominum peccata defendimus. Non ſic autem de hujus facti purgatione ſatagimus, quaſi hoc Deus noſter aut fieri juſſerit; aut factum approbaverit; aut ita juſti homines in illis Libris appellentur, ut, ſi voluerint, peccare non poſſint. Cum ergo in Literis, quas iſti* (Manichæi) *reprehendunt, Deus huic facto nullum juſtitiæ teſtimonium perhibuerit, qua dementia temeritatis hinc illas Literas accuſare contendunt? cum aliis earum locis apertiſſime inveniantur divinis præceptis iſta prohiberi. Unde in illa re geſta de opere filiarum Loth narrata iſta ſunt, non laudata.*

Ex his, quæ (ut jam vidimus) objectabant hæretici, 125
inferendum denique exiſtimarunt: Legem veterem Deo vero adſcribi non poſſe; verum, quam futilis tota eorum argutatio fuerit, ſatis docent Reſponſa. Quo interim errorem hunc tuerentur amplius, etiam Scripturæ teſtimonio eumdem affirmare connifi ſunt. Ajebant nimirum

I. Lex vetus ex parte ſaltem Moyſi attribuitur Malach. 4. *mementote legis Moyſi;* item Luc. 2. ubi *dies purgationis* di-

cuntur *ſecundum legem Moyſi;* & Matth. 19. de libello repudii Chriſtus ipſe, *quoniam*, inquit, *Moyſes - - permiſit vobis dimittere uxores veſtras.* Integre igitur ſaltem attribui nequit Deo: verum Moyſi etiam, partimque Senioribus; præſertim cum ipſe Chriſtus Matth. 15. & Mar. 7. obſervationes quasdam legales reprehenderit. Ita Ptolomeus cum ſuis.

II. Ezech. 20. Deus dicit de Lege veteri generatim: *dedi eis præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent;* & Apoſtolus ad Hebr. 8. *ſi illud prius* (Teſtamentum) *culpa vacaſſet, non utique ſecundi locus inquireretur.* Ergo Lex vetus univerſim fuit non bona, imo mala, quia culpa non vacans; quis autem talem Deo vero ac bono attribuat? referenda igitur eſt ad malum Deum, ut volebant Manichæi. Præterea

III. Eruitur idem ex illis Scripturæ locis, quibus Lex vetus dicitur cauſa peccati, & mortem adferens: quod utrumque teſtatur Apoſtolus. Etenim ad Rom. 5. *lex ſubintravit*, inquit, *ut abundaret delictum;* & ibid. C. 7. *ſine lege peccatum mortuum erat, - - ſed cum veniſſet mandatum, peccatum revixit;* item 2. Cor. 3. *Litera occidit, Spiritus autem vivificat.* Ubi per *literam* intelligit Legem. Demum

IV. Non tulit, quin nec ferre potuit verus ac bonus Deus legem, quæ obſervari non poſſit; talis autem fuit Lex vetus, tam quod innumera, & vires humanas excedentia præciperet: quam quod non daret gratiam, cujus adjutorio impleri poſſet. Inde illam Petrus Act. 15. vocat *Jugum* ejuſmodi, *quod* (inquit) *neque nos, neque Patres noſtri portare potuimus.*

Reſp

Digitized by Google

Reſp. I. generatim. Legem veterem eſſe vero Deo auctore latam, eamdemque bonam ac ſanctam Scripturæ teſtimoniis nos ipſi contendimus, ac etiam (ut patet ex N. 103. & 121. ac 122.) evincimus. Cum igitur Scriptura ſecum ipſa non-pugnet, loca, ad ſpeciem nobis adverſantia, invicem concilianda ſunt: alioque, quam hæretici velint, ſenſu exponenda. Conformiter ad quod principium

Reſp. II. in particulari ad I. Si hæc argumentatio valeat, licebit quoque contra Ptolomeum inferre: nec præcepta Decalogi omnia eſſe a Deo, cum Mar. 7. de præcepto honorandi Parentes dicat Chriſtus: *Moyſes enim dixit, honora Patrem tuum* &c. Unde obſerva: dum præcepta Legis alio in Scriptura loco (ut Mar. 7. V. 8. Matth. 15. V. 3. & alibi) nominentur *mandata Dei*, eadem non alio ſenſu attribui Moyſi, quam quod eorum *Promulgator* fuerit. Sane in ipſo cit. C. Malach. continuo ſubdit Deus: *quam mandavi ei in Horeb* &c. apud Lucam quoque eod. C. 2. ſubjungitur: *tulerunt illum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini.* Eadem igitur lex & Moyſis & Dei; hujus quidem, ut auctoris: illius, ut promulgatoris. Nec aliter intelligenda eſt libelli repudii permiſſio; permiſit hunc nimirum Moyſes, at non niſi auctoritate divina: neque enim humana id ſeparare poterat, *quod Deus conjunxit* Matth. 19. Quod demum Chriſtus obſervantias quasdam Judaicas in Evangelio reprehendat, ad rem præſentem non facit; agit quippe ſolum de illis, quæ mere humanæ erant: nec per Legem, ſed traditione duntaxat Seniorum acceptæ: quaſque ſuperſtitioſe etiam cum neglectu mandatorum divinorum obtrudebant Phariſæi, ut patet ex contextu.

Digitized by Google

Reſp. ad II. N. Illat. nam præcepta *non bona*, de quibus hic apud Ezech. loquitur Deus, non ſunt præcepta Legis Moſaicæ: ſed mere humana, quæ nimirum Deus *permiſit* ab hominibus imponi Judæis in pœnam violatæ Legis ſuæ. Clarum iſtud eſt rurſum ex contextu, præſertim cum eod. C. ſupra V. 11. agens de Lege in deſerto data dicat: *dedi eis præcepta mea, - - quæ faciens homo vivet in eis.* Aliter hunc locum exponit Gregorius L. 28. Moral. C. 7. præcepta *non bona*, inquit, hoc eſt, imperfecta comparate ad præcepta Legis Evangelicæ; interpretatio attamen prior magis conformis eſt contextui. Sed per Apoſtolum, inquies, Lex vetus non vacabat culpa? culpam hic ajo ſumi pro *defectu negativo*, ſeu Legis ex ſe impotentia ad ſanctificandos homines: quo eodem ſenſu in ead. Ep. priore C. 7. dixerat: *reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem, nihil enim ad perfectum adduxit Lex* &c.

Reſp. ad III. cit. loca ex Apoſtolo non favere errori Manichæorum: his quippe, aliiſque id genus verbis non aliud innuit, quam quod Lex fuerit occaſio, non quidem *data*, ſed *accepta*, ut peccatum reviviſceret, abundaret, & mortem inferret. Nimirum ante Legem ignorabantur aliqua eſſe prohibita; unde eorum admiſſio aut nullum erat peccatum, aut ſaltem gravitas ejus per ignorantiam minuebatur. At Lex ſubinde ignorantiam hanc depulit, & peccatum in multis detexit: cognitio hæc (quoniam in vetitum nitimur) dein magis accendit deſiderium actionum prohibitarum: nec dabatur præterea per Legem gratia, qua invaleſcentes concupiſcentiæ vincerentur; vero igitur ſenſu Lex dicta eſt *occaſionalis* cauſa peccati, quo mediante Lex occideret, &, occaſione ab hominibus accepta, mortem inferret. Ita laudata Apoſtoli verba exponit Auguſtinus L. de Spir. & Lit. C. 4. communiter

item

Digitized by Google

item cum aliis D. Thomas in C. 7. ad Rom. lect. 2. & 1. 2. qu. 98. Ar. 1. ad 2. Quanquam quid opus aliorum auctoritate, quando hoc uno, neque omnino alio ſenſu Apoſtolum fuiſſe locutum ejusdem verba invicem collata manifeſte produnt. Lege & expende cumprimis ad Rom. C. 7. a V. 7. uſque ad 15.

Reſp. ad IV. falſo aſſeri, Legem veterem obſervari non potuiſſe. Certe obſervata fuit a Zacharia & Eliſabeth: *erant enim juſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini* Luc. 1. obſervata item a Maria Virgine, qui enim alias ibid. ab Angelo diceretur *gratia plena*, & quæ invenerit *gratiam apud Deum?* obſervata (ut taceam alios) a Davide tum, dum 1. Reg. 13. ore Samuelis eum diceret Dominus eſſe *ſibi virum juxta cor ſuum.*

Quomodo igitur Petrus (inquies) Legem vocat *jugum importabile?* magnam duntaxat iſthic ajo indicari in implenda illa difficultatem, ſeu quod innumera contineret præcepta: ſeu quod ex ſe non ſufficeret vires gratiæ ad tantum onus ferendum neceſſarias. Hanc vero Legis Moſaicæ difficultatem oportune eo loco exaggerat Apoſtolus, quo a ſententia dimoveat eos, qui, gentium converſione audita, tametſi jam abrogata eſſet Lex vetus, nihilominus contendebant: *quia oportet circumcidi eos, & præcipere ſervare legem Moyſi.* V. 5.

At vel ideo (inferet aliquis) abſoluta fuit Legis obſervandæ impotentia, quod per illam non conferretur gratia? Neque iſtud; quamvis enim Lex vetus per ſe ipſam nec daret gratiam, nec ſalutem: demonſtrabat attamen hominis infirmitatem, ſimulque Medicum & Salvatorem, in quem credentes gratiam & ſalutem conſequebantur. *Neque enim* (ut

ait Auguſtin. L. de Spir. & lit. C. 19.) *vitio ſuo non implebatur lex, ſed vitio prudentiæ carnis: quod vitium per legem demonſtrabatur, per gratiam ſanandum fuit.* Per gratiam inquam, quæ obtineri potuit merito fidei in Chriſtum venturum, gratiam proinde Teſtamenti novi, quæ in veteri occultabatur ſicut frumentum in palea, ut idem S. Doctor loquitur. Hujus itaque ſubſidio gratiæ, quæ nulli credenti in ſtatu Moſaico negabatur, integre poterat Lex impleri; hac inſtructis præcepta ejus non erant gravia, non tædioſa: ſed *deſiderabilia ſuper aurum, - - & dulciora ſuper mel & favum*, quod de ſe David teſtatur Pſ. 18.

§. III.

Quos Lex vetus obligaverit? quamdiu perduravit hæc obligatio? numque, ceſſante illa, continuo illicita ſit reddita Legis obſervatio?

EXplicatis Legis Moſaicæ præceptis, aſſertaque univerſim eorum bonitate ac ſanctitate, reliquum eſt, ut ea quoque, quæ ad obligationem hac Lege inductam pertinent, in examen vocentur. Eam in rem vero cumprimis oportet ſtatuere de Subjecto Legis, ſeu populo, pro quo illa conſtituta eſt, quique proinde illius obligatione tenebatur; tum de auctore & tempore abrogationis, qua Lex cum obligatione ex ea promanante eſſe deſiit; demum de abrogationis hujus effectu ac modo. Atque hæc illa ipſa ſunt, quæ propoſitis tribus quæſitis complectimur: ſimul de omnibus, propter ſummam eorum invicem connexionem, hoc eodem §. diſceptaturi, ſeorſim tamen de ſingulis, ut ordinata ſit tractatio.

De

Digitized by Google

De populo Legis Vet. obligatione adſtricto.

LEx vera, eaque complete ſumpta non poteſt non obligare, ut ex Diſſert. I. certum eſt. Cum igitur Lex vetus veræ legis rationem habeat, ut quæ a Deo legitimo Superiore in commune bonum juſtiſſime lata, ac etiam per legitimam promulgationem ſufficienter eſt completa: dubitari nequit, eam quoque obligaſſe. At quos illos? rurſum ex alias dictis conſtat, ad eos ſolum obligationis effectum pertinere, quibus Lex conſtituta & promulgata eſt. Quibus attentis una eſt quidem omnium ſententia: Judæorum populum Legis Moſaicæ præceptis omnibus fuiſſe obligatum; at controvertitur: num idem dicendum de Gentilibus populo Judaico adſcriptis? item, an quoad præcepta ſaltem moralia Lex vetus univerſim omnes homines obligaverit? Nos de tota hac controverſia Aſſertione una pronuntiabimus. 126

ASSERTIO.

Lex Moſaica quoad præcepta omnia, proinde tam moralia, quam cæremonialia & judicialia, per ſe obligabat ſolos Judæos; per accidens etiam Gentiles, populo Judaico per Circumciſionem adſcriptos: non autem alios, nec quoad præcepta moralia, prout per hanc Legem propoſita.

PArs I. in dubium revocari non poteſt: eos enim ſolum per ſe obligabat Lex vetus, quibus ex mente Dei Legislatoris data, ac promulgata eſt; at hi ſoli erant Judæi, ut conſtat ex C. 19. Exodi & ſeqq. Unde Deuter. 4. ad illos Moyſes: *quæ eſt enim alia gens ſic inclita? ut habeat cæremonias, juſtaque judicia, & univerſam Legem, quam ego proponam* &c. ubi dein tam hoc, quam ſeqq. CC. agit minutim de omnibus Legis præceptis. Idem teſtatur Apoſtolus ad Rom. 127

Rom. 3. quærens: *Quid ergo amplius eſt Judæo?* continuo enim reſpondet V. altero, *Multum per omnem modum; - - quia credita ſunt illis eloquia Dei*, hoc eſt, mandata & promiſſa in Lege contenta: nam C. 9. de Iſraelitis ait: *quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legislatio, & obſequium, & promiſſa.*

128 Pars II. eruitur inde: quod Gentiles, tametſi nullo præcepto urgerentur ad ſe ſe aggregandos populo Judaico, aggregari tamen poſſent: ac ſi vellent, admittendi erant; jamque admiſſis incumbebat onus Legis Moſaicæ etiam quoad ea, quæ præceptis naturalibus erant ſuperaddita, cæremonias ſcilicet & judicia. Iſtud aſſerendi fundamentum deſumitur ex illis Dei ad Judæos Exodi 12. verbis: *Si quis peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam, & facere Phaſe Domini, circumcidetur prius omne maſculinum ejus, & tunc rite celebrabit, eritque ſicut indigena terræ.* Quamvis autem iſthic ſolius Circumciſionis expreſſa fiat mentio: recte nihilominus ex eodem loco infertur totius Legis obligatio. Idque primum propterea, quod ibid. nulla exceptione facta, generatim dicatur, *erit ſicut indigena terræ*, & V. ſequ. *eadem lex erit indigenæ, & colono, qui peregrinatur apud vos;* tum etiam, quod Circumciſio fuerit profeſſio Religionis Judaicæ, ſicut Baptiſmus eſt profeſſio Religionis Chriſtianæ: perinde igitur ac ad hunc conſequitur obligatio obſervandi totam Legem Evangelicam, ita ad Circumciſionem obligatio totius Legis Moſaicæ. Atque ad hoc alterum reſpexiſſe videtur Apoſtolus ad Gal. 5. V. 3. dicens: *teſtificor - - omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ Legis faciendæ.* Fuiſſe autem e Gentilibus plures, qui ſe populo Judaico adjungerent, & Legi Moſaicæ ſubjicerent, conſtat Judith. 14. in Achior, & omni ſucceſſione generis ejus; item Eſth. 8. ubi V. ult.

Digitized by Google

V. ult. refertur, tantum fuiſſe Judaici nominis terrorem, *ut plures alterius gentis & ſectæ eorum Religioni, & Cæremoniis jungerentur.*

Pars III. vel argumento negativo ſatis conficitur. Nuſpiam nimirum legitur Moſaicam legem etiam aliis præterea latam, minus promulgatam; nihil igitur eſt, unde ex mente Legislatoris Dei ad alios quoque proferatur ejus obligatio. Quid quod complures Gentilium, tametſi Legem Moſaicam non obſervarent, veri nihilominus fuerint Dei cultores, gratiamque & ſalutem ſint conſecuti, ut colligitur ex C. 2. ad Rom. V. 10. 14. & 15. idemque docet Dionyſius Areop. C. 9. Cæleſt. Hier. ambigi certe nequit de Naaman Syro 4. Reg. 5. 129

Ac in hæc quidem, ſi de Legis Moſaicæ præceptis cæremonialibus duntaxat & judicialibus ſit ſermo, facile omnes conſentiunt; ſolum controverti poteſt de Lege eadem, prout præcepta juris naturalis complectente. Sed & hæc controverſia eſt tantum de voce: fatemur quippe his præceptis ut naturalibus, proinde ut per naturale rationis dictamen promulgatis, univerſim omnes ſine diſcrimine obligatos fuiſſe; at obligationem hanc negamus etiam inde repetendam, quod præcepta eadem per Legem Moſaicam nominatim ſint propoſita. Nec difficile eſt hujus rationem reddere: nam Lex Moſaica ſecundum omnia ſua præcepta ſolis Judæis voluntate Dei eſt promulgata; unde Gentiles non ſubjiciebantur pœnis temporalibus lege latis contra præceptorum etiam moralium ac naturalium prævaricatores, e. g. blaſphemos, adulteros &c.

Solvuntur Objectiones.

130 OPpon. I. Fieri vix poterat, ut ſine perſonarum acceptione Lex pro Judæis ſolis ferretur: cum tamen Deus *perſonarum acceptor* non ſit Act. 10. Id quod eo certius ſequitur, quod nulla queat proferri cauſa: cur præ aliis ſoli Judæorum populo de Lege proviſum fuerit? Imo

II. Videtur ad providentiam modernam pertinuiſſe; ut eadem Lex vetus daretur univerſim pro omnibus, etiam Gentilibus; Deus quippe ſecundum hujus providentiæ leges omnium vult ſalutem per Chriſtum: Lex autem uti ad Chriſtum venturum, ſic & ſalutem per eum obtinendam præparabat. Aut, ſi nihilominus citra hujus præparatoriæ legis onus ac obligationem ſalutem conſequi poterant Gentiles, jure dixerimus, ſortem eorum beatiorem fuiſſe, quam electi & Deo chari populi Judaici. Demum

III. Si vetus Lex *per ſe* non obligabat Gentiles, non etiam *per accidens*: neque enim licitum eis erat aggregare ſe ſe Judæis, cum Chriſtus ipſe aggregationem hanc improbet Matth. 23. increpans eos, qui facerent proſelytos, hoc eſt a Gentilitate ad Judaiſmum traducerent.

Reſp. ad I. haud recte iſthinc argui perſonarum acceptorem eſſe Deum: nam *acceptio* hæc (ut docet S. Thom. 1. 2. qu. 98. Ar. 4. ad 2.) *locum habet in his, quæ ex debito dantur; - - ſalutaria autem beneficia* (quale erat Lex vetus) *Deus humano generi confert ex ſua gratia.* Unde ſimul cauſam habes, cur præ aliis populo Judaico ſit lex data: referendum id nimirum eſt ultimo ad ſummam Dei in res creatas libertatem, miſericordiam, & judicia; quibus quidem at-

tentis,

tentis, ut notat Auguſtin. L. de Prædeſt. C. 8. *Deus omnes, quos docet, miſericordia docet: quos autem non docet, judicio non docet.* Cæterum ſi a convenienti requiras cauſam, non diffiteor eam cum laud. Doctore Ang. repeti poſſe a promiſſione veteribus Patriarchis facta de Chriſto ex eorum ſtirpe naſcituro: *decebat enim, ut ille populus, ex quo Chriſtus naſciturus erat, quadam ſpeciali ſanctificatione polleret.* Sed nimirum convenientia hæc quædam eſt, at non ratio ultima; ut enim Sancti illi Patriarchæ promiſſionem hanc promeruerint *de congruo*, non tamen *de condigno:* ultro igitur adhuc quæri poteſt promiſſionis hujus, ſimulque Legis populo Judaico datæ cauſa. Atque hic jam omnino in ſola Dei erga Judæos miſericordia aquieſcendum, nec ultra inveſtigandum monet idem S. Doctor, illa D. Auguſtini ex Tract. 26. ſuper Joan. verba in hanc rem recitans: *quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle judicare, ſi non vis errare.*

Reſp. ad II. nihil adverſum providentiæ leges actum, cum Judæis ſolis Lex data eſt: etſi enim finis eſſet illius præparare ad ſalutem per Chriſtum, hæc nihilominus per legem præparatio non erat abſolute neceſſaria; hinc Gentiles ſine illa poterant conſequi ſalutem per Chriſtum. Nec propterea tamen felicior eorum dicenda eſt conditio: Legis quippe beneficio id præterea obtinebant Judæi, ut magis Deo conjungerentur, eidem conſecrarentur peculiari quadam ratione, ſalutiſque iter expeditius inſiſterent. Applica iſthuc exemplum a Religioſis & Secularibus deſumptum, & rem illuſtratam habes.

Reſp. ad III. Negandum eſſe aſſert. cum adjecta ratione; certe oppoſitum patet ex N. 128. Neque adverſatur locus ex Matth. citatus: hoc enim C. propterea duntaxat Scri-

Digitized by Google

bæ & Phariſæi reprehenduntur a Chriſto, quod proſelytum, quem magno ſtudio conquiſierant, prava deinde ſua doctrina & corruptis moribus efficiant ſceleratum; hinc eſt, quod eos ibid. reprehendens vocet hypocritas, & ſubdat: *cum fuerit factus* proſelytus, *facitis eum filium gehennæ duplo, quam vos.*

De Legis vet. ejuſque obligationis abrogatione.

131 I. ANtiqua fuit (Suarezio teſte) Judæorum opinio, Moſaicam legem ad finem uſque mundi perduraturam. Nec dubium eſt, iſtud Apoſtolorum etiam ætate exiſtimaſſe quosdam de Judæa deſcendentes & Phariſæos, eos ſcilicet, qui Act. 15. V. 1. docebant: *quia niſi circumcidamini ſecundum morem Moyſi, non poteſtis ſalvari*; & V. 5. *quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque ſervare legem Moyſi.* Eundem ſubinde errorem (ut videre eſt apud Irenæum L. 1. C. 26. & Epiphan. Hær. 18. 28. 30.) ſecuti ſunt Ebion, Cherintus, & Nazaræi eo provocantes: quod pluribus Scripturæ locis Lex dicatur æterna, ut Baruch 4. *hic liber mandatorum Dei, & Lex, quæ eſt in æternum.* Nunc certa eſt Chriſtianis omnibus ſententia: Legem veterem adeo non fuiſſe ex mente Legislatoris Dei perpetuam, ut eadem etiam voluntate illius jam abrogata ſit; in eo duntaxat quibusdam apud emin. Gotti aberrantibus hæreticis, quod abrogationem hanc Joanni Bap. attribuant propter illud Luc. 16. *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem.*

132 II. Quod ſi jam porro Orthodoxorum requiras doctrinam, certum eſt omnibus: Legem abrogatam eſſe, non tamen Joanne, ſed Chriſto ipſo auctore. Ut interim in hoc conſentiant omnes, in varia nihilominus abeunt, dum de abroga-

rogatis in ſpecie præceptis Moſaicis, abrogationiſque tempore inſtituitur quæſtio. Sola nimirum præcepta cæremonialia & judicialia plurimi: contra aliqui univerſim omnia, etiam moralia, eſſe abrogata contendunt. Tempus item abrogatæ Legis mortem Chriſti ſtatuunt alii, alii Pentecoſten, quidam illud ultra etiam proferunt. Varias has Patrum & Doctorum opiniones cum ſuis auctoribus legere eſt apud Suarez, de hoc argumento copioſe ac erudite more ſuo differentem L. 9. de Lege div. poſ. vet. a C. 9. uſque ad ult. ſcilicet 22. E tot jam vero controverſis ſententiis quæ demum deligenda? mediam libet inire viam; eam videlicet, qua probe diſcernendum erit primum inter præcepta ſecundum materiam præciſe ſpectata, eademque ſimul ut per Legem Moſaicam propoſita: tum inter abrogationem Legis quoad ſe, & abrogationem ejus quoad obligationem. Animadverſio hæc clarior fiet ex Aſſertione, ejuſque explicatione; una hinc conjicies, Doctorum opiniones facile invicem conciliari poſſe, eaſque fere quoad modum explicandi duntaxat, non quoad rem ipſam eſſe differentes.

ASSERTIO.

Lex Vetus abrogata eſt univerſe per Chriſtum: & quidem quoad ſe in morte Chriſti: quoad obligationem vero eo tempore, quo Evangelium eſt ſufficienter promulgatum Judæis.

PRima Aſſertionis pars tribus membris conſtat: quæ cum 133
ſingula peculiare quid contineant, ſingillatim expendenda ſunt. Itaque

Aſſerimus 1*mo*, Legem eſſe abrogatam. Cur iſtud vero? quia abrogatio hæc prænuntiata eſt per Jeremiam C. 31. dicente Domino: *Ecce dies venient, - - feriam domui Iſrael*

& domui Juda fœdus novum &c. ſuper quæ verba Apoſtolus ad Hebr. 8. *dicendo* (inquit) *novum*, *veteravit prius*, in prænuntiatione ſcilicet. Eſſe autem iſtud impletum, ac re ipſa Legem jam abrogatam, docemur primum teſtimonio Apoſtoli, qui ad Gal. 3. *Lex*, inquit, *Pædagogus noſter fuit in Chriſto*, - - *at ubi venit fides*, *jam non ſumus ſub Pædagogo*; & Hebr. 7. *reprobatio fit præcedentis mandati*, *propter infirmitatem ejus*, - - *nihil enim ad perfectum adduxit Lex* &c. Docemur item ratione: quia finis Legis erat Chriſtus ad Gal. 3. Lex vero umbra futurorum Hebr. 10. & figura Chriſti, ejuſque Evangelii 1. Cor. 10. his igitur ſuccedentibus, deſinere Legem oportuit.

Aſſerimus 2*do*, Legem eſſe abrogatam univerſe: quoad omnia proinde præcepta, etiam moralia prout per Legem Moſaicam propoſita. Ita ſentiendi ratio petitur ex Scripturæ teſtimoniis paulo ante laudatis: hæc quippe, nulla reſtrictione facta, univerſim abrogatam eſſe Legem comprobant. Nullane ergo, inquies, amplius veterum præceptorum moralium obligatio? ut ea quidem per Legem Moſaicam erant propoſita, atque ſub ea contenta, omnino nulla; ſupereſt nihilominus obligatio eorundem, prout illa ſcilicet ratione materiæ ad legem naturalem pertinent, vel per Legem Evangelicam conſtituta ſunt. Unde nunc (ut recte notat Simonnet) ad obſervanda Decalogi præcepta non tenemur vi Legis Moſaicæ, ſed vi legis naturalis & Evangelicæ duntaxat; propterea tranſgreſſores amplius non ſubjiciuntur antiquis pœnis legalibus, nec obſervanda eſt in Præcepto III. circumſtantia Sabbati &c. quia nimirum ad hæc non obligat lex naturæ, aut Evangelii. Ex his una conjicias: Moſaicam legem non fuiſſe abrogatam proprie niſi reſpectu eorum, pro quibus lata fuit; cur enim comparate ad alios, ad quos non pertinebat, abro-

abroganda fuiſſet? imo quoad hos vero ſenſu ne abrogari quidem potuit, cum nec rationem Legis reſpectu eorum unquam habuerit.

Aſſerimus 3*tio*, abrogatam eſſe per ipſum Chriſtum: non per Joannem proinde, aut quemlibet alium: Nimirum ab eo Lex vetus ſublata eſt, qui novam condidit: per hanc quippe illius abrogatio facta eſt; atqui Legis novæ conditor fuit Chriſtus, ut §. 1. probatum eſt; idem igitur etiam veterem ſuſtulit. Huc faciunt Scripturæ loca, quibus dicitur Chriſtus *medium parietem maceriæ* (hoc eſt, Synagogam Judaicam) *ſolvens*, & *Legem mandatorum evacuans* ad Epheſ. 2. item veniſſe illum, *ut eos, qui ſub Lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus*, ad Gal. 4.

Altera Aſſertionis pars argumento primum negativo præ- 134
munienda eſt. Iſtud vero abunde conficitur ex eo, quod Chriſtus, quamdiu vixit, & ipſe Legem obſervaverit, & ab aliis obſervari voluerit; quod utrumque referunt Evangeliſtæ. Eſt quippe octavo die circumciſus *Luc.* 2. juſſit Diſcipulos aſcendere ad diem feſtum *Joan.* 7. celebravit legale Paſcha *Mar.* 14. voluit leproſum ſiſti Sacerdoti, & offerre munus ſecundum legem Moyſi *Matth.* 8. voluit obediri Scribis & Phariſæis ſuper cathedram Moyſi ſedentibus & docentibus *Matth.* 23. Ex quibus, præſertim ſi conferantur cum mox dicendis, quid ni recte arguas: ergo Lex vetus nulla penitus ratione fuit abrogata ante mortem Chriſti. Quando igitur iſtud præſtitum? in ipſa Chriſti morte aſſerimus, idque argumento duplici. Nimirum

1*mo*, tum Lex vetus abrogata eſt, cum impletum eſt id, quod per illam promittebatur in figura, Chriſtus ſcilicet huma-

Digitized by Google

humani generis Redemptor; iſtud vero in morte Chriſti impletum eſſe, nemo addubitat: cum Chriſtus ipſe jam jam ſpiritum Patri redditurus dixerit, *Conſummatum eſt* Joan. 19. ex quibus verbis S. Thom. 1. 2. qu. 103. Ar. 3. ad 2. infert: *& ideo tunc totaliter debuerunt ceſſare legalia, quaſi jam eorum veritate conſummata.* In hujus certe rei ſignum communiter docent PP. velum Templi eſſe ſciſſum: *Velum ſcinditur* (inquit Ambroſ. L. 10. in Luc. C. 23.) *quo myſteriorum Synagogæ profanatio declaretur*; ut S. Leo Serm. 17. de Paſſion. *adeo tunc a Lege ad Evangelium, a Synagoga ad Eccleſiam, a multis Sacrificiis ad unam Hoſtiam, quæ Deus eſt, evidens eſt facta translatio, ut emittente Domino Spiritum, velum vi ſubita ſcinderetur.*

2do, non prius, quam in morte Chriſti conditum eſt Teſtamentum novum, cum illius *Mediator* fuerit Chriſtus *morte intercedente*, ut docet Apoſtolus ad Hebr. 9. V. 15. quin & probat ſeqq. *ubi enim*, inquit, *teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris* &c. Item: in morte Chriſtus tranſtulit a Judæis Sacerdotium, quando videlicet in Cruce moriens ſe ipſum, novus Sacerdos, Patri obtulit in ſacrificium omnium veterum conſummativum, & hac *una oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos* ad Hebr. 10. An non autem utroque hoc nomine exiſtimandum eſt, in ipſa Chriſti morte Legem veterem eſſe abrogatam? Certe juxta laud. Apoſtolum ad Hebr. 10. V. 9. ablatio Teſtamenti veteris & conſtitutio novi ſimul evenit: *aufert*, inquit, *primum, ut ſequens ſtatuat.* Juxta eumdem præterea ad Hebr. 7. *translato Sacerdotio, neceſſe eſt, ut & Legis translatio fiat.*

Utrumque iſtud (ut vides) id ſaltem evincit, quod per Chriſti mortem Lex Moſaica *quoad ſe* antiquata & ſublata

Digitized by Google

fuerit: ea nimirum ratione, qua e. g. legem humanam quoad ſe abrogari dicimus, dum de illius abrogatione Princeps legitimum inſtrumentum conficit, tametſi nondum promulget. Quod ſi ad iſtud explicandum receptis in Schola vocabulis uti velis, ac dicere: in morte Chriſti Legem eſſe abrogatam *in actu primo*, *inchoative* &c. non repugno: modo id genus terminorum phraſi non aliud, quam volumus, intelligas.

Tertia Aſſertionis pars agit de abrogatione Legis quo- 135
ad obligationem; ſeu, quod idem eſt, de abrogatione Legis complete ſumptæ, vel de abrogatione completa. Atque hanc tum dicimus factam, cum Evangelium eſt ſufficienter promulgatum Judæis: quoad hos enim ſolum Lex proprie abrogari potuit, ut ſupra inſinuavimus.

Jam vero in hanc rem argumentum ſuggerunt illa Apoſtoli ad Eph. 2. de Chriſto verba: *Legem mandatorum decretis evacuans;* quibus ſignificari videtur, Moſaicam legem evacuatam, hoc eſt, etiam quoad obligationem penitus ſublatam per nova Chriſti decreta, ſeu Legem Evangelii. Ut ut ſit interim de his verbis: nam & alio ſenſu exponi illa poſſe non diffiteor; lubet tamen ex ratione, eorum occaſione inſinuata, ita arguere. Lex Moſaica quoad obligationem eo tempore eſt abrogata, quo Judæos obligare deſiit: deſiit obligare, cum illos cœpit obligare Lex Evangelica: hæc obligare cœpit, dum reſpectu illorum completam Legis rationem habuit: habuit autem eo primum tempore, quo ſufficienter illis promulgata eſt; igitur Lex Moſaica quoad obligationem non prius eſt abrogata, quam fuerit Judæis Evangelium ſufficienter promulgatum. Eſt vero ita arguendi ratio: quia lex prior tamdiu obligat, quamdiu nova eam abrogans non promul-

gatur; lex quippe eſt regula publica, ſicut proinde legitime innoteſcere oportet legem, ut obliget: ita & abrogationem, ut ceſſet obligare; hæc autem legitima notitia obtinetur per ſufficientem promulgationem. Quod porro ad tempus attinet promulgatæ Legis Evangelicæ, infra §. V. ex propoſito dicetur; nunc indicaſſe ſuffecerit: promulgationem hanc, pro Urbe ſaltem Hieroſolyma, factam die Pentecoſtes: ſenſim deinceps pro reliquis partibus per Apoſtolorum prædicationem.

Hactenus dictis momentum non leve addit ſenſus Chriſti diſcipulorum: hi ipſi nimirum exiſtimabant adhuc poſt mortem Chriſti obligaſſe legem Moſaicam, ut colligitur ex piis mulieribus Chriſtum ſequentibus, de quibus Lucas C. 23. *revertentes* (a monumento ſcilicet, in quo poſitum erat Corpus Domini) *paraverunt aromata & unguenta, & Sabbato quidem ſiluerunt ſecundum mandatum;* cenſebant igitur obſervandum eſſe adhuc Sabbatum, ſicut præcipiebat Lex vetus.

Reſpondetur Adverſariis.

136 OBjici poteſt I. De Lege veteri univerſim ſumpta dicitur, *quæ eſt in æternum*, Baruch 4. & in particulari Phaſe Exodi 12. præcipitur celebrandum *cultu ſempiterno.* Adhæc poſt promulgatum etiam Evangelium viguit Lex Moſaica; nam Apoſt. ad Rom. 3. *Legem ergo deſtruimus per fidem? abſit; ſed Legem ſtatuimus*, id eſt, confirmamus. Imo hodie etiam viget in Eccleſia: quid enim ſunt veſtes Sacerdotales, luminarium & incenſi uſus &c. niſi legales cæremoniæ? Igitur Lex vetus non eſt abrogata. Aut ſaltem

II. Ab-

Digitized by Google

II. Abrogata non eſt per Chriſtum, ſed per Joannem; cum teſte Luca C. 16. *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem*: & Chriſtus de ſe ipſo profeſſus ſit Matth. 5. *non veni Legem ſolvere, ſed adimplere.* Si proinde Lex abrogata eſt, tribuendum id Joanni Chriſtum prædicanti.

Reſp. ad I. Legem fuiſſe æternam eo duntaxat ſenſu, quod longiſſimo tempore, ac dum Synagoga exiſteret, fuerit duratura. Iſtud vero nominatim cit. locis ſignificari voce *æternum* & *ſempiternum*, evincitur ex Legis abrogatione, quam indubie factam eſſe comprobavimus; præterquam quod conſtet, haud infrequentem eſſe in Scriptura id genus vocabulorum uſum in hoc ſenſu. Ita Deut. 15. de ſervo, qui ſeptennio expleto non vult manumitti, ſtatuitur: *ſerviet illi* (Domino ſuo) *in æternum*, id eſt, toto vitæ ſuæ tempore. Et Gen. 17. Abrahæ promittitur *terra Chanaan in poſſeſſionem æternam*, hoc eſt, dum Judæorum Reſpublica duraverit. Cæterum dici etiam poteſt cum D. Thoma: veterem Legem eſſe æternam *ſecundum moralia quidem abſolute*, ſpectata ſcilicet eorum materia; *ſecundum cæremonialia vero quantum ad veritatem per ea figuratam.*

De verbis Apoſtoli ad Rom. id habe. Dicit ſe Legem non deſtruere, ſed ſtatuere vel hoc ſenſu, quod juſtificationem aſſerens fieri per fidem in Chriſtum, & non ex operibus legis, non ſufferat omnem legem: verum ſtatuat potius Legem, quæ ſit veteri perfectior; vel quod Lex nova probet ac confirmet veterem fuiſſe bonam & utilem: ut quæ eandem in figura promiſerit juſtitiæ gratiam, quæ per Legem fidei Evangelicam reipſa confertur. Utriuſque hujus ſenſus fundamentum præbet contextus; ut adeo ex verbis Apoſtoli adverſum nos perperam arguatur. Idem eſto judicium

Digitized by Google

cium de hodierno veſtium ſacerdotalium, aliorumque id genus rituum uſu; utimur ſcilicet his ex Eccleſiæ, non autem Legis Moſaicæ præſcripto: diverſo item fine, ac ſignificatione, atque Judæi, ut Auguſtin. notat contra Fauſtum L. 20. C. 23.

Reſp. ad II. N. aſſertum; nec probant in oppoſitum Evangeliſtarum teſtimonia. Apud Lucam nempe, *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem*, ex mente Auguſtini L. 3. contra duas Epiſt. Pelagii C. 4. dicuntur propterea, quod in illis prænuntiatus fuerit Chriſtus venturus; hic vero præſentem indicaverit per illa verba Joan. 1. *ecce Agnus Dei, ecce qui tollit* &c. idcirco ab ipſo Chriſto Matth. 11. vocatus *plus quam Propheta*, item *Angelus ante ſuam faciem miſſus.* Quod alterum objicitur, perinde nihil urget; ſenſus enim Chriſti apud Matth. C. 5. verborum eſt: veniſſe illum, ut Legis figuram & Prophetarum promiſſa ac vaticinia impleret generis humani redemptione, & novæ perfectioris Legis conſtitutione. Colligitur iſtud ex V. ſequ. quo Chriſtus dicit: *jota unum, aut unus apex non præteribit a Lege, donec omnia fiant*, quæ videlicet promiſſa & figurata ſunt; totoque deinde cit. Capitis decurſu perfectiora Legis Evangelicæ mandata proponit.

137 Inſtabis forte: tametſi detur Legem veterem eſſe abrogatam, & quidem a Chriſto, at

I. dici nequit, abrogationem hanc non prius, quam in morte Chriſti eſſe factam. Etenim Lex fuit figura venturum Chriſtum prænuntians; ut primum ergo hic in mundum venit, ceſſavit illa: aut tum ſaltem, cum Chriſtus inſtituit Baptismum, id quod ab eo longe ante mortem factum docuimus

Digitized by Google

cuimus L. II. de Bapt. Certe inſtituto Baptiſmo aboleri neceſſe erat Circumciſionem, utpote jam inutilem; hac vero abolita, ultro deſiit Lex, ut quæ circumciſos tantum obligaverit. Deſiiſſe denique illam argumento eſt, quod ab Apoſtolis obſervata non fuerit; hinc a Phariſæis accuſati, quod ſabbato ſpicas vellerent Matth. 12. quod pranſuri manus non lavarent Matth. 15. Ac ſi hæc rem non evincant; perinde

II. dici nequit, in ipſa Chriſti morte Legem vel quoad ſe eſſe abrogatam. Figurabat nimirum illa generis humani Redemptionem, quæ primum reſurgente Domino completa eſt juxta illud ad Rom. 4. *reſurrexit propter juſtificationem noſtram;* ergo Legis figura nondum fuit impleta per mortem Chriſti, verum in reſurrectione tantum; neque proinde ante hanc ullo vero ſenſu Lex deſinere potuit. Et profecto qui tandem illa, vel quoad ſe, jam in morte Chriſti deſineret, quæ ab hac adhuc (ut nos ipſi volumus) Judæos obligabat?

Reſp. ad I. N. aſſertum. Quamvis enim per adventum Chriſti Legis figura ex parte impleta fuerit: non tamen integre, ac in eo, quod præcipue figurabat. Erat nempe Lex umbra & figura Chriſti non quomodocunque venturi: ſed venturi ut Redemptoris, & Teſtamenti novi conditoris; certe autem is non niſi per Paſſionem & Mortem ſuam nos redemit, novumque Teſtamentum condidit, ac velut conſignavit.

Nec officit, jam antea Baptiſmum fuiſſe inſtitutum: cum enim ejus Lex non ſit continuo ſimul publice promulgata, nondum univerſim obligavit. Univerſim inquam: ſunt quippe, qui exiſtiment jam tum illius Chriſti ad Nicodemum Joan. 3. dicti, *niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* conſcios, ad ſuſcipiendum Baptiſmum fuiſſe obligatos: non quidem vi novæ

Digitized by Google

Legis proprie talis, ſed vi præcepti tantum privatim cogniti. Alii interim putant neque his Baptiſmum fuiſſe de præcepto, verum de conſilio duntaxat; idque propterea, quod laudata Chriſti verba intelligenda fuerint pro tempore promulgatæ Legis Evangelicæ: ſicut & illa Joan. 9. *niſi manducaveritis carnem Filii hominis - - non habebitis vitam in vobis.*

At ſaltem, inquies, jam ante mortem Chriſti baptizatis (ſeu demum ex præcepto, ſeu ex conſilio tantum id factum ſit) inutilis fuit Circumciſio: ultro proinde quoad hos Lex Moſaica deſiit? Ut daretur iſtud, nondum tamen ſequitur, univerſim jam tum fuiſſe Legem abrogatam. Dicendum nihilominus videtur eo tempore ne his quidem inutilem futuram Circumciſionem; nam & illis (quod Circumciſioni eſſe proprium diximus L. II. de Bapt.) poterat deſervire in ſignum fœderis a Deo cum Judæis initi: in ſignum item, quo ceu gens electa diſcernerentur ab aliis nationibus: in ſignum, quo admonerentur peculiaris divinæ erga populum Judaicum protectionis, excitarentur ad colendum Deum per Legis Moſaicæ obſervantiam, ac denique redderentur idonei ad uſum legalium, præſertim ad Phaſe celebrandum. Vel in baptizatis igitur ſuo non caruit fine ac fructu Circumciſio; atque adeo inſtituto etiam Baptiſmo potuit Lex perdurare. Ac re ipſa perduravit, eademque non minus a Chriſto, quam Apoſtolis obſervata fuit; hinc illos de transgreſſione Legis injuſte accuſabant Phariſæi, perperam ſcilicet interpretantes Legem, pro hac imo traditionem ſeniorum vanam obtrudentes, ut clarum ſit ex contextu utriuſque cit. Cap.

Reſp. ad II. rurſus N. aſſertum. Redemptio quippe quam Lex præcipue figurabat, integre omnino completa eſt per mortem Chriſti, ut qui (teſte Apoſtolo ad Hebr. 9. V. 15.)

novi

novi Teſtamenti Mediator eſt -- morte intercedente, in redemptionem. Unde, quod ad Rom. 4. ait, non alio ſenſu intelligendum eſt, quam quod Chriſti reſurrectio ſit cauſa exemplaris noſtræ ad vitam novam reſurrectionis: cum interim ejusdem cauſa meritoria adæquata fuerit mors & paſſio Chriſti, in qua videlicet redemptionis noſtræ myſterium eſt conſummatum. Atque ita, ſublata Legis figura, Legem etiam quoad ſe ſublatam recte contendimus. Nec mirum obligaſſe adhuc illam: nam obligare poteſt, quin etiam obligat, ac omnes ſibi proprios effectus parit lex quoad ſe abrogata, donec hæc ipſa ejus abrogatio per legitimam promulgationem innoteſcat. Exemplum habes in lege humana: idque expoſcit tam ordinata Legislatoris voluntas, quam recta communitatis gubernatio. Unde ſimul inferre licet: a morte Chriſti uſque ad promulgatum Evangelium ſuam adhuc fuiſſe efficaciam Remedio, ad delendum peccatum originale in ſtatu naturæ & legis Moſaicæ deſtinato.

Urgebit aliquis denique: ſi Lex vetus quoad ſe tantum, & 138
non quoad obligationem etiam in morte Chriſti deſiit, videtur hanc ejus obligationem ne poſt Evangelium quidem ſufficienter promulgatum eſſe abrogatam. Ratio dubitandi eſt: nam negari nequit, ab eo etiam tempore Apoſtolos aliquas Legis Moſaicæ cæremonias obſervaſſe, imo obſervandas etiam præcepiſſe, ut patebit ex hujus §. parte ultima; a promulgato igitur Evangelio viguit adhuc Legis obligatio perinde, ac ante Chriſti mortem, aut poſt hanc uſque ad Pentecoſten.

Reſp. plenam hujus argumenti reſolutionem ac notitiam eſſe petendam ex iis, quæ mox copioſius dicturi ſumus de modo, quo Lex abrogata eſt. Nunc præliminarium inſtar notaſſe ſuffecerit: Apoſtolos ab Evangelii promulgati tempore quæ-

dam

Digitized by Google

dam Legis cæremonialia quidem obſervaſſe, aliisque obſervanda præcepiſſe, at non vi Legis Moſaicæ, nec eo fine, quo præcipiebat illa; unde & eos, quibus legalium quorundam uſum imperabant Apoſtoli, non Lex vetus, ſed novum Apoſtolicum præceptum ad eam obſervantiam obligabat. Aliter ſentiendum eſt de tempore, quod Evangelii promulgationem anteceſſit, ut jam ex hactenus dictis conſtat.

De modo, quo Legis vet. obligatio abrogata eſt.

MOdus, quo Lex etiam quoad obligationem penitus abrogatur, eſſe poteſt duplex. Vel enim abrogatur ita, ut, ceſſante obligatione, ſit nihilominus licita ejus obſervatio; vel ita, ut ſimul detur obligatio in oppoſitum, citra culpam proinde amplius obſervari non poſſit. Quo jam ex his modo Legis Moſaicæ obligatio ſit abrogata? in præſenti quæritur. Quam in rem certa a controverſis prius ſecernenda ſunt, ut planior fiat

Status controverſiæ.

139 I. CErtum omnibus eſt, Legem veterem quoad præcepta cæremonialia jam nunc ita eſſe abrogatam, ut eorum obſervatio evaſerit graviter noxia, nec amplius e. g. Circumciſio, Sacrificia Moſaica, aliæque id genus mere legales cæremoniæ abſque peccato uſurpari poſſint. Dixi præcepta *cæremonialia:* nam de moralibus & judicialibus ſecus exiſtimandum eſt. Nimirum præcepta moralia, quæ ſunt juris naturalis, etiamnum obſervare obligamur, non quidem vi Legis Moſaicæ, ut quæ jam penitus deſiit obligare: at vi Legis naturalis, quæ ſemper eſt eadem; item vi legis Evangelicæ, omnia juris naturæ præcepta confirmantis. Judicialia quoque præcepta (exceptis iis,

iis, quæ a Chriſto abolita ſunt, e. g. quibus permittebatur libellus repudii, erga alienigenas uſura &c.) quamvis non neceſſario, licite tamen quoad materiam ſervari poſſunt; imo a legitimo Magiſtratu idem, quod continebatur illis, etiam præcipi poteſt ſervandum: at rurſum ita duntaxat, ut tota obligatio fundetur in Lege nova, nullatenus autem in Lege Moſaica, neque hujus obſervatio intendatur. Unde ſimul potiori jure indubitatum eſt: hæc eadem Legis præcepta, moralia ſcilicet & judicialia, perinde in ſenſu nunc memorato citra culpam obſervari potuiſſe primis Eccleſiæ a promulgato Evangelio annis. Solum proinde

II. Controvertitur de præceptis cæremonialibus: an vide- 140
licet Lex Moſaica (ut Scholæ dicunt) ſtatim ac *mortua* eſt, ſimul *mortifera* fuerit quoad legales cæremonias? Porro in ſenſu ſcholaſtico eſſe *mortuam*, idem eſt, ac penitus etiam quoad vim obligandi abrogatam: *mortiferam* vero idem, ac illicitam, ſeu quæ ſine peccato ſervari non poſſit. Definiendum eſt itaque: num ut primum a promulgato Evangelio Lex vetus integre eſt abolita, continuo quoad præcepta ſaltem cæremonialia, evaſerit illicita & ſuperſtitioſa? an potius ex adverſo poſt illius abrogationem aliquo adhuc tempore, etſi non neceſſarium, licitum tamen fuerit hæc etiam præcepta ſervare, & quidem ſerio, ac animo Deum per legales cæremonias colendi? Hoc alterum communiter affirmant Doctores; cum quibus recepta in ſcholis phraſi ſit

ASSERTIO.

Lex vetus, etiam quoad præcepta cæremonialia, non ſtatim mortifera fuit, ac mortua eſt.

Aſſerti veritas facto & ſenſu Apoſtolorum comprobatur. Ni- 141
mirum poſt Legem Evangelicam pluribus locis ſufficienter

promulgatam, in iisdem proinde ſimul abolitam Legis Moſaicæ obligationem, atque adeo poſt Legem jam mortuam Apoſtoli nihilominus adhuc ſæpe obſervarunt legales cæremonias, quin ab aliis etiam obſervandas cenſuerunt, & quidem ſerio, ac animo Deum per eas colendi.

Ita S. Petrus, cum in mentis exceſſu Act. 10. videret vas, in quo erant omnis generis animalia, ac inter hæc etiam illa, quæ ſecundum Legem pro immundis habebantur, audiretque de cœlo vocem: *ſurge Petre, occide, & manduca*, continuo reſpondit: *abſit Domine!* quia *nunquam manducavi omne commune & immundum*; ad hoc uſque igitur tempus conſulto abſtinuerat cibis per Legem prohibitis. D. Paulus autem Act. 16. Timotheum circumcidit; idemque Act. 18. (juxta legem Num. 6. expreſſam) attondit caput ex voto, proinde non ſimulate. Item Act. 15. Apoſtoli & Seniores fratres ad Antiochenos fidem amplexos ita ſcribunt: *Viſum eſt Spiritui S. & nobis, - - imponere vobis, - - ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, - -* adjicientes: *a quibus cuſtodientes vos, bene agetis*; ubi vides cæremonialia quædam ab Apoſtolis non probari tantum, ſed & præcipi. Demum (quod Act. 21. legitur) cum Hieroſolymis percrebuiſſet rumor, Paulum non ſervare Legem, cum collectis Senioribus ita eum D. Jacobus allocutus eſt: *Vides, quot millia ſunt in Judæis, qui crediderunt* Evangelio, *& omnes æmulatores ſunt Legis. Audierunt autem de te, quia diſceſſionem doceas a Moyſe, - - dicens non debere eos circumcidere filios ſuos, neque ſecundum conſuetudinem ingredi. - - Hoc ergo fac: ſunt nobis Viri quatuor, votum habentes ſuper ſe; his aſſumptis ſanctifica te cum illis, & impende in illis, ut radant capita: & ſcient omnes, quia quæ de te audierunt, falſa ſunt, ſed ambulas & ipſe cuſtodiens Legem.* En! a Jacobo & Senioribus non damnantur, imo in exemplum pro-

Digitized by Google

ponuntur credentes Judæi, quamvis una forent Legis æmulatores; ſuadetur præterea Paulo, ut ipſe quoque ſecundum Legem ſe ſanctificet palam, quo innoteſcat, ab eo etiam Legem cuſtodiri. Quæ omnia profecto non ſimulatam, ſed ſeriam & religioſam obſervantiam probant: præſertim votum, ſanctificatio, Legis cuſtodia. Paulum porro acquieviſſe conſilio, conſtat ex eod. C. nam V. 26. refertur: *Tunc Paulus, aſſumptis Viris, poſtera die purificatus cum illis intravit in templum, annuntians Sacerdoti expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio.* Quod poſtremum ad rem noſtram eo confert amplius, quod juxta communiorem calculum contigerit Anno 24. a promulgatione Legis Evangelicæ Hieroſolymis facta: eo itaque tempore, quo illic ab annis jam multis Lex Moſaica obligare deſierat.

Hæc vero manifeſtum faciunt, Apoſtolos exiſtimaſſe, noſque cum illis exiſtimare debere: Legem veterem, etiam quoad cæremonialia, non continuo evaſiſſe mortiferam, ac eſt mortua. Niſi enim iſtud ita habeat, dicendum erit: quod Apoſtoli vel ignoraverint Legem cæremonias Moſaicas prohibentem; vel quod ſcienter contra eam Legem egerint. At profecto neutrum ſuſtineri poteſt. Non primum: quomodo enim id genus Legem (ſi quæ fuiſſet) ignorarent Spiritu S. repleti, & per hunc juxta promiſſionem Chriſti plena legis Evangelicæ notitia inſtructi? Non alterum: haud dubie enim illud, quod verbis prædicabant, contrariis operibus ſubvertere, atque ita ſibi & Evangelio fidem adimere noluerint.

At num perinde (quæret aliquis) nihil mortiferi habebat 142
Lex etiam quoad Gentiles fidem Chriſti profeſſos? Equidem his *per accidens* minus quam Judæis licebat uſurpare legalia; nam Judæi facile præſumebantur iis uti ex mera conſuetudine,

non autem ex neceſſitate : de Gentilibus contra pronum erat ſuſpicari, an non grave adeo Legis onus ſubire vellent propterea, quod ad ſalutem neceſſarium exiſtimarent ; igitur *per accidens* & ratione ſcandali minus erat Gentilibus, quam Judæis permittendus legalium uſus. Vel his interim *abſolute* licitum fuiſſe illum, multo eſt veriſimilius. Ante promulgatum ſcilicet Evangelium licebat Gentilibus amplecti Legem ; cur non igitur liceret facta etiam Evangelii promulgatione, donec Lex evaderet mortifera ? Nuſpiam certe legimus iſtud ſpeciatim prohibitum ; quin cum Act. 15. legalia aliqua Gentilibus præciperent Apoſtoli, cætera illorum arbitrio fuiſſe relicta, haud obſcure conjectari poteſt.

Neque opinioni huic adverſatur factum Pauli : qui Act. 16. circumcidit Timotheum, matre Judæa natum ; contra ad Gal. 2. Titum, utroque gentili parente progenitum, circumcidere noluit. Facto nimirum hoc Apoſtolus id duntaxat ſpectabat : ut Timothei quidem circumciſione oſtenderet, non improbare ſe cæremonias legales, tanquam ſuperſtitioſas & noxias ; Tito autem non circumciſo palam faceret, earum obſervationem nemini jam eſſe neceſſariam ad ſalutem. Expoſitio hæc eſt ad mentem Auguſtini in Ep. ad Gal. ita ſcribentis. *Quamvis Titus Græcus eſſet, & nulla eum conſuetudo, aut cognatio Parentum circumcidi cogeret, ſicut Timotheum ; facile tamen & iſtum circumcidi permiſiſſet Apoſtolus : non enim tali circumciſione dicebat ſalutem auferri. Sed ſi in ea conſtitueretur ſpes ſalutis, hoc eſſe contra ſalutem oſtendebat : poterat ergo ut ſuperfluum æquo animo tolerare. Propter ſubintroductos autem falſos fratres* (qui ſcilicet Circumciſionem prædicabant eſſe neceſſariam ad ſalutem) *non eſt compulſus Titus circumcidi, id eſt, non ei potuit extorqueri, ut circumcideretur ; quia illi vehementer obſervabant, & cupiebant circumcidi Titum, ut jam Circumciſionem & ipſius*

Pauli

Digitized by Google

Pauli atteſtatione & conſenſione tanquam ſaluti neceſſariam prædicarent.

Expediuntur argumenta contraria.

QUi nobis adverſantur negativo inprimis pugnant argumento; idque ex duplici capite ducunt. Ajunt nimirum 143

I. Ex facto & ſenſu Apoſtolorum non recte probari Legem a promulgato Evangelio aliquamdiu fuiſſe licitam ac innoxiam; nam Petrus & alii Apoſtoli ſimulate duntaxat obſervarunt legalia: non autem ſerio & religioſe, hoc eſt, non ex reverentia Legis, nec animo Deum colendi. Iſtud vero deſumitur ex illis ad Gal. 2. verbis: *ſimulationi ejus* (Petri) *conſenſerunt cæteri Judæi, ita ut Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem.* Hujus certe opinionis fuit (præter Originem, & hunc ſecutos Euſebium Emiſſ. Chryſoſtomum &c.) ipſe S. Hieronymus, eamdemque multis propugnavit in Epiſtola ad Auguſtinum data, quæ eſt 75. inter Epiſtolas Auguſtini; ubi ſimul contendit, ſimulationem hanc non fuiſſe vera reprehenſione dignam: neque a Paulo ad Gal. 2. V. 11. reprehenſam ſerio, ſed ſimulate tantum, in ſpeciem, & ex compoſito; quo ſcilicet Judæi legalibus addicti intelligerent, Legem non eſſe amplius ſervandam. Quod ſi autem hæc omnia ex ſimulatione geſta ſint ab Apoſtolis, perperam aſſeritur: eos religioſe obſervaſſe legalia; aut cenſuiſſe licitam eſſe eorum obſervationem ſeriam.

II. Ex eodem facto & ſenſu non recte arguitur propterea, quia alias perinde inferri poſſet: Apoſtolos exiſtimaſſe, Legem, quoad aliqua ſaltem cæremonialia, adhuc obligare, eaque ad ſalutem eſſe neceſſaria. Illationis porro hujus funda-

Digitized by Google

mentum præbet Epiſtola ad Antiochenos miſſa Act. 15. in qua Apoſtoli ajunt: *Viſum eſt Spiritui S. & nobis; nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria: ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione.* En! quædam legalia iſthic præcipiuntur; eadem dicuntur neceſſaria, & quidem ad ſalutem: cum conjungantur cum abſtinentia a fornicatione, quam profecto abſtinentiam cenſuerunt Apoſtoli ad ſalutem neceſſario requiri. Ex facto igitur & ſenſu Apoſtolorum liceret non minus legalium neceſſitatem inferre, ac innoxius eorum uſus aſſeratur.

Reſp. ad I. N. aſſert. una cum ratione: certe oppoſitum conſtat ex Num. 141. Unde, dum Paulus ad Gal. 2. V. 13. *ſimulationem* vocat eam Petri a cibis legalibus abſtinentiam, quam Judæis Antiochiam advenientibus obſervavit, cum tamen antea cum Gentibus ederet, intelligit ſimulationem mere *materialem*, ſeu quæ in ſe tantum, & in facto fuerit: non vero *formalem*, quaſi Petrus animo ſimulandi obſervaverit Legalia. Ita Auguſtinus in Ep. 82. alias 19. opinionem Hieronymi hac (præter alias) refellens ratione: quia ſimulare quidpiam in religionis negotio pernicioſum eſt mendacium, quodque ſine gravi peccato admitti non poſſit; id genus autem peccati reus dici nequit Petrus, ut qui jam in gratia confirmatus fuerit. Idem ex eadem cauſa de reliquis Apoſtolis eſto judicium. Igitur ſimulatio Petri fuit duntaxat in facto: quatenus nimirum incaute, & cum aliquo infirmorum ſcandalo in iis circumſtantiis legalia obſervaverit, in quibus exemplo illius Gentiles recens ad fidem converſi inducebantur, ut crederent cæremonias illas eſſe ad ſalutem neceſſarias. Hoc ipſum certe Paulus in ead. Ep. V. 14. ſignificat Petrum redarguens, *ſi tu*, inquit, *cum Judæus ſis, gentiliter vivis, & non judaice: quomodo Gentes cogis judaizare?* Jam vero propter in-

Digitized by Google

incautum hoc factum Petrus fuit vere reprehenſibilis : ac ſerio etiam, non autem ex compoſito, a Paulo ibid. V. 11. eſt reprehenſus, ut rurſum contendit laud. Auguſtinus; & patet ex contextu cit. Capitis, in quo Paulus abſolute dicit de Petro, *quia reprehenſibilis erat*, quodque ipſe & alii *non recte ambularent ad veritatem Evangelii.* Unde illud Pauli cit. V. 11. *in faciem ei reſtiti*, non idem eſt, ac *apparenter* : verum *palam, coram omnibus, in faciem ipſius*, ut conſtat ex lectione Græca, Æthiopica, & Syriaca; ſatisque iſtud indicat Paulus, cum infra V. 14. ait, *dixi Cephæ coram omnibus.* Sed nec eſt, quod ad S. Hieronymum quis provocet : nam & hic, Auguſtini argumentis convictus, mutavit demum opinionem, communemque Catholicorum cum Auguſtino ſententiam eſt amplexus, ut teſtatur Auguſtin. Ep. 130. alias 260. Retractationem porro ſuam Hieronymus indicavit L. 1. contra Pelag. C. 8. ubi exemplo S. Petri probat, ne Sanctos quidem in hac vita immunes eſſe a peccatis venialibus: *Paulus*, inquit, *de Petro dicat, quod non recto pede inceſſerit in Evangelii veritate; & in tantum reprehenſibilis fuerit, ut & Barnabas adductus fuerit in eandem ſimulationem. Quis indignabitur id ſibi denegari, quod Princeps Apoſtolorum non habuit?* Patres reliquos non moramur, ut qui fere Originis auctoritate inducti fuerunt : & ipſi indubie diſceſſuri ab opinione ea, ſi Auguſtinum in oppoſitam pugnantem audiviſſent.

Si porro quæras: num Petrus per hanc facti ſimulationem peccatum aliquod incurrerit? Certum inprimis eſt, lethaliter eum non peccaſſe, cum jam in gratia confirmatus fuerit; a veniali tamen culpa illum non abſolvunt Auguſtinus & Hieronymus : quidam autem cum Baronio ne hujus quidem reum exiſtimant propterea, quod per inculpabilem inadvertentiam excuſari poſſit. Ego non ſum is, qui, cum Apoſtolorum Prin-

ceps

ceps in judicium vocatur, pro tribunali ſedere velim, aut poſſim; ſi quid tamen pronunciandum foret, mallem cum Baronio ſententiam dicere: præſertim cum Petri factum vel *materialiter* malum in memoratis circumſtantiis reprehenſibile fuerit, imo reprehendendum etiam, quo tolleretur ſcandalum puſillis datum. Ut ut interim iſtud habeat, humilitatis certe exemplum inſigne dedit Petrus, cum id, quod minus rectum videbatur, palam in ſe corrigi ſuſtinuit; *rarius* (inquit Auguſtin. cit. Ep. 82.) *& ſanctius exemplum Petrus poſteris præbuit, quo non dedignarentur a poſterioribus corrigi: quam Paulus, quo confidenter auderent minores majoribus pro defendenda veritate, ſalva charitate, reſiſtere.*

Reſp. II. N. Illationem. Nec fundari illa poteſt in laud. ſcripto Apoſtolico; nam (ut aliorum reſponſa taceam) cum Doctore Ang. 1. 2. qu. 103. Art. 4. ad 3. exiſtimo dicendum: *ad literam* quidem *iſta eſſe probibita*, verum *non ad obſervandum cæremonias legis* vi obligationis ex Lege promanantis; *ſed ad hoc, quod poſſet coaleſcere unio Gentilium & Judæorum inſimul habitantium*, vi proinde ſpecialis præcepti Apoſtolici. Nimirum (ut ibidem proſequitur) *Judæis propter antiquam conſuetudinem ſanguis & ſuffocatum erant abominabilia; comeſtio autem immolatorum ſimulacris poterat in Judæis aggenerare circa Gentiles ſuſpicionem reditus ad Idololatriam: & ideo iſta fuerunt prohibita pro tempore illo, in quo de novo oportebat convenire in unum Gentiles & Judæos. Procedente autem tempore, ceſſante cauſa ceſſat effectus, manifeſtata Evangelicæ doctrinæ veritate, in qua Dominus docet, quod nihil quod per os intrat, coinquinat hominem, ut dicitur Matth. 15. & quod nihil eſt rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, ut 1. Timoth. 4. dicitur. Fornicatio autem prohibetur ſpecialiter, quia Gentiles non reputabant eam eſſe peccatum.* Igitur legalium quorundam obſervatio fuit ne-

Digitized by Google

neceſſaria ſolum ex præcepto recens ab Apoſtolis lato: cui, utpote juſtiſſimo & in materia gravi, utique obtemperandum erat ex obligatione pariter gravi, eam proinde inducente neceſſitatem, quæ ad ſalutem pertineret.

Argumentum poſitivum, quo infirmari videtur Aſſertio, 144
triplici potiſſimum nititur ratione. Etenim

I. Lex cæremonialis ut primum eſt mortua, deſiit habere rationem Legis veræ; quin etiam ejus *reprobatio* facta eſt teſte Apoſtolo ad Hebr. 7. V. 18. Quis autem exiſtimet, id genus Legis obſervatione potuiſſe Deum coli religioſe? Id quod eo urget amplius, quia

II. Ceremoniæ legales ſignificabant Chriſtum venturum; obſervatio igitur earum fuit profeſſio fidei de Chriſto primum venturo: iſtud vero cum mortuo Chriſto falſum fuerit, legalis obſervatio non potuit ſejungi a pernicioſo in materia religionis mendacio. Atque hinc eſt,

III. Quod Lex Moſaica, a tempore ſaltem promulgati Evangelii, mortis Chriſti fructum ſuſtulerit, *evacuans* ſcilicet, hoc eſt, ſeparans a Chriſto, ut ait Paulus ad Gal. 5. *ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit;* & rurſum, *evacuati eſtis a Chriſto, qui in Lege juſtificamini.* Quæ omnia ſatis indicant, Legem, ſimul ac mortua eſt, fuiſſe etiam mortiferam.

Reſp. ad I. Ex eo, quod Lex vetus rationem veræ Legis amiſerit, id ſequitur unum: quod amplius non obligaverit, nec obſervanda fuerit neceſſario, neceſſitate videlicet fundata in eadem Lege; at enim cum non hoc ipſo etiam prohibita fue-

Digitized by Google

rit ejus obſervatio, nihil erat, quod eam redderet ſimul noxiam & mortiferam, ut clarius ex mox dicendis patebit. Sed Deus, inquies, Legem reprobavit; reprobata autem non poterat non evadere noxia, ejusque obſervatio fieri ſuperſtitioſa. D. aſſert. reprobavit, hoc eſt, ſuſtulit tanquam non neceſſariam, nec amplius obligantem, & quæ alioquin ſecundum ſe infirma & inutilis fuerit ad ſalutem, ut notat cit. loco Apoſtolus C. reprobavit tanquam ex ſe noxiam, aut ita, ut ſimul ejus obſervationem ſupererogatoriam, & ut non neceſſariam prohibuerit N. Quamvis igitur legalium uſus, ut neceſſarius, ſuperſtitione non vacaverit; ab ea nihilominus immunis fuit, Deusque illo religioſe coli potuit, ſi cæremoniæ obſervarentur ut non neceſſariæ; ſed ut innoxiæ tantum, ac ſecundum ſe ſanctæ & a Deo profectæ, inque Legis venerationem, dum Synagoga cum honore ſepeliretur, quod ait Auguſtinus.

Reſp. ad II. D. aſſert. cæremoniæ legales Chriſtum venturum ſignificabant pro eo tempore, quo nondum venerat C. etiam tempore adventum ejus conſequente N. Poſt hunc nempe adventum ex Dei eas permittentis voluntate non aliud erant, quam ſignum, quo in memoriam reducebantur promiſſiones de Chriſto factæ, eædemque jam impletæ; quo quidem fine uſurpata legalia non ſunt profeſſio fidei de Chriſto primum venturo: nec ullum proinde continent mendacium, quin potius ſunt veritatis teſtimonium. Ita nunc quoque Eccleſia in ſolemnibus officiis ea ex Pſalmis & Prophetis loca ſancte ac religioſe recitat, quibus prædicitur Chriſti adventus: quo videlicet fideles edoceantur Legis veteris cum nova conſonantiam, grataque ſimul memoria recolantur divinæ promiſſiones, ſuccedente figuris legalibus evangelica veritate, jam penitus impletæ.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. ad III. D. aſſert. lex Moſaica poſt promulgatum Evangelium ex mente Apoſtoli ſuſtulit fructum mortis Chriſti, & ab eo evacuavit, ſi obſervaretur vel tanquam neceſſaria ad ſalutem, vel in ſignum Chriſti primum venturi C. ſi obſervaretur (ut tum ab Apoſtolis obſervata fuit) tanquam non neceſſaria, ut mere innoxia & non prohibita, ac in ſignum memoriæ & gratitudinis pro impletis promiſſionibus, ſimulque ex aliis cauſis gravibus N. Hoc porro ſenſu exponenda eſſe laudata Apoſtoli ad Gal. verba, ratio eſt duplex. 1*mo*, ſecus enim ſecumipſo non conciliabitur Paulus, ut qui ipſe legalia ſæpius obſervaverit, quin tamen propterea crederet ſe evacuari a Chriſto, ejusque gratia excidere. 2*do*, quia cit. C. Apoſtolus pugnat contra eos, qui docebant neceſſariam eſſe circumciſionem, nec ullum ſine Lege juſtificari, minus ſalutem obtinere; id quod ſatis patet ex V. 1. ubi Galatas monet, *nolite iterum jugo ſervitutis contineri:* ſervi enim erant Legis, qui ſe illi quaſi adhuc obliganti, & ad ſalutem neceſſariæ ſubjiciebant. Cum igitur mens longe alia fuerit Apoſtolis in legalium uſu, huncque præterea primis Eccleſiæ annis graves ſuaderent cauſæ: nihil prorſus in eo erat, quod a Chriſto evacuaret. Id genus autem cauſæ communiter hæ, ceu præcipuæ, aſſignantur: ut Judæi legalibus addicti facilius adducerentur ad Evangelium; ut adimeretur occaſio docendi Legem veterem fuiſſe malam; ut cum honore ſepeliretur Synagoga &c.

Corollarium

De tempore, quo primum reddita eſt illicita Legis Moſaicæ obſervatio.

I. NEmini dubium eſt, Legem cæremonialium veterem, tametſi a promulgato Evangelio aliquamdiu fuerit innoxia, progreſſu nihilominus temporis evaſiſſe mortiferam: ne- 145

que jamnum citra culpam obſervari poſſe. Certa nimirum in hanc rem eſt Eccleſiæ Traditio, communis fidelium ſenſus, conſtansque Patrum doctrina. *Si quis* (ita S. Ignatius M. in Ep. ad Philipp.) *cum Judæis celebrat Paſcha, aut ſymbola feſtivitatis eorum recipit, particeps eſt eorum, qui Dominum occiderunt.* Et Auguſtinus Ep. 82. alias 19. ad Hieronym. C. 2. *legalia*, inquit, *ſicut defuncta corpora Neceſſariorum officiis deducenda erant quodammodo ad ſepulturam, nec ſimulate, ſed religioſe: non autem deſerenda continuo, vel inimicorum obtrectationibus, tanquam earum morſibus, projicienda. -- Poſteaquam vero cum honore ſepulta ſunt, a Chriſtianis omnibus irreparabiliter deſerenda.* Haud abſimilia habet Hieroymus Ep. 7. compluresque alii cum Ambroſio, Chryſoſtomo &c. Neque aliunde hujus repetenda eſt ratio, quam ex voluntate Dei; unus quippe ille, qui Legem & primum tulit, & ſubinde abrogavit, ejusdem etiam obſervationem prohibere potuit. At enim, quando id primum factum? certo definiri nequit: cum nullum Scripturæ aut Traditionis ſuppetat teſtimonium, quo hoc nominatim tempus deſignaretur. Interim

146 II. Probabiliter dici poteſt: a templi Hieroſolymitani everſione, quæ poſt Chriſti mortem Anno circiter quadrageſimo contigit, Legalia continuo evaſiſſe mortifera. Suadet iſtud tum communis Doctorum opinio; tum quod, *Evangelio* ad id temporis *in univerſa creatura, quæ ſub cœlo eſt* (ut ait Paulus ad Coloſſ. 1.) *prædicato*, opus non fuerit diuturniore œconomia pro Judæis; quodque, everſa per Titum republica Judaica & deſtructo Hieroſolymitano Templo, juxta Danielis vaticinium C. 9. ceſſaverit Hoſtia & Sacrificium, atque adeo jam tum Synagoga etiam ſepulta eſt: cui proinde honor non erat amplius deferendus. Unde, ſi qui ab eo adhuc tempore ritus Moſaicos religioſe obſervaverint, *non* jam *erant pii funeris deductores*, *ſed*

Digitized by Google

ſed impii ſepulturæ violatores, ut in ſua ad Hieronym. Ep. ſcribit Auguſtinus.

III. Nec eſt, quod opinionem hanc infirmari putes contraria, ut videtur, quorundam praxi. 147

Non 1*mo*, quod Aſiatici Epiſcopi uſque ad annum circiter 185. Paſcha celebraverint more Judaico, nempe Luna 14. Martii, in quamcunque diem incideret. Iſtud quippe ab iis non eſt factum cauſa legalium, aut in honorem Legis; verum quia perſuaſum habebant, id eſſe ex Evangelii præſcripto: eumdemque morem priorum Aſiæ Epiſcoporum, quin & Joannis Evang. praxi eſſe confirmatum. Cæterum hic Aſiaticorum mos a Victore Papa fuit reprobatus, adjecta etiam excommunicationis comminatione. Vide Euſebium L. 5. Hiſt. C. 23. & 24.

Non 2*do*, quod Tertulliani ætate (ut ipſe refert in Apolog. contra Gentiles C. 9.) Chriſtiani abſtinuerint a ſanguine & ſuffocato. Nimirum in abſtinentia hac non perſeverarunt ad præſtandam Legi Moſaicæ obſervantiam aut venerationem: ſed vi conſuetudinis, quæ apud quosdam invaluerat ex præcepto Eccleſiaſtico, quod Apoſtoli Act. 15. impoſuerant Gentibus ad fidem converſis. Idem dicendum eſt de Gangrenſi, Aurelianenſi II. & Wormacienſi Conciliis, in quibus multis a morte Chriſti ſeculis ſanguinis & ſuffocatorum eſus fuit prohibitus; ſed nimirum non Legis Moſaicæ gratia, & ad honorem Synagogæ deferendum: verum vi laud. præcepti Apoſtolici, quod juſtis de cauſis eo tempore confirmandum Concilia exiſtimarunt. Ethnicæ ſcilicet ſuperſtitionis ſpeciem habere tum videbatur ſanguinis & ſuffocati eſus: Gentiles enim idolis ſuis carnes ſuffocatas offerebant, eaſque religionis cauſa manducabant, aliarum vero victimarum ſanguinem bibebant; quo igitur Chriſtiani omnem gentiliſmi ſuſpicionem vitarent, optimo jure

præceptum hoc ferri potuit. Nec dubium eſt, nunc quoque Eccleſiam gravibus ex cauſis ſimilia poſſe permittere, aut etiam præcipere. Similia inquam: ea proinde tantum, quæ tametſi olim legalia fuerint, ſecundum ſe tamen ſunt indifferentia, atque a ſcandalo & ſuſpicione judaiſmi ſejungi queunt; unde aliter ſentiendum eſt de præcipuis religionis Judaicæ ritibus, ut erat Circumciſio, aliaque Legis veteris Sacramenta, & Sacrificia.

§. IV.

Quid Lex Nova contineat? & num, ac in quo a Lege veteri differat?

UT olim re ipſa factum, ita nobis de Lege Divina differentibus ſuccedit jam denique figuratum figuræ, & umbræ lux ac veritas: hoc eſt, Legem veterem excipit Legis novæ, ſeu Evangelicæ explanatio. In qua ne quid eorum, quæ cumprimis Theologum ſcire convenit, prætereamus: agendum eſt principio de Legis Evangelicæ natura; tum de effectu, ſeu obligatione; demum de perſeverantia illius, & duratione. Ac duo quidem poſtrema ſeqq. totidem §§. dabunt argumentum. Primum nunc expediemus: eam in rem ſcilicet dicturi de præceptis Evangelicis; ex quibus ſubinde partem magnam depromenda erit veterem inter & novam Legem differentia. Atque hæc Legis Evangelicæ naturam abunde explicabunt.

De Præceptis in Lege Nova contentis.

148 QUod univerſim Legis cujuslibet (ut ea hic ſumitur) naturam conſtituit, ſunt præcepta univerſalia, ſtatui Legis propria. Quo igitur ſpeciatim de Legis novæ natura judicium ſer-

Digitized by Google

ſerri poſſit, Evangelica præcepta expendere neceſſum eſt. De his jam vero quis fuerit Luthero & Calvino ſenſus, facile colligas ex ſupra dictis N. 28. & 108. Si quid nempe Lex Evangelica præcipit, id (ut iſti volunt) non aliud eſt, quam fides, ſeu certa in divinis promiſſis fiducia; ut adeo Chriſtiani nuſquam alias incurrant culpam, quæ illis imputetur, niſi cum hanc fiduciam amittunt: *cætera omnia liberrima*, *neque præcepta amplius*, *neque prohibita*, inquit Lutherus in C. 2. Ep. ad Gal. Sed nimirum exitialem hunc errorem apertis verbis damnavit Tridentin. Seſſ. 6. Can. 16, ubi ait: *Si quis dixerit, nihil præceptum eſſe in Evangelio, præter fidem; cætera eſſe indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, ſed libera; aut decem Præcepta nihil pertinere ad Chriſtianos, anathema ſit.* Quæ Tridentini contra ſectarios doctrina ut clarior fiat, cum DD. orthodoxis aſſerenda nobis una ac explicanda eſt præceptorum Evangelicorum multiplicitas, & varietas.

ASSERTIO.

Lex Evangelica, præter fidei præceptum, alia quoque præcepta continet: eaque varia, moralia ſcilicet, cæremonialia, aliqua etiam judicialia.

PLuralitas præceptorum (quæ primam Aſſertionis partem 149
facit) adeo certa eſt Scripturæ teſtimonio, ut hanc ignoret neceſſe eſt, qui de illa controvertit. Perinde ſcilicet, ac in verbis illis Matth. ult. *qui non crediderit, condemnabitur*, præceptum fidei legimus: plurium quoque aliorum præceptorum in Evangeliorum Libris expreſſa & repetita ſit mentio. Ita ab ipſo Chriſto dictum eſt Matth. 5. *qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, - - minimus vocabitur in regno Cælorum*; apud eund. C. 19. *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*; item C. ult. *docentes eos ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis*; & Joan. 14. *ſi diligitis me, mandata mea ſervate.* Ac hæc quidem generatim: nam

nam de pluribus his in particulari præceptis ſequ. N. dicetur. Scripturæ porro conſonat perpetua Eccleſiæ Traditio, quam unanimis Patrum doctrina confirmat; hinc Auguſtinus L. 3. contra duas Epp. Pelag. C. 4. in oppoſitum ſentientes invectus, *quis dicat,* inquit, *non debere obſervare Chriſtianos, ut uni Deo religionis obſequio ſerviatur, ut idolum non colatur, ut nomen Domini non accipiatur in vanum, ut parentes honorentur, ne adulteria, furta, falſa teſtimonia perpetrentur, ne uxor, ne res ulla concupiſcatur aliena? Quis eſt tam impius, qui dicat, ideo ſe iſta Legis non cuſtodire præcepta, quia eſt ipſe Chriſtianus, nec ſub lege, ſed ſub gratia conſtitutus?*

150 Varietas præceptorum etiam (de qua alterum eſt Aſſertionis membrum) non minus ex Evangelio manifeſta eſt; id quod ut comprobetur, ſatis fuerit ex eo deſignare loca, atque ex his recenſere ſtatus Evangelici præcepta inprimis moralia, tum cæremonialia, demum judicialia.

Jam vero ut initium fiat a Moralibus, quo nomine veniunt præcepta ad virtutes tam theologicas, quam morales pertinentia, hæc præſcribuntur locis ſeqq. Theologicarum quidem virtutum præcepta, ac nominatim fidei Matth. ult. *qui non crediderit, condemnabitur:* in quo una præceptum ſpei includitur, cum ab Hebr. 11. dicatur *fides ſperandarum ſubſtantia rerum*, & ad Eph. 2. ac rurſum 5. incredulos Apoſtolus vocet *filios diffidentiæ;* charitatis autem Luc. 10. ubi legisperito verba illa ex Decalogo recitanti, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, Chriſtus reſpondet, *Hoc fac, & vives.* Similiter & moralium virtutum præcepta legere eſt pluribus locis: ut charitatis in proximum Joan. 13. *mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem;* ejuſdem, ſimul & juſtitiæ in prohibita uſura Luc. 6. *mutuum date, nihil inde ſperantes;* officiorum erga proximum omne genus Matth. 7. *omnia, quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis;* omnium denique eorum, quæ in altera Decalogi tabula continentur, Matth. 19.

Cæ-

Digitized by Google

Cæremonialia præcepta referuntur ad cultum Dei externum, ſuntque cumprimis illa, quibus agitur de Sacramentis & Sacrificio; neque hæc autem in Lege nova deſiderari, certum eſt. Sic enim ſuſceptio Baptiſmi præcipitur Joan. 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei;* Euchariſtiæ apud eumd. C. 6. *niſi manducaveritis Carnem Filii hominis, - - non habebitis vitam in vobis;* uſus Pœnitentiæ Sacramentalis (ut deducit Tridentin. ſeſſ. 14. Cap. 5.) per poteſtatem Apoſtolis, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus datam Joan. 20. *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt;* oblatio denique Sacrificii Luc. 21. *hoc facite in meam commemorationem.*

Judicialia demum præcepta, quæ videlicet ad externum populi Chriſtiani regimen faciunt, etſi pauciora, eaque partem maximam generalia & cum Jure naturæ connexa, nihilominus in Lege Evangelica contineri, perinde dubitari non poteſt. Sunt vero eorum alia ab ipſo Chriſto, alia nomine illius per Apoſtolos tradita. Iſthuc certe referenda videntur, quibus præcipitur obedientia Eccleſiæ Prælatis præſtanda Matth. 18: *ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus*: imo univerſim Præpoſitis omnibus ad Rom. 13. *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit;* Epiſcopis vigilantia in fideles Act. 20. *attendite - - univerſo gregi, in quo vos ſpiritus S. poſuit Epiſcopos;* delectus in Epiſcopis faciendus ad Timoth. 3. *oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum, ſobrium &c.* ordo correctionis Matth. 18. *ſi peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum: - - ſi te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos: - - quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ;* pœna in contumaces ibid. *ſi Eccle-*

ſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Plura his ſimilia ſparſim aliis locis eſt legere.

Fatendum interim, perinde proprie talia, & in particulari tam multiplicia præcepta Judicialia non dari in Lege Nova, ac in Vetere fuerint. Cum enim Lex vetus lata ſit pro ſolo Judaico populo, qui unius moris erat, facilius utique una regiminis & judicii norma gubernari potuit; idemque, cum quoad aliqua indolis eſſet plus nimio mutabilis, quoad alia admodum pertinacis, plane expediebat minutim ei præſcribi limites, quibus conſtricti Judæi recte ordinarentur ad invicem ſecundum æquitatem. Ex adverſo Lex Evangelica extendit ſe ad omnes nationes, quæ uti regionum conditione, moribus, & ingenio ſunt diverſæ, diverſis quoque inſtitutionibus eas regi oportuit. Præterea, cum vel quoad externum regimen Chriſtiani multo facilius in officio contineantur per cætera præcepta Evangelica, utpote Moſaicis perfectiora, minutis adeo præceptionibus judicialibus, quæ ab ipſo Chriſto conſtituerentur, opus non habebant. Denique, citra id genus præcepta externo Chriſtianorum regimini ſatis proviſum novimus: cum Prælatis Eccleſiæ data ſit plena poteſtas ſtatuendi omnia, quæ ad fideles etiam pro foro externo gubernandos pertinent; hujus porro poteſtatis collatio deſignatur illis Chriſti ad Petrum & Apoſtolos verbis: *Paſce oves meas* Joan. 21. *quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo*, Matth. 18.

Animadverſio in Objecta.

151 FEre eadem, quibus Chriſtianos univerſim a quarumvis Legum obligatione volunt eximios, iſthic quoque contra præceptorum Evangelicorum pluralitatem Sectarii objectant; quo proinde eorum argutationes refellas, ſatis fuerit in memoriam revo-

revocaſſe Reſponſa Diſſert. I. data a N. 33. Ita ex principiis illic jactis facile deducitur, perinde nihil momenti eos adferre, cum ajunt: Apoſtolus ad Rom. 3. v. 27. Legem Evang. opponens Moſaicæ, hanc vocat Legem *factorum*, illam *fidei*; igitur Lex Evang. nihil præcipit faciendum, ſed ſolam fidem. Illatio hæc nimirum non eſt legitima: nam Apoſtolus non aliud vult, quam quod homo per meram externam circumciſionem & facta legalia cætera (contra quam Judæi quidam gloriabantur contra Gentiles) non conſequatur juſtificationis gratiam: verum per fidem Chriſti, modo tamen non deſint conditiones aliæ ad id alibi requiſitæ. Hic porro ſenſus colligitur ex contextu, præſertim cum V. ſeq. 28. continuo adjiciat, *arbitramur hominem juſtificari per fidem ſine operibus Legis*, ſcilicet veteris: & jam antea in ead. *Ep.* C. 2. dixerat, *factores Legis juſtificabuntur*; rurſumque ad Gal. 5. *in Chriſto JEſu neque circumciſio aliquid valet; neque præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur.* Igitur per Apoſtolum Lex vetus erat *factorum* ſecundum ſe præciſe non juſtificantium; contra Lex nova eſt lex *fidei* ex ſe juſtificantis, ſi tamen otioſa non ſit, verum per charitatem operetur: & quidem cumprimis mandatorum obſervantiam juxta illud Joan. 14. *ſi diligitis me, mandata mea ſervate.*

Corollarium
De Conſiliis Evangelicis.

I. Quamvis Lex nova (uti quævis alia proprie ſumpta) 152
in ſolis præceptis conſiſtat: ad eamdem nihilominus congrue retulerim etiam Conſilia Evangelica, utpote ab eodem auctore Chriſto profecta, atque ad finem ab illo intentum adjuvantia. Eſt autem conſilia inter & præcepta id diſcri-

minis : quod hæc neceſſitatem imponant, ſintque omnino ad requiſitam a Chriſtiano perfectionem, imo & ſalutem conſequendam neceſſaria; illa ex adverſo non obligent, libero ſint cujusque relicta arbitrio, ad ſublimiorem nihilominus ſtatus Evangelici perfectionem manuducant, ac ipſum ſalutis negotium locotutiore conſtituant. Unde conſilia divina non ſequi, *per ſe* loquendo non eſt peccatum: nam *ubi non eſt lex, nec prævaricatio* ad Rom. 4. quod ſi tamen quis illa negligat eo propoſito, ut cupiditatibus noxiis indulgeat, culpam indubie incurrit propter tranſgreſſionem præcepti, *Non concupiſces.* Jam vero

153 II. Conſilia id genus dari in ſtatu Legis Evangelicæ, dubitari nequit. Etenim Matth. 19. Chriſtus, de perpetuæ paupertatis ſtudio agens cum adoleſcente, non præcipiens illud, ſed conſulens duntaxat dixit: *ſi vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes; & da pauperibus, - - & veni, ſequere me.* Quibus poſtremis verbis (ut notat D. Thomas cum aliis) ſimul conſilium dedit voluntariæ, ejusque perpetuæ obedientiæ : neque enim perfecte ſequi Chriſtum poſſumus, niſi una illius imitemur obedientiam; is autem voluntarie *erat ſubditus illis*, Mariæ ſcilicet & Joſeph Luc. 2. *oblatus eſt, quia ipſe voluit* Iſ. 53. &, *cum in forma Dei eſſet, - - ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, - - humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem*, ad Philip. 2. Similiter caſtitatem perpetuam nuſpiam præcepit Chriſtus, ejus tamen conſilium haud obſcure dedit Matth. 19. nam Diſcipulis dicentibus, *ſi ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere*, continuo reſpondit : *non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt*; ac mox inter eunuchos diſcrimen faciens, horumque alios eſſe dicens, *qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum Cælorum*, adjecit: *qui poteſt capere capiat.* Hoc idem porro perpetuæ virginitatis conſilium multo explicatius ſubin-

Digitized by Google

ſubinde nomine Chriſti propoſuit Apoſtolus 1. Cor. 7. ubi a V. 25. ita loquitur. *De virginibus præceptum Domini non habeo: conſilium autem do tanquam miſericordiam conſecutus a Domino, ut ſim fidelis. - - Mulier innupta & virgo cogitat, quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu. - - Porro hoc ad utilitatem veſtram dico: non ut laqueum* (hoc eſt neceſſitatem præcepti) *vobis injiciam, ſed ad id, quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi. - - Qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit: & qui non jungit, melius facit. - - Quod ſi dormierit vir ejus,* mulieris ſcilicet, *liberata eſt: cui vult nubat; - - beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium. Puto autem, quod & ego Spiritum Dei habeam.* Quid his Apoſtoli verbis in rem noſtram clarius?

III. Atque hæc Evangelica conſilia ſunt fons ille ſalubris 154
& illimis, ex quo Religioſorum votorum puritas ac ſanctitas ſuam ducit originem; hæc ipſa autem vota ſunt fundamentum illud in petra (quæ eſt Chriſtus) poſitum, cui ſublime Religioſi cujusvis Ordinis ſuperſtruitur ædificium. Sublime inquam; quando ſacrati Deo in ſtatu Religioſo homines chriſtianæ perfectionis molem non jam tantum (quod omnibus commune eſſe debet) præceptorum lege neceſſaria definiunt: verum Conſiliorum quoque divinorum obſervantia eamdem altius evehunt: ad ſummum imo perducunt faſtigium, cum ad ſequenda hæc conſilia ſimul voti perpetuum duraturi religione ſe ſe obſtringunt. Hinc inſignia illa, quæ jam inde a DD. Baſilio & Auguſtino paſſim apud Patres eſt legere, votorum religioſorum, eaque profitentium ſacrorum Ordinum encomia.

At non ita, Luthero duce, Sectarii. Tantam religioſæ perfectionis majeſtatem & lucem oculi eorum concupiſcentia

liventes non ſuſtinent. Quid igitur? animo una ac vultu averſo (quod unum poſſunt) inſanis clamoribus Religioſos Ordines inſectantur, pro ſolemni ſuo vociferantes: vota religioſa eſſe Evangelio injuria, ſacrilega &c. ea vero profitentes eſſe Antichriſti anteſignanos, Phariſæos &c. Sed nimirum hæc non ſunt ejusmodi, ut apologia ſit opus: canes lunam allatrant, mordere non poſſunt. Satis dictum: vota religioſa, conſiliis Chriſti Evangelicis conformia, uti carni & mundo adverſa ſunt, ita *doctrinam ſpiritus* continent; *animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere*, 1. Cor. 2.

De Legis Novæ differentia a Lege veteri.

155 UNanimi Patrum ac Doctorum conſenſu Lex nova quoad ſubſtantiam eſt eadem cum veteri; ut adeo hæc ab illa non ſit diverſa niſi in accidentalibus: ad eum ſcilicet fere modum, quo res aliqua jam perfecta differt a ſe ipſa, ut aliquando imperfecta. Exemplum ducitur ab homine nunc adulto, olim puero. Sicut nimirum hominis ſubſtantiam non variat præcedens adoleſcentia, & ſuccedens ætas maturior; ita duæ Legis ætates, quarum una præceſſit adventum Chriſti, altera eumdem conſecuta eſt, non faciunt Legem in ſubſtantia diverſam: tametſi poſterior hæc ætas Legem perficiat, ut virilis conditio perficit hominem. Eſt autem hujus ſententiæ fundamentum in ipſis Chriſti verbis Matth. 5. *non veni Legem ſolvere, ſed adimplere*, hoc eſt, defectum ejus ſupplere, atque ſic illam perficere. Ac omnino ita in præſenti ſentiendum eſt, ſi rem præciſe attendas: non etiam de vocibus *ſubſtantiæ & accidentis* novam litem excites. Quia interim iſtud quibusdam familiare eſt, a vocabulorum horum uſu conſulto abſtinebimus: ſatis habituri, Legis novæ & veteris convenientiam una ac diffe-

Digitized by Google

differentiam tueri, ſimulque exponere, in quo conſiſtat utraque.

ASSERTIO.

Quamvis Lex Nova in quibusdam conveniat cum veteri: ſimul nihilominus in aliis ab eadem eſt diverſa.

PArs I. de convenientia eruitur ex ſeqq. capitibus. Nimirum 156

1*mo*, utriusque Legis idem eſt auctor Deus, qui videlicet (teſte Apoſtolo ad Hebr. 1.) *olim loquens Patribus in Prophetis, noviſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio.*

2*do*, idem eſt finis tam remotus, quam proximus; hic quidem verus Dei cultus, cordis puritas, & morum integritas: ille autem vita æterna.

3*tio*, eadem fides in Deum verum, ejusque Filium JEſum Chriſtum: quem enim nos in ſtatu Evangelico veniſſe credimus, idem ipſe venturus in Lege veteri credebatur; nam *omnia in figura*, quæ Meſſiam ſignificaret, *contingebant illis* 1. Cor. 10. & *finis Legis* erat *Chriſtus*, Rom. 10.

4*to*, præcepta quoque moralia fuerunt eadem: tum quia Lex utraque juris naturæ præcepta confirmavit; tum quod utraque præceperit dilectionem Dei & proximi, *in his* autem *duobus mandatis univerſa Lex pendet & Prophetæ*, Matth. 22.

5*to*, neque enim in Lege Nova tantum, ſed & in Vetere per fidem in Chriſtum a Deo obtineri potuit juſtificationis gratia & ſalus; unde Paulus ad Rom. 3. *unus eſt Deus, qui juſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem*: rurſumque in ead. Epiſt. C. 9. de Judæis, *quorum*, inquit, *adoptio eſt filiorum, & gloria, & legiſlatio, & promiſſa.* Vide in hanc

rem

rem Prop. LXV. a Clemente XI. damnatam, quam pro fronte hujus L. recitavimus.

Prætereo alia; vel hæc autem ſufficiens fundamentum præbere poterant, ut Legem utramque eſſe unâm ac eamdem non dubitarent PP. aſſerere: ut nominatim Auguſtin. Ep. 187. alias 57. Leo 11. Serm. 4. in Nativ. Dom. & præ aliis apertius Euſebius L. 1. Demonſtrat. Evang. C. 5. ubi, *ne Teſtamentum novum*, inquit, *aliud eſſe putemus, quam antiquiſſimam illam Moſaicorum temporum Religione conjunctam vilem rationem, ut & Vetus pariter, & idem Novum poſſimus dicere.*

Pars II. de differentia perinde certa eſt. Etenim

157 1*mo*, Lex nova a veteri differt quoad promulgationis modum, ut conſtat ex N. 104. 105. & 109. invicem collatis. Quam in rem peculiari animadverſione dignum eſt illud: quod Lex Moſaica principio ſtatim ex propoſito tradita ſit ſcripto in tabulis lapideis; Evangelica ex adverſo primum non ſcripto, ſed viva duntaxat voce exterius fuit intimata, interius autem per abundantem Spiritus S. gratiam hominum cordibus inſculpta juxta illud Dei promiſſum Jer. 3. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in cordibus eorum ſcribam eam;* id vero etiam re ipſa factum commemorat Paulus 2. Cor. 3. V. 3. Unde Lex Evangelii non niſi poſt aliquot a prima ſolemni promulgatione annos ſcripto fuit mandata, & quidem ex occaſione tantum, ſcilicet: vel ad fideles melius erudiendos, vel ut eorum petitioni ſatisfieret, vel ad refellendos ſcriptores fabuloſos, aut ut occurreretur hæreticorum erroribus &c.

2*do*, Vetus *per ſe* lata fuit ſoli Judæorum populo, ut dictum eſt N. 127. Nova autem univerſo generi humano, quod ſpeciatim comprobabitur §. V. Num. 161.

3*tio*,

Digitized by Google

3*tio*, Lex Vetus, ceu rudior quædam diſciplina Judæorum imbecillitati accommodata, fere pœnarum temporalium metu, & terrenæ felicitatis pollicitatione ad obſervantiam ac morum honeſtatem impellebat; Evangelica vero ſpe dilectionis Dei & vitæ æternæ obtinendæ ſuos potiſſimum excitat. Hinc Chriſtus Joan. 14. *ſi quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*; & Paulus ad Hebr. 7. poſtquam dixit, *melioris Teſtamenti ſponſor factus eſt JEſus*, mox V. 25. cauſam reddens, *unde*, inquit, *& ſalvare in perpetuum poteſt &c.*

4*to*, in ſtatu Legis Moſaicæ, ſaltem univerſim, nondum erat præcepta fides explicita myſterii SS. Trinitatis, imo nec Incarnationis quoad divinitatem, humanitatem, paſſionem, & reſurrectionem Chriſti: cum myſteria hæc tum adhuc non fuerint ſatis promulgata teſte Apoſtolo ad Gal. 3. *prius autem, quam veniret fides, ſub Lege cuſtodiebantur concluſi in eam fidem, quæ revelanda erat.* At jam, promulgato Evangelio, omnibus præcipitur fides horum Myſteriorum explicita, propter explicitam eorumdem revelationem nominatim apud Joan. a C. 14. uſque ad 18. item 1. Joan. 5. aliiſque Scripturæ locis; ex quibus una conſtat, myſteria hæc toto orbe fuiſſe promulgata, cum mandato Chriſti Evangelium ab Apoſtolis prædicatum fuerit in univerſum mundum omni creaturæ Mar. 16.

5*to*, per Legem Evang. multo planius & clarius exponuntur præcepta moralia, nec tantum quoad actiones externas: ſed internas etiam, cogitationes videlicet mentis, & affectiones cordis. Id quod facile colliget quiſque, ſi doctrinam Chriſti,

in Evangelio ſparſim propoſitam, conferat cum Moyſe morum diſciplinam Judæos erudiente in LL. Exodi & Deuteron. ubi de iis potiſſimum agit, quæ ad actus exteriores pertinent. Quid quod in ſtatu Evangelico præceptis moralibus adjecta ſint etiam peculiaria conſilia, moribus Chriſtianorum perficiendis admodum oportuna, de quibus actum a N. 152.

6to, in hac Lege, ſublatis veteribus Sacramentis, conſtituta ſunt alia multo perfectiora: *illa enim* (ut docet Concil. Florent. in Decr. Eugenii IV.) *non cauſabant gratiam, ſed eam ſolum per paſſionem Chriſti dandam eſſe figurabant; hæc vero noſtra & continent gratiam, & ipſam digne ſuſcipientibus conferunt.* Idem eſto judicium de novæ Legis Sacrificio veteribus Holocauſtis ſubſtituto. Conſtant hæc ex Diſſertationibus de Sacramentis Novæ Legis.

7mo, Lex vetus ex ſe non habuit vim juſtificandi: *ſi enim per Legem eſſet juſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt*, ut olim arguebat Apoſtolus ad Gal. 2. idemque ad Hebr 7. reprobationem: ait fieri præcedentis mandati *propter infirmitatem ejus & inutilitatem, nihil enim ad perfectum adduxit.* Atque hoc ipſum eſt, quod Trident. Seſſ. 6. in Decr. de Juſtific. Cap. 1. declarat, inquiens: *omnes homines in prævaricatione Adæ - - uſque adeo ſervi erant peccati, - - ut non modo Gentes per vim naturæ, ſed ne Judæi quidem per literam Legis Moyſi inde liberari poſſent.* Lex nova ex adverſo per ſe ipſam juſtificat, ut patet vel ex Sacramentis, quæ pollent virtute non modo ſignificandi, ſed & conferendi gratiam ex opere operato; hinc Apoſtolus ad Rom. 1. *non erubeſco Evangelium, virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti:* & 1. Cor. 15. *notum facio Evangelium, - - per quod & ſalvamini*; ſalus autem non

eſt

Digitized by Google

eſt ſine prævia juſtitiæ gratia. Nimirum ſtatus Evangelicæ legis præſentem ſibi habet juſtitiæ fontem Chriſtum, qui (Hebr. 10.) *una oblatione conſumavit in æternum ſanctificatos;* quo quia caruit ſtatus Moſaicus, recte dicitur Joan. 1. *lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per JEſum Chriſtum facta eſt.* Unde quotquot in Lege veteri juſtitiæ gratiam & ſalutem adepti ſunt, id eis contigit merito fidei in Chriſtum, novi Teſtamenti auctorem, ac in eo factum Redemptorem; nam, teſte Petro Act. 4. *non eſt in alio aliquo ſalus, - - ſed* (ibidem C. 15.) *per gratiam Domini JESU Chriſti credimus ſalvari, quemadmodum & illi*, Patres videlicet veteris Teſtamenti: qui *omnes eundem potum ſpiritualem biberunt, bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus* 1. Cor. 10. Hinc eſt, quod Patrum omnium ſententia illi, qui in ſtatu Moſaico juſtitiam conſecuti ſunt, ad novum Teſtamentum pertinuerint: quatenus nempe gratia hæc obtigit illis per fidem in Chriſtum novi Teſtamenti auctorem; propterea (ut ſcribit Auguſtinus L. 3. ad Bonifac. C. 3.) *veteris quidem Teſtamenti diſpenſatores & geſtatores, ſed novi demonſtrantur hæredes: nondum nomine, ſed re ipſa Chriſtiani.* Similia habet ad Optat. Ep. 190. alias 157. In hanc ipſam rem a nobis hac Differt. jam aliqua præmiſſa ſnnt: quæ cum nunc dictis collata ſatis declarant, quomodo Lex vetus per ſe ipſam quidem non contulerit juſtitiæ gratiam, eam tamen ſub Lege conſtituti obtinere potuerint.

Ex his jam vero quid ni legitima conſecutione inferre liceat: Legem Novam eſſe & natura perfectiorem, & obſervatu faciliorem Veteri. *Perfectiorem* quidem: nam latius ſe ſe exporrigit; fidei myſteria clarius proponit; morum præcepta magis dilucide explicat; ſacramentorum & Sacrificii prærogativa eſt nobilior; per ſeipſam denique juſtificat. *Faciliorem* 158

vero: tum quod libera ſit a veteri illa obſervationum innumerarum ſarcina, atque adeo paucioribus conſtet præceptis; tum quia eſt Lex gratiæ & amoris, per ſe ipſam ſcilicet cordibus fidelium inſerens Dei charitatem, hacque potius, quam pœnarum metu nos excitans: ex opere operato adhæc pluribus mediis confert juſtificationis gratiam, vel ideo uberiora etiam gratiarum excitantium & adjuvantium auxilia ſubminiſtrans. Quid ni autem Lex hujusmodi ſit levior & obſervatu facilior? Jure optimo igitur Chriſtus Matth. 11. *jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve;* & Joannes in Ep. 1. C. 5. *mandata ejus gravia non ſunt:* quæ verba expendens Auguſtin. L. de Nat. & Grat. C. 69. *quomodo enim;* inquit, *eſt grave, cum ſit mandatum dilectionis? aut enim quisque non diligit, & ideo grave eſt: aut diligit, & grave eſſe non poteſt;* & de verb. Apoſt. Serm. 22. nunc 64. Legem gratiæ avium alis comparans, *hæc ſarcina,* inquit, *non eſt pondus onerati, ſed alæ volantis: habent enim & aves pennarum ſuarum ſarcinas, portant illas in terra, portantur ab illis in cœlo.*

Animadverſio pro Objectis.

159 I. PErperam contendunt quidam, in ſtatu Evangelico aliqua Legis veteris præcepta moralia eſſe ſublata, alia vero addita: quidquid enim eorum, quæ ad morum materiam pertinent, ſublatum eſt, mera fuit permiſſio, non præceptum; ſi quid autem videtur additum, non quoad rem, ſed modum duntaxat eſt additio, hoc eſt, planior & perfectior explicatio.

Ita e. g. polygamia uti nunc, ſic & olim prohibita fuit, videlicet citra divinam conceſſionem; hæc igitur tantum conceſſio abrogata eſt, manente etiamnum eodem præcepto prohibente. Item libellus repudii, pœna talionis, ac id genus alia

Digitized by Google

alia, quæ permittente Deo Lex vetus vel tolerabat, vel etiam ex prudenti æconomia ob imbecillem adhuc Judæorum virtutem indulgebat, ſublata ſunt mere quoad indulgentiam, non præceptum.

Similiter dum Chriſtus dixit: *ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam; præbe illi & alteram*, Math. 5. & C. 6. *nolite ſoliciti eſſe dicentes, quid manducabimus?* item Luc. 14. *ſi quis - - non odit Patrem & Matrem, - - & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus &c.* his inquam omnibus Chriſtus non dedit ulla nova morum præcepta: ſed Legem duntaxat naturalem, quam Phariſæi ſuis traditionibus & Gentiles pravis inſtitutionibus & moribus corrumpebant, clarius explanavit, ſuæque integritati reſtituit.

In primo videlicet (ut patet ex contextu a V. 38. uſque ad finem) præcipit dilectionem inimicorum, & ordinem charitatis explicat maxime quoad eam animi præparationem, qua nos oportet eſſe comparatos ad plura etiam ab inimico perpetienda, ſi tolerantia hac noſtra animam ejus lucrari, ſalutisque periculum, in quod ſe impotenti ira ſua dat præcipitem, ab eo avertere poſſimus. Non aliter porro intelligendum eſſe hoc præceptum, ſatis docemur vel exemplo Chriſti: nam *ipſe, qui utique præcepta, quæ docuit, ipſe implevit, percutienti ſe in maxillam miniſtro Sacerdotis non præbuit alteram; - - non tamen ideo paratus corde non fuit, non ſolum in alteram maxillam cædi pro ſalute omnium, ſed etiam toto corpore crucifigi*, ut ait Auguſtin. L. 1. de Serm. Dom. in monte C. 36.

In altero prohibet ſolum anxiam & ſuperfluam rei familiaris ſolicitudinem: non autem etiam moderatam, quæ cum fiducia in Deum & vitæ Chriſtianæ officiis componatur; hinc

ſubjicit, *nonne anima plus eſt, quam eſca?* & paulo ante præmiſerat, *non poteſtis Deo ſervire & mammonæ.* Certe autem non voluit nos ita omnem temporalium curam in Deum projicere, ut inerti duntaxat otio torpeamus; monuit quippe per Apoſtolum 2. Theſſal. 3. *ſi quis non vult operari, nec manducet:* unde, & Apoſtolus ibid. V. 8. de ſe, *neque gratis*, inquit, *panem manducavimus ab aliquo; ſed in labore & in fatigatione, - - ne quem veſtrum gravaremus.*

In tertio demum inordinatum duntaxat Parentum, conſanguineorum, ſuique ipſius amorem prohibet, ut clarum eſt ex ejus Matth. 10. verbis: *qui amat patrem aut matrem plus quam me, non eſt me dignus; - - qui non accipit crucem ſuam, non eſt me dignus; - - qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.* Ordinatum autem Parentum, univerſimque omnium, quin ſui ipſius etiam amorem adeo non prohibet, ut etiam præcipiat: *Honora Patrem tuum*, inquit, *& Matrem tuam*, *& diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Matth. 19. & pluribus locis aliis.

Jam vero in his omnibus nihil novæ morum præceptionis contineri, clarum eſt; explicatius igitur duntaxat proponitur Lex naturalis, cujus præcepto & prohibetur noxia temporalium cura: & imperatur ordinata charitas, eaque erga adverſarium etiam, ceu proximum noſtrum. Hinc autem pronum erit judicare de reliquis, quæ his non abſimilia ex Evangelio opponi poſſunt. Quanquam complura eorum nec ſint præcepta, ſed conſilia tantum ſublimiorem vitæ chriſtianæ perfectionem indicantia, atque ad eam adjuvantia: id quod ex contextu, lociſque aliis invicem collatis colligendum erit.

160 II. Quibus Lex nova videtur gravior veteri, ob-
a præcepto Confeſſionis ſacramentalis, prohi-
belli repudii. Confeſſio nempe hæc onus

multos a ſacris Catholicis avertat. Nec minor difficultas apparet in vinculo matrimonii perpetuo, quando vel Apoſtoli audito illo Matth 19. dicere non dubitarunt: *ſi ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere.* At enim Legis gravitas æſtimanda non eſt ex uno aut altero præcepto, verum ex tota eorum collectione. Hæc jam vero ſi attendatur, Lex Evangelica multo eſt levior ac obſervatu facilior; tametſi enim aliqua forte difficiliora imperet, in univerſum attamen pauciſſimis conſtat præceptis comparate ad Legem Moſaicam.

Cæterum neque eorum, quæ opponuntur, tanta eſt, ut exaggeratur, difficultas. Certe dolor Circumciſionem comitans longe ſuperat illum pudoris ſenſum, qui ex Confeſſione ſacramentali enaſcitur; hæc ipſa præterea, cum gravi peccatorum pondere liberet animum, oneri eſſe non poteſt: aut ſi quod eſt, ſublevatur certitudine remedii adeo ſalutaris, gratiarum ex eo profluentium abundantia, ſolatio pœnitentiam conſequente &c. Hæc quia non experiuntur Sectarii, nihil mirum, ſi pro feſtuca trabem videant, & umbris, quas ipſi ſibi efformant, terreantur. Sed & libelli repudii facta per Chriſtum prohibitio etſi videatur Matrimonio addere onus aliquod, hoc ipſum nihilominus in ſtatu Evangelico magnopere allevant ſacramentales gratiæ, Matrimonio jam Sacramenti prærogativa prædito propriæ, quibus antea deſtituebatur; levationem adhæc haud modicam afferunt tum inſignia bona, quæ Matrimonii perpetuitate conſequuntur Conjuges; quam evitatio malorum ejus ſolubilitatem comitantium.

§. V.

Quos Lex nova obliget? & quando obligare cœperit?

De natura Legis Evang. actum hactenus: de effectu jam illius, ſeu obligatione, dicendum. Duo autem potiſſimum in

in examen vocari poſſunt: ſubjectum ſcilicet, ad quod Legis hujus obligatio pertineat; tempus item, quo hæc obligatio univerſim cæpit. Sit primum

De perſonis Legis Evang. obligationi obnoxiis.

ASSERTIO.

Lex Evangelii obligat univerſim homines: non tamen eadem ratione omnes.

161 PRimum deducitur ex mente legislatoris Chriſti, ut qui Legem ſuam & tulerit, & promulgari voluerit omnibus. Ac ſine diſcrimine quidem pro omnibus latam ſatis indicavit, quando citra fidem in Evangelio comprehenſam, & ſine Baptiſmi janua nulli cœlum patere voluit: *qui crediderit*, inquiebat, *& baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur* Mar. 16. item, *niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu S. non poteſt introire in regnum Dei* Joan. 3. Voluiſſe etiam, ut Lex eadem univerſim promulgetur omnibus, conſtat ex ejus ad Apoſtolos mandato: *euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ* Mar. 16. V. 15. id quod & præſtitum ab illis: Evangeliſta enim teſte ibid. V. ult. *illi autem profecti prædicaverunt ubique &c.* Igitur lege Evangelii tenentur omnes, etiam infideles non baptizati: nam & hi ſubditi ſunt Deo, qui eam per Chriſtum omnibus impoſuit. Atque iſtud eſt, quod Petrus Act. 4. aperte innuit, cum Chriſtum novæ Legis auctorem prædicans diceret: *non eſt in alio aliquo ſalus; neque enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Neque tamen propterea exiſtimandum, Eccleſiaſticis etiam legibus infideles ligari: cum enim hi ſint extra juriſdictionem Eccleſiæ, leges ſuas pro illis nec fert, nec ferre poteſt; unde jam Apoſtolus 1. Cor. 5. ajebat, *quid enim mihi de iis, qui foris ſunt judicare?*

Alte-

Digitized by Google

Alterum docet ipſa obligationis varietas, quæ ex Legis natura, ac vel ideo ex Legislatoris mente deſumitur. Poteſt nimirum lex obligare vel *in actu primo* tantum; atque ſic Lege Evangelica omnes, proinde etiam infantes & amentes, obligari ſaltem remote ac conditionate, dubitari nequit: ad id quippe ſatis eſt, pro ipſis quoque ita eſſe Legem conditam, ut rationis uſum adepti revera actu obligentur illa. Poteſt item lex obligare *in actu ſecundo;* hæc jam vero obligatio, cum Legis promulgatæ notitiam ſupponat, ad ſolos adultos pertinet: non item parvulos ejus notitiæ nondum capaces. Cur igitur (inquies) parvuli non baptizati ſalute excidunt, ſi ſacris Baptiſmi undis ex Legis Evangelicæ præſcripto non tingantur? Ex hoc ajo ſolum argui, in hoc ſtatu Baptiſmum etiam parvulis eſſe neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem; hac igitur excidunt defectu remedii, quod ipſis neceſſarium eſt, tametſi ejus præcepto & obligatione ſtringi nondum poſſint per ætatem uſu rationis deſtitutam. Aliud quippe eſt rei alicujus neceſſitas: aliud actualis ad rem eandem obligatio. 162

De tempore, quo primum inducta eſt Legis Evangelicæ obligatio.

Quæſtio de obligationis hujus initio multum connexionis habet cum iis, quæ ſupra §. III. de tempore, quo Legis veteris obligatio abrogata eſt, diſſeruimus; ut adeo horum quoque iſthic reminiſci haud inutile fuerit. Recte autem notat Suarez, in præſenti controverſia diſcrimen faciendum inter Legis inſtitutionem, utilitatem, & obligationem: hancque ipſam rurſum diſtinguendam eſſe. Certum nimirum eſt, Chriſtum ante ſuam in cœlos aſcenſionem & Sacramenta inſtituiſſe omnia, & Legis novæ præcepta integre diſcipulis tradidiſſe; 163

certum item, jam tum Legis hujus uſum utilitate ſua non caruiſſe, ſuosque Sacramenta nova produxiſſe fructus; quin etiam probabile videtur nonnullis, eo jam tempore inſtitutionis hujus & præceptorum conſcios, quales erant Apoſtoli, aliqua ſaltem Legis novæ præcepta obligaſſe: neque tamen hinc conſequitur, ſimul ejusdem Legis obligationem generalem, quæ ad hominum communitatem pertineret, continuo cæpiſſe. De hac porro una in præſenti controvertitur, ſcholarum Doctoribus in varia abeuntibus, ut videre eſt apud Suarez de Legib. L. 10. C. 4. congrue interim & hi conciliari poſſunt in laud. Doctoris ſententia, quam nos quoque amplectimur.

ASSERTIO.

Lex Evangelica primum a Pentecoſte, hoc eſt, a die poſt Chriſti reſurrectionem quinquageſimo obligare cæpit: prius quidem Judæos: Gentes deinde ſenſim alias ita, ut ante Apoſtolorum mortem univerſum orbem obligaret.

FUndantur hæc omnia in promulgationis neceſſitate ad id, ut Lex communitatem obligare poſſit; unde pro ratione, qua Lex Evangelii ex voluntate legislatoris Chriſti ſolemniter promulgata eſt, etiam de ejus obligatione ſtatuere oportet. Conformiter ad quod

164 Ratio 1*mi* eſt: quia, tametſi Chriſtus jam antea fidei myſteria revelaverit, inſtituerit Sacramenta, præcepta etiam novæ Legis tradiderit, id nihilominus vel privatim, vel coram paucis duntaxat præſtitit; quin non prius, quam in Pentecoſte, horum promulgationem publicam per Apoſtolos fieri voluit, ut conſtat ex Chriſti cælum aſcenſuri ad illos verbis Luc 24. *ego mitto promiſſum Patris mei in vos, vos autem ſedete in civitate, quoad uſque induamini virtute ex alto:* item, eodem Luca teſte Act.

Digitized by Google

Act. 1. ante aſcenſionem ſuam *præcepit eis, ab Hieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris :* & infra, *accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus Sancti in vos , & eritis mihi teſtes in Hieruſalem, - - & uſque ad ultimum terræ.* Sed & Apoſtolos mandato huic paruiſſe, nec prius, quam poſt acceptum in Pentecoſte Spiritum Sanctum palam prædicaſſe Chriſti Evangelium, docemur ex iisdem Actis Ap. C. 2. Ab hoc igitur die primum obligare cæpit Lex Evangelica ſub propria Legis ratione.

Ratio 2di : nam eos utique Lex prius obligavit, quibus ante alios ipſius Chriſti mandato annuntiata eſt; hos autem fuiſſe Judæos, rurſum conſtat ex Actis Apoſtolorum. Sic enim Petrus, die Pentecoſtes primum prædicans Legem Evangelicam, ſolos Judæos alloquitur, ut patet ex Act. C. 2. V. 14. 22. 36. 38. & 39. Item uſque ad Cornelii converſionem ſolis Judæis & Proſelytis prædicabatur Evangelium, nec alii tingebantur Baptiſmo. Hinc, dum Cornelius Centurio a Petro baptizaretur, idque voluntate Dei factum Act. 11. intelligerent fideles, *glorificaverunt Deum dicentes : ergo & Gentibus pœnitentiam ded't Deus ad vitam.* Denique, idem aperte evincitur ex Pauli & Barnabæ verbis Act. 11. ubi a V. 45. dum *Judæi - - contradicebant his, quæ a Paulo dicebantur, - - Paulus & Barnabas dixerunt : Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, - - ecce convertimur ad Gentes, ſic enim præcepit nobis Dominus &c.* Hujus jam vero ſi rationem petas, illud congrue dici poteſt: plane conveniens fuiſſe, ut iidem, quibus ante alios in Lege Moyſis data eſt Evangelii figura, præ aliis etiam figuræ ſibi traditæ veritatem per Evangelium edocerentur. 165

Ratio 3tii quoad primum colligitur tam ex paulo ante dictis: 166
quam quod Gentibus per varias regiones ſparſis uno eodemque

tempore ſimul nec promulgatum ſit, nec promulgari potuerit Evangelium; ſicut proinde promulgatio ſucceſſive facta eſt, ſic & obligatio per orbem terrarum ſucceſſive inducta. Quod vero ad alterum attinet: Apoſtoli mandato Chriſti Mar. ult. ad prædicandum Evangelium omni creaturæ profecti in mundum univerſum, partim per ſe, partim per alios *prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*: ut adeo promulgati Evangelii notitia ad omnes univerſim modo humano pervenire potuerit; igitur ante Apoſtolorum mortem quoad univerſum terrarum orbem Lex Evangelii ſecundum ſe fuit jam completa: quodque hinc ultro ſequitur, eadem *quoad ſe* univerſim omnes obligavit.

Adverſæ partis momenta diluuntur.

167 ANte promulgationem in Pentecoſte factam (inquiet aliquis) Lex Evang. videtur obligaſſe. Certe enim Judæi jam antea tenebantur credere Chriſtum eſſe verum Meſſiam; hinc ipſe ante mortem ſuam de illis Joan. 15. *ſi opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Baptiſmi etiam & Euchariſtiæ uſus fuit neceſſarius; cum utriuſque neceſſitatem Chriſtus ipſe docuerit verbis illis, *niſi quis renatus fuerit &c.* item, *niſi manducaveritis carnem filii &c.* quin expreſſum quoque Euchariſtiæ celebrandæ præceptum dederit, *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22. Idem eſt de obligatione præceptorum aliorum, quæ in LL. Evangg. legimus Chriſtum palam per vicos & caſtella prædicantem Judæis tradidiſſe: quod idem erat, ac Legem novam promulgare.

Reſp. Hæc, tametſi liberaliter concedas, non plus arguunt, quam quod Judæi ante mortem Chriſti aliqua fidei Evangelicæ myſteria credere, aliqua item ejus præcepta obſervare obligati fue-

Digitized by Google

rint; at enim iſtud nondum idem eſt, ac Legem Evang. proprie ſumptam cæpiſſe obligare univerſim vel Judæorum communitatem. Lex nimirum hæc proprio ſenſu accepta complectitur non aliquorum duntaxat, ſed omnium fidei myſteriorum, Sacramentorum, & præceptorum collectionem, horumque ſimul promulgationem; certe autem ante mortem Chriſti nondum fuerunt ſufficienter revelata fidei myſteria omnia, nondum omnia inſtituta Sacramenta, nec præcepta tradita omnia; nam Pœnitentiæ ſaltem & Extr. Unctionis Sacramenta non niſi a mortuis reſurgens Chriſtus inſtituit, aliqua item præcepta & fidei myſteria in ipſo primum ad Paſſionem ſubeundam procinctu expoſuit ſolis Diſcipulis, hique ipſi adhuc plenius erudiendi erant per promiſſum Spiritum Sanctum; perperam ergo aſſeritur, jam ante mortem Chriſti promulgatam fuiſſe Judæis Legem Evang. proprio ſenſu acceptam, ut quæ tum nondum integre inſtituta fuerit: quod ſi vero iſtud, nec obligare utique ſub Legis ratione potuit.

Atque ex his generatim præmiſſis haud difficile fuerit ad ea, quæ in particulari opponuntur, reſpondere. Ac primum quidem negari non poteſt, peccaſſe Judæos ſua incredulitate: verum ad credendum in Chriſto verum Meſſiam non lege Evangelica, ſed (ut notat Simonnet) lege mere naturali obligabantur; dum enim Chriſtus ſe eſſe Meſſiam diceret, ſermonem hunc ſuum per miracula credibilem fecit: lege autem naturæ jubemur Deo loquenti credere. Quid quod fides, ut ea eſt Legi novæ propria, ſit in Chriſtum, qui jam generis humani redemptionem morte ſua conſummaverit: qualis utique fides ante mortem Chriſti non potuit haberi, minus præcipi. De Baptiſmi & Euchariſtiæ neceſſitate jam ſupra dictum eſt §. III. Num. 137. V. *Nec officit &c.* quibus id unum libet adjicere: dum Chriſtus Joan. 6. carnis ſuæ manducationem eſſe neceſſariam aſſeruit,

 tum

tum adhuc Euchariſtiam non inſtituit: ſed promiſit tantum; ex id genus igitur verbis haud recte continuo intuleris neceſſitatem pro eo ipſo tempore, quo eſt annuntiata. Idem congrue dici poteſt de celebrandæ Euchariſtiæ præcepto; nam prætorquam quod perſonale tantum fuerit, utpote Apoſtolis ſolis privatim intimatum, nec hos videtur ſtatim obligaſſe: nullum enim eorum novimus ante Pentecoſten ſacra hæc Myſteria peregiſſe. Ex prædicatione demum Chriſti per vicos Judæis facta id unum ſequitur: aliquorum præceptorum, ad Legem inſtituendam pertinentium, non vero Legis ipſius proprio ſenſu acceptæ obligatione eos fuiſſe obſtrictos. Certe Lex novi Teſtamenti non niſi morte Chriſti teſtatoris intercedente vim ſuam habere cæpit: qui igitur jam antea obligaret?

168 Qui putant a die Pentecoſtes ſimul univerſim omnes, proinde etiam Gentes, Lege Evang. obligari cæpiſſe, inde arguunt: quod Chriſtus Matth. ult. indefinite præceperit Apoſtolis, *prædicate Evangelium omni creaturæ*; quodque Petro illud Hieroſolymis primum prædicante adfuerint *ex omni natione -- Judæi quoque & proſelyti*, ut Act. 2. refert Lucas; ergo Lex Evang. ſimul promulgata eſt, ſimulque obligare cæpit omnes gentes, & non prius Judæos.

Reſp. ex primo non recte argui: ut enim Chriſtus præceperit omni creaturæ prædicari, at non eodem ſimul tempore & ordine omnibus, quod jam ſupra N. 165. comprobatum eſt. Non etiam ex altero: quia tametſi ultro concedatur eo die Hieroſolymis adfuiſſe etiam Gentiles ex variis regionibus, cum nihilominus prædicans Petrus ſolos Judæos, aut ad ſummum Proſelytos quoque (cum & hi Synagogæ aggregati fuerint) allocutus ſit, his utique ſolis Evangelium promulgavit; ut adeo Gentiles, licet & ipſi audirent Petri prædicationem, eam tamen

ad

Digitized by Google

ad ſe non exiſtimaverint pertinere: cujus rei indicium eſt, quod in tanta eo die baptizatorum multitudine nullus Gentilium ſit baptizatus. Cæterum illud, *ex omni natione*, ſatis veriſimiliter intelligi poſſe exiſtimo hoc duntaxat ſenſu: quod Hieroſolymis eo die adfuerint Judæi & Proſelyti, partim incolæ, partim advenæ, ex multis nationibus, quæ videlicet ibid. a V. 6. enumerantur, oriundi; non vero etiam Gentiles proprie tales, ſeu qui nondum fuerint aggregati Synagogæ. Eſt vero iſtud opinandi fundamentum: quod ibid. V. 5. de ipſis Judæis dicatur, *erant in Hieruſalem habitantes Judæi, viri religioſi ex omni natione, quæ ſub cælo eſt;* tum quod Pentecoſtes ſolemnitas ſolis Judæis & Proſelytis fuerit propria. Nec deeſt ita opinantibus ratio, cur Apoſtolis datum ſit linguarum donum, eoque etiam in prima hac prædicatione uſi fuerint? datum nempe eſt (ut Petrus a V. 16. inſinuat) in ſignum & teſtimonium veræ fidei; in eumdem quoque finem uſi ſunt illo Apoſtoli, ac etiam ut intelligerentur ab omnibus Judæis, qui natione perinde ac linguis erant differentes.

At ſaltem, inquies, jam ante converſionem Cornelii prædicatum eſt Gentibus Evangelium: nam Paulus (ut refertur Act. 9.) ſtatim a ſuſcepto Baptiſmo, *cum veniſſet in Jeruſalem, -- loquebatur quoque Gentibus, & diſputabat cum Græcis.* Argumento huic reſponderi poſſe exiſtimat Suarezius, ſi dicatur: *Græcos illos fuiſſe Judæos, ita appellatos, quia græce loquebantur; unde vox græca potius ſignificat græcizantes, quam Græcos: & eosdem fortaſſe Interpres vocavit Gentiles, nam in Græco illæ duæ voces non ponuntur diſtincte. Vel certe per Gentiles intelliguntur aut Judæi, qui ex provinciis gentium Hieruſalem venerant: vel e converſo Gentiles origine, profeſſores autem Legis & Proſelyti jam facti.* Quia interim his opponi poteſt cit. textus ad literam acceptus, ita Reſponſum ſuum proſequitur. *Vel certe ſi locus*

ille

ille de Gentilibus tam origine quam religione intelligatur, *ut littera ſimpliciter intellecta indicat*, *recte ponderavit Bellarm. L.* 1. *de ſum. Pontif. C.* 22. *ibi non dici*, *Paulum prædicaſſe Gentibus*, *ſed locutum eſſe & diſputaſſe cum illis. Fieri autem potuit*, *ut*, *prædicante Paulo Judæis*, *Gentiles audirent aliqua ſuis erroribus contraria*, *& inde ſumerent occaſionem diſputandi cum Paulo. Et conjectura non parva eſt*, *quia ibi non dicitur aliquem eorum fuiſſe converſum : ſed potius grave odium in Paulum concepiſſe. Aliunde vero conſtat*, *Paulum eundem* (cum aliis ſcilicet Apoſtolis) *ordinem in ſua prædicatione tenuiſſe*, ut primum nempe Judæis, tum Gentibus prædicaret. Id quod dein probat ex Act. C. 9. & cumprimis C. 11. iis ipſis nempe Pauli ad Judæos verbis, quæ jam N. 165. recitavimus. Ita laud. Doctor de Legib. L. 10. C. 4. Num. 20.

169 Demum pars Aſſertionis ultima, de obligatione Legis Evang. in univerſum orbem ante mortem Apoſtolorum inducta, in dubium vocari poteſt propterea: quod credibile non ſit, paucos Apoſtolos in toto mundo promulgaſſe Evangelium. Ac omnino hujus opinionis fuerunt complures Patres, ne ſua quidem ætate promulgationem Evangelii toto orbe factam exiſtimantes; ita Origenes Tract. 28. in Matth. Ruffinus L. 1. Hiſt. C. 9. & 10. Bernardus L. 3. de Conſiderat. ad Eugen. præcipue autem Auguſtinus L. de Nat. & Grat. C. 2. ac rurſum Ep. 199. olim 80. ad Heſychium, quem ab oppoſita ſententia abducere nititur. Noſtris imo etiam temporibus experimur quandoque barbaras gentes detegi, apud quas nulla eſt memoria Evangelii vel olim prædicati. Quid quod ſi ante Apoſtolorum mortem orbe toto promulgatum fuiſſet Evangelium, dudum jam oportuiſſet mundi finem adveniſſe juxta illud Chriſti apud Matth. C. 24. *prædicabitur hoc Evangelium Regni in univerſo orbe*, - - *& tunc veniet conſummatio*. Quod ſi jam vero ne nunc quidem ubi-

Digitized by Google

ubique ſit promulgatum, minus utique Apoſtolorum tempore: arbitrarie igitur aſſeritur, jam ante mortem illorum orbem univerſum fuiſſe obligatum Lege Evangelica.

Reſp. Nihil eſt, cur incredibile videatur Apoſtolos partim per ſe, partim per ſuos diſcipulos orbe toto ita promulgaſſe Evangelium, ut adhuc iis viventibus in regione qualibet aut re ipſa evulgatum ſit, aut moraliter ſaltem evulgari potuerit: præſertim ſi attendatur peculiaris providentia Dei iſtud volentis. Ac re ipſa ita factum eſſe colligitur ex Matth. C. ult. ubi dicuntur Apoſtoli, in *mundum univerſum* ire juſſi, prædicaſſe *ubique*; idemque teſtatur Paulus ad Rom. 10. *in omnem*, inquit, *terram exivit ſonus eorum*, *& in fines orbis terræ verba eorum*, juxta illud ſcilicet Chriſti verbum Act. 1. *eritis mihi teſtes in Jeruſalem*, - - *& uſque ad ultimum terræ*: id quod ſaltem quoad famam, ſeu evulgationem per alios factam impletum eſſe docet Hieronymus in C. 24. Matth. & Chryſoſtomus Hom. 76. in Matth. pluresque alii PP. cum D. Thoma.

Unde, ſi in Object. laud. Patres re ipſa oppoſitum ſenſerunt, non eſt, cur ab illis ſine piaculo recedere nequeamus: præſertim cum pro nobis ſit Scripturæ & aliorum Patrum auctoritas. Cæterum & hi cum opinione noſtra conciliari poſſunt, ſi dicatur: eos loqui ſolum vel de Evangelii prædicatione, quæ fuiſſet facta non tantum in orbe (ut dici ſolet) *moraliter* univerſo, ſed etiam minutim in qualibet particulari provincia; vel de prædicatione ita ſufficiente, ut per ignorantiam inculpabilem nullus excuſari potuerit ab actuali obligatione; vel denique de prædicatione illa, quæ fuerit conjuncta cum pleno effectu, hoc eſt, cum conſecuta gentium omnium ad fidem Chriſti converſione. Poſtremo hoc modo Auguſtinum cum ſua ſententia conciliare ni-

titur ipſe Doctor Ang. 1. 2. q. 106. Ar. 4. ad 4. prædicationem Evangelii duplici ſenſu intelligi poſſe aſſerens: *uno modo*, inquit, *quantum ad divulgationem notitiæ Chriſti; & ſic prædicatum fuit Evangelium in univerſo orbe etiam tempore Apoſtolorum*, *ut Chryſoſtom. dicit Hom.* 76. *in Matth. & ſecundum hoc, quod additur*, Et tunc erit conſummatio, *intelligitur hoc de deſtructione Jeruſalem*, *de qua tunc ad literam loquebatur* Chriſtus. *Alio modo poteſt intelligi prædicatio Evangelii in univerſo orbe cum pleno effectu*, *ita ſcilicet*, *quod in qualibet gente fundetur Eccleſia; & ita*, *ſicut dicit Auguſtin. Ep.* 78. (modo 197.) *ad Heſychium*, *nondum eſt prædicatum Evang. in univerſo orbe*, *ſed hoc facto veniet conſummatio mundi.* Ex his ſimul habes reſponſum ad verba Chriſti de conſummatione mundi apud Matth. C. 24.

Quod denique ad gentes aliquas ætate etiam noſtra Legem Evang. penitus ignorantes attinet: ex ignorantia hac non continuo infertur, in regionibus illis nunquam omnino fuiſſe promulgatum Evangelium; poterat enim temporis progreſſu ejus memoria obliterari. Minus autem inferri poteſt, ne ita quidem in ea orbis parte, quam incolunt, eſſe promulgatum, ut apud illas humano modo evulgari & innoteſcere non potuerit; quod autem iſtud fortaſſe factum non ſit, id tribuendum illorum peccatis & negligentiæ. Igitur etiam Gentes ejusmodi Lex Evang. *per ſe* loquendo, & *quoad ſe* præciſe ſumpta obligat: cum quoad ſe ſit per promulgationem ſufficienter completa, totumque proinde id habeat, quod ex parte Legis requiritur ad vim obligandi *in actu ſecundo* talem. Nihilominus *per accidens*, propter eorum ſcilicet ignorantiam (ut ſupponitur) nunc invincibilem & inculpabilem, excuſantur ab actuali obligatione & obſervatione, ita ut eis transgreſſio non imputetur ad culpam. *Per accidens* inquam, defectu nimirum ſe non te-

Digitized by Google

tenente ex parte *Legis* : ſed ſolum ex parte ipſorum; cum *in actu ſecundo* obligari non poſſint, ſi Legem, tametſi jam ex ſe completam, ſibi ipſis per ejusdem notitiam non applicent. Eſt hujus rei exemplum etiam in Legibus humanis. Conſule (ſi lubet) Suarezium, hac eadem ratione ad præſens argumentum reſpondentem ſupra cit. C. 4. Num. 24.

§ VI.

An Lex nova ſit aliquando penitus abroganda? aut ſaltem diſpenſationem admittat?

PArs quæſiti prior pertinet ad Legem ſecundum ſe ſumptam: altera ad ejus effectum, ſeu obligationem. Utriuſque reſolutioni haud abs re fuerit duo præmittere. Notatur itaque prævie

Error quorundam, & ſtatus Controverſiæ.

I. CUm de præſentis argumenti errore eſt ſermo, illum 170
intelligi volumus, in quem (præter alia ſua commenta) lapſi ſunt Montanus, Manes, & Mahometes. Montanus ſcilicet Seculi II. hæreſiarcha (teſte Philaſtrio Hær. 49. & Auguſtino L. de Hæreſ. C. 26.) uſque adeo inſanivit, ut Legem a Chriſto datam ſuo jam tempore finem accepiſſe, huicque ſe perfectiorem aliam, Deo ita volente, afferre doceret; iſtud vero ut imperitis perſuaderet, ſe illum ajebat eſſe Paracletum, quem Chriſtus venturum promiſerat, & a quo Mundus omnem veritatem eſſet edocendus. Inſaniæ eidem ex parte adhæſit Manes, ſeu Manichæus, Sec. III. ſectæ Manichæorum auctor; ex parte inquam: inſanientium enim more nunc Chriſtum, alias Paracletum a Chriſto promiſſum ſe eſſe prædicabat, ut legere eſt apud laud. Auguſtinum C. 46. Mahometes, qui cir-

ca An. 630. virus ſuum ſparſit, aliam erroris iſthuc pertinentis viam iniit : triplicem nimirum (apud emin. Gotti) legem divinam aſſerebat, Moſaicam, Chriſtianam, & Alcoranum; quarum uti primam deſinere oportuit ſuccedente altera, ita & hanc abrogatam eſſe ſuperveniente Alcorani lege, ceu perfectiore : unde juxta illum Lex Chriſtiana ſex duntaxat Seculis perduravit. Trium igitur horum impoſtorum communis error in eo erat, quod Legem Evang. non jam tantum abrogandam, ſed re ipſa abrogatam docerent. Atque hæc (ut opinor) vel retuliſſe ſatis eſt; certe manifeſta adeo inſania & impoſtura peculiari refutatione opus non habet, nec ullum controverſiæ locum facere poteſt.

171 II. Quod iſthic proinde in quæſtionem vocatur, primum eſt: num ea ſit Legis Evangelicæ perpetuitas, ut duratura ſit uſque ad finem Mundi? cum hoc enim, perinde ac militantis Eccleſiæ ſtatum, illam quoque deſituram a nemine controvertitur. Alterum : an perſeverante Lege Evang. ab ejus obligatione liberari quis poſſit per diſpenſationem? id quod indubium eſt, ſi homini, aut Deo ſaltem in ea diſpenſandi poteſtas conveniat. De qua ut rite ſtatuatur, ante omnia diſtinguere oportet inter præcepta Legis mere poſitiva : & ea, quæ quoad materiam ſunt juris naturalis. Diſtinguenda eſt item diſpenſatio proprie talis ab illa, quam dicimus impropriam, quæque in re non aliud eſt, quam interpretatio, hæcque ipſa in ſenſu minus proprio accepta, ſeu ab ἐπιείκεια diverſa. De vocum harum acceptione conſule ſuperius dicta ad N. 92. 93. & 97. in Reſp. I. Conſulto autem de Legis Evang. interpretatione peculiarem non inſtituimus quæſtionem : quæ enim de diſpenſatione diſputabuntur, ſufficiens præbebunt fundamentum de illa quoque judicandi.

AS-

Digitized by Google

ASSERTIO I.

Lex Evangel. durante Mundo abroganda non eſt, ſed ad finem uſque illius perſeveratura.

QUo veritas Aſſertionis clarior evadat, præcepta Legis Evang. in memoriam revocaſſe juverit; quod ſi enim hæc cum Mundo duratura ſunt, de illius quoque duratione nequit eſſe dubium: cum præceptorum collectio totam Legis ſubſtantiam abſolvat. Jam vero præcepta Moralia nunquam eſſe abroganda certum eſt: pertinent quippe ſimul ad Legem naturæ, quæ abrogari non poteſt, ut ſupra Diſſ. II. §. V. comprobavimus. Sed & Cæremonialium perpetuitas eſt certa: nam juxta Apoſtolum ad Hebr. 7. Chriſtus *ſempiternum habet Sacerdotium;* atqui præcepta Legis Evang. duratura ſunt durante ejus Sacerdotio, cum hoc ordinetur ad Sacrificium & Sacramenta, ergo &c. Sacerdotium porro hoc non in Chriſto tantum, ſed in ejus etiam Vicariis, ac ritu Sacrificii & Sacramentorum ſuam habere in ſenſu hic intento perpetuitatem, aperte colligitur ex illis 1 Cor. 11. verbis: *quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat,* ipſe ſcilicet Dominus ad judicium in fine Mundi; *in quo* (ut ait Doct. Ang. Lect. 6.) *datur intelligi, quod hic ritus Eccleſiæ non ceſſabit uſque in finem Mundi.* Idem ſentiendum eſt de præceptis Judicialibus vel ideo, quod ea partim cum Moralibus, partim cum Cæremonialibus certam habeant connexionem, ut patebit illa invicem conferenti. 172

Hæc in particulari de præceptis dicta confirmantur ex iis Scripturæ locis & Patrum ſenſis, quibus generatim Legis & Eccleſiæ Chriſti continuam uſque ad finem mundi durationem docemur. Ex Scriptura: *ecce ego vobiſcum ſum* (ait Chriſtus 173

ſti ſupremi Judicis adventu & Patriæ ſtatu ſuccedente, abroganda eſt Lex Evangelica. Ratiocinium hoc eſt D. Thomæ 1. 2. qu. 106. Ar. 4.

ASSERTIO II.

In Lege Evangelica, quoad ejus præcepta mere poſitiva, a Deo proprie diſpenſari poteſt: non item ab ullo hominum.

Pars I. deducitur ex natura & notione præcepti mere poſi- 175
tivi: hoc enim nomine ex Theologorum uſu illud duntaxat intelligitur præceptum, quod, ſpectata etiam materia, libera Legislatoris voluntate fertur: qualia in Lege Evangelii ſunt præcepta cæremonialia, & judicialia quædam in his fundata; cur autem Deus in id genus Evangelicis præceptis proprie diſpenſare nequeat? Sane vel ideo, quod a Deo libere lata ſint, libere poterant non ferri; eadem igitur libertate & poteſtate Deus diſpenſare poteſt in jam latis, quin ulla in eum redundet imperfectio. Itaque liberum eſt etiamnum Deo per extraordinarium privilegium eximere aliquem ab obligatione ſuſcipiendi Sacramenta, aut quævis alia mere poſitiva Legis Evang. præcepta obſervandi. *Mere poſitiva* ajo: nam in iis, quæ ſunt de Jure Naturæ, Deum proprie diſpenſare non poſſe Diſſert. II. §. V. docuimus.

Pars II. fundatur in diſpenſationis proprie talis natura: qua 176
attenta proprio ſenſu diſpenſare nemo poteſt in lege, niſi ipſe Legislator, aut alius paris cum eo, vel ſuperioris poteſtatis; aut demum is, cui jurisdictio hæc ex peculiari conceſſione ſit delegata. Quo jam autem nomine alicui humanæ poteſtati hoc in Lege Evang. diſpenſandi jus attribuas? Certe non primo: cum Magiſtratus quilibet humanus (ne eo quidem, qui

in Eccleſia eſt ſummus, excepto) Chriſto Legislatore ſit inferior. Non etiam altero: nullum enim eſt fundamentum aſſerendi, id genus poteſtatem hominum alicui eſſe a Chriſto delegatam. Hinc certa eſt Doctorum omnium ſententia: nullo unquam caſu vel ipſius Eccleſiæ auctoritate poſſe aliquem eximi ab obligatione Sacramenta miniſtrandi eo ritu, quo illa nominatim miniſtrari Chriſtus præcepit; proinde ne a Pontifice quidem diſpenſari poſſe, ut e. g. abſolutio ſacramentalis impendatur a laico, Euchariſtiæ conſecratio fiat in materia a triticeo pane & vino diverſa &c.

Reſolvuntur Objectiones.

177 CONtra Aſſert. primam opponi poteſt I. Quamvis Lex vetus dicatur *æterna* Baruch. 4. Phaſe celebrandum *cultu ſempiterno* Exod. 12. & Aaron ac liberi ejus futuri *Sacerdotes religione perpetua* Exod. 29. hinc attamen non infertur ita fuiſſe perpetuam, ut non prius deſineret, quam cum fine Mundi; igitur nec Legis novæ ea, quæ aſſeritur, perpetuitas inferri poteſt ex eo, quod ad Hebr. 7. Chriſtus dicatur habere *ſempiternum Sacerdotium.*

II. Per Apoſtolum 1 Cor. 13. *cum venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt;* atqui Lex moderna *ex parte eſt*, cum eodem Apoſt. teſte cit. C. V. 9. nunc *ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus;* ergo hujus Legis ſtatui ſuccedet alius perfectior, hocque ſuccedente prior *evacuabitur*, ſeu eſſe deſinet.

III. Chriſtus Joan. 16. promiſit ſe miſſurum eum Paraclitum, qui, cum venerit, *docebit omnem veritatem*, -- *& quæ ventura ſunt, annuntiabit;* at in Legis Evang. ſtatu nondum

Digitized by Google

dum venit hic Paraclitus : cum ne Apoſtolis quidem omnia, præſertim ventura, ſint revelata ; igitur expectandus eſt ſtatus a Lege Evangelii moderna diverſus, in quo hæc promiſſio impleatur.

Reſp. ad I. C. ant. N. illat. quo enim ſenſu in cit. locis Moſaicæ legis perpetuitas accipienda ſit, ſatis ſuperque patet ex §. III. a N. 133. & ſeqq. ubi probatum eſt, Legem veterem eſſe per Chriſtum jam abrogatam ; contra ex Sacerdotio Chriſti *ſempiterno*, reliquis una adjectis momentis pro Aſſert. hac allatis, legitima conſecutione arguitur ſtatus Evangelici continua ad uſque finem mundi duratio, quod videre eſt a N. 172. Quid quod ipſe textus ſacer ſatis indicet, rationem perpetuitatis in Aaronis & Chriſti Sacerdotio eſſe diverſam. Ut enim obſervat Auguſtinus Q. 124. in Exod. Sacerdotium Aaron dicitur quidem futurum *religione perpetua ;* at non additur juramentum, cujus Deum non pœniteat, uti iſtud additur de Chriſti Sacerdotio, quod Apoſtolus eſſe perpetuum infert ex illis Pſ. 109. verbis, *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum : tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech.* Sed audire libet ipſum Auguſtinum ſuper hac re diſſerentem. *Ibi enim* (in Sacerdotio Chriſti) *& juratio, & nulla Dei pœnitudo, qua ſignificetur mutatio ; -- de ordine autem Aaron dictum eſt quidem*, in perpetuum, *vel propter tempus non præceptum, quouſque obſervaretur : vel quod res ſignificaret æternas ; nuſquam eſt tamen dictum de Sacerdotio Aaron, quia* Juravit Dominus & non pœnitebit eum. *Et ideo dictum eſt in illo Sacerdotio ſecundum ordinem Melchiſedech*, Non pœnitebit eum, *ut ſignificaretur quia de Sacerdotio Aaron pœnituit eum, id eſt, mutavit illud.* Ita ille cit. Qu. in Exod.

Reſp. ad II. admiſſa Propos maj. & min. explicandus eſt ad mentem Apoſtoli illationis ſenſus: hujus Legis ſtatui ſuccedet alius perfectior in hac vita N. in altera C. hocque unum illic indicaſſe Apoſtolum, eruitur ex verbis, quæ eodem Cap. V. 12 ſubjicit: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.* Certe plena hæc cognitio, & viſio facie ad faciem non hujus, ſed alterius eſt vitæ.

Reſp. ad III. Chriſti apud Joan. promiſſio intelligenda eſt de Paraclito, qui docturus erat omnem veritatem eam, quæ ad perfectionis Evangelicæ cognitionem & ſalutis neceſſitatem pertineat: non autem etiam illam, qua omnes futuri eventus innoteſcant; hinc Act. 1. eo ipſo tempore, quo Chriſtus Spiritum S. promittebat diſcipulis, aperte ſimul declaravit, non eſſe eorum *noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Hunc jam vero a Chriſto promiſſum Paraclitum adveniſſe, certo ex Actibus Apoſt. conſtat: quo libro quia maniſeſte proditur Montaniſtarum & Manichæorum inſania, utrique eum propterea proterve rejiciebant.

178 Aſſertioni ſecundæ adverſari videtur I. quod Lex Evang. ita volente Deo uſque ad Mundi finem ſit duratura, & quidem quoad obligationis etiam effectum: ſecus enim foret otioſa; cum igitur Dei voluntas ſit invariabilis, neutiquam fieri poteſt amplius, ut vel Deus proprie diſpenſet in aliquo Legis Evang. præcepto. Aut certe

II. Si iſtud poſſit Deus, non eſt, cur poteſtas eadem, ſaltem delegata, negetur Eccleſiæ. An non enim cum illa Chriſtus omnem ſuam poteſtatem communicavit, dum ante mortem

Matth.

Digitized by Google

Matth. 18. Apoſtolis diceret: *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo:* rurſumque poſt reſurrectionem, *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, Joan. 20.

Reſp. ad I. admiſſo Antec. Diſt. illat. amplius Deus diſpenſare non poteſt, potentia voluntatem hanc ejus antecedente N. potentia voluntatem eamdem conſequente, iterum Diſt. lege providentiæ huic ordinaria C. extraordinaria, & per ſpeciale ſingularis providentiæ privilegium N. Certa hæc ſunt omnia, modo terminorum notionem proprio ſenſu accipias: unaque Dei libertatem, qua in condenda hac Lege uſus eſt, attendas. Neque officit Deum in Decretis ſuis eſſe invariabilem: nam vi potentiæ mere antecedentis nullam inducet mutationem; quod ſi autem (num enim id faciat aliquando, aut facturus ſit? non conſtat) vi potentiæ conſequentis induceret, mutatio hæc decretum pro lege providentiæ ordinaria conceptum non variaret: ſed extraordinariam duntaxat providentiam adjiceret. Sed nec in hac hypotheſi otioſa ac inutilis foret Lex *quoad ſe* perdurans; quamvis enim aliqui ab ejus obligatione ſolverentur diſpenſationis privilegio, eadem nihilominus alii privilegio hoc non comprehenſi ligarentur: quin & illi lapſo favoris tempore, aut ante tempus etiam revocato, uti certo revocari poſſet.

Reſp. ad II. haud recte fieri eam e poteſtate divina illationem: laudata quippe Chriſti verba, tametſi generatim prolata, reſtricte nihilominus accipienda ſunt; ſecus Pontifici, ceu Eccleſiæ Capiti, liceret mutare ſacramentorum materiam & formam, tollere Sacrificium Miſſæ, hiſque ſimilia alia, quæ nemo admiſerit. Quanta porro poteſtatis hujus a Chriſto communicatæ ſit amplitudo, id ex conſtanti Eccleſiæ uſu & ſenſu eſt colligendum. Sed nimirum

Digitized by Google

179 Urgeri poteſt argumentum I. Pronum eſt evenire caſum, quo Legis Evangelicæ alicujus obſervatio plus Eccleſiæ vel fidelium bono ſit noxia, quam utilis; quo igitur Chriſtus per ſuum in terris Vicarium provide gubernaret Eccleſiam, ſummo ſaltem Pontifici concedenda erat poteſtas interdum diſpenſandi in aliquo Legis Evang. præcepto.

II. Ac re ipſa videtur conceſſa: quamvis enim ex Chriſti præcepto Sacram. Confirmationis miniſter ſit Epiſcopus, *legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem ex rationabili & urgente cauſa ſimplicem Sacerdotem chryſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum*, ut ait Eugenius IV. in Concilii Flor. Decreto pro Armen. §. *ſecundum Sacramentum &c.*

Reſp. ad I. Propoſit. ant. ut ponitur, admitti nequit: quando certum eſt, univerſim leges a Chriſto eſſe provide & in bonum Eccleſiæ ac animarum latas. Dato interim etiam Propoſit. hujus aſſerto, neganda eſt conſecutio: ſi quis enim ejusmodi caſus eveniat, jam a principio illum Chriſtus ipſe exemit, nec pro eo Legem obligare voluit. Unde ad rectum Eccleſiæ & fidelium regimen non erat neceſſe, ut Pontifici ſummo (minus Prælatis aliis) concederetur diſpenſandi poteſtas in legibus Evangelicis: verum in ordine ad hunc finem ſatis proviſum eſt per hoc, quod Eccleſiæ, una cum Spiritus S. aſſiſtentia, data ſit facultas interpretandi leges divinas, earumque germanum ſenſum legitime exponendi.

Reſp. ad II. in cit. Decreto Eugenium diſpenſationis nomen latiore & minus proprio ſenſu accipere, idque unum velle: quod Pontifices præceptum Confirmationis divinum pro authoritate ſibi communicata interpretati ſint ita, ut judica-

ve-

Digitized by Google

verint, ordinarium quidem hujus Sacramenti miniſtrum ex Chriſti inſtitutione eſſe Epiſcopum; vi tamen ejusdem inſtitutionis ſimplicem Presbyterum poſſe eſſe miniſtrum extraordinarium, accedente ſcilicet Pontificis commiſſione ex rationabili & urgente cauſa.

Licebit igitur (inquies) Eccleſiæ univerſim leges divinas interpretari? ita omnino: ſi interpretationis nomine eam intelligas, quæ eſt minus proprie talis, & ab ἐπιείχεια diverſa; quamvis enim hæc imperfectionem aliquam in Lege & Legislatore arguat; non tamen illa. Unde non tantum lex divina poſitiva, ſed & naturalis admittit interpretationem, quæ ſit mera legis explicatio. Vide in hanc rem dicta Diſſert. II. de Lege Natur. §. V.

DISSERTATIO IV.

DE LEGE HUMANA.

§. I.

Quid, & quam varia ſit Lex Humana? a quo, pro quibus item ferri poſſit?

Argumentum, ad quod hac Diſſert. aggredimur, JCtis eſt proprium: neque tamen idem propterea ab officio Theologi alienum. Utrique de Legibus Humanis ex propoſito agunt: at diverſo fine, nec eadem ratione. Illi lucubratione ſua fere externum duntaxat ſtatus Civilis vel Eccleſiaſtici regimen ſpectant; hi operam ſuam referunt ad recte formandas fidelium conſcientias, actionesque eorum ad vitæ æternæ meritum inſtituendas. Illis ex officio incumbit ſingulos particula-

rium Legum apices minutim diſcutere ; iſti ſatis habent generalia ſtatuere principia, quæ ad moderanda JCtorum ſenſa normæ inſtar deſerviant. Nemo itaque exiſtimaverit, plenam nos iſthic velle Legum humanarum dare notitiam; nec materiæ, ut pote per univerſum Juris Canonici & Civilis corpus diffuſæ, amplitudo: nec forum, in quo verſamur, id patitur. Ab iis proinde, qui in Jus Canonicum & Civile commentantur, repetendæ erunt (ſi cui eas noſſe libuerit) particulares de Lege humana controverſiæ, præſertim de poteſtate Eccleſiaſtica & Civili, de perſonis hujus aut illius jurisdictioni ſubjectis &c. nos, quod ad propoſitum Theologi ſatis eſt, univerſales duntaxat, & Legi tam Eccleſiaſticæ quam Civili magis communes a §. II. expediemus. Nunc ad has ipſas compendiaria præliminari inſtitutione Theologiæ ſtudioſum comparare juverit: quam in rem explicanda eſt Legis humanæ notio & varietas; addenda etiam generatim aliqua de Legislatoribus humanis, perſonisque eorum legislativæ poteſtati obnoxiis.

Notio & varietas Legis humanæ.

180 I. LEx humana eſt, quæ fertur ab homine legitima auctoritate prædito: ea proinde, quæ a Deo proxime vel remote ſaltem ſit accepta; *non eſt enim poteſtas, niſi a Deo*, ad Rom. 13. Ut veræ ac proprie talis Legis rationem habeat, oportet eſſe juſtam, ſtabilem, & in commune bonum: nec privatis perſonis tantum, ſed communitati latam, ac etiam promulgatam. De his recole dicta Diſſert. I. §. I. III. & IV. Talis porro ſi ſit, perinde ac Leges aliæ hæc quoque ſubditos obligat; vis quippe obligandi a legis natura ſejungi nequit. Si quid eorum præcipiat aut prohibeat, quæ ſunt juris naturalis vel divini poſitivi materia, dicitur lex humana *mixta*: ſin vero ab his diverſum, *mere humana*; atque de hac potiſſimum no-

Digitized by Google

nobis erit deinceps diſceptatio. Ex his facile ſtatues de differentia, quam lex humana habet a naturali & divina poſitiva.

II. Cognita jam vero legis humanæ natura ultro ſe ſe cogitanti offerunt ejusdem ſpecies variæ. Alia nimirum eſt, quam ſibi communiter nationes fere omnes mutuo conſenſu tacito vel expreſſo impoſuerunt, diciturque *Jus Gentium*; alia, in qua non perinde omnes conveniunt, quamque idcirco, ceu priori oppoſitam, Juſtinianus Inſtit. L. 1. Tit. 2. *Jus proprium* vocat. Atque hæc altera ſi a Poteſtate Eccleſiaſtica procedat, nomen obtinuit legis *Sacræ*, *Canonicæ*, ſeu *Eccleſiaſticæ*: ſi vero a Magiſtratu Politico, dicitur lex *profana*, vel *Civilis*. Inter utramque id eſt præterea diſcriminis, quod hæc ſecundum ſe ad temporaneam tantum Societatis humanæ felicitatem ordinetur: illa vero actiones fidelium dirigat ad cultum & obſequium Dei, ac demum ad finem æternæ beatitudinis conſequendum. Leges Eccleſiaſticas in unum collectas legere eſt in Corpore Juris Canonici, Pontificum Bullariis, & Canonum in Conciliis editorum collectionibus; Civiles autem continentur in Corpore Juris Civilis, & codicibus particularium Regnorum & Provinciarum jura ac ſtatuta complexis. Præterea Legis humanæ inferiores ſpecies, ut ſunt: lex favorabilis, odioſa, prohibens, irritans &c. utrique hæ communes ſunt, nec earum notio ulli ignota. 181

De Legislatore humano.

UTi duplex eſt præcipua legum humanarum claſſis, ita legislator quoque, qui eas legitima auctoritate poſſit condere, alius eſt ſacer, ſeu Eccleſiaſticus: alius profanus, ſeu Civilis. De utroque pauca notabimus. Itaque

I. Po-

182 I. Poteſtas legislativa ſacra, qua univerſim totus fidelium cætus legibus obſtringi poteſt, convenit tam Romano Pontifici, ceu Chriſti vicario & ſummo Eccleſiæ capiti: quam Concilio generali legitimo, ut pote univerſum Eccleſiæ corpus repræſentanti. Utrumque iſtud orthodoxis omnibus indubitatum eſt, ut conſtat ex ea Theol. parte, quæ de Fide agit. Sed & utriusque vetuſtiſſima habentur monumenta. Primi quidem: nam Victor I. Sec. II. Pontifex anathemate etiam intentato Aſianis præcepit, ut ad Eccleſiarum aliarum morem Dominico die Paſcha celebrarent; & Sec. III. Zephyrinus univerſim ſtatuit, mœchis & fornicariis a peracta pœnitentia eſſe concedendam abſolutionis gratiam; idem exemplum eſt Sec. eodem in Stephano I. de cauſa *rebaptiſmi* conſtituente &c. Alterius vero certum præbent argumentum Canones pro tota Eccleſia editi a primis generalibus Conciliis: Nicæno ſcilicet, Conſtantinopolitano, Epheſino, & aliis.

Neque his interim tota legislativa poteſtas Eccleſiaſtica definitur. Eſt & alia priore inferior, qua, non tota quidem fidelium univerſitas, at aliquæ ſaltem ejus communitates ſubjici poſſunt legibus. Atque hæc poteſtas indubie convenit Epiſcopo in ſuam Diæceſim: particularibus item Conciliis, ut Nationali pro certa Natione, Provinciali pro Provincia &c. Addunt aliqui Prælatos & Conventus Religioſorum Ordinum, eorum præſertim, qui exemptionis privilegio gaudent.

183 II. Profanæ legislativæ poteſtatis prærogativa ad eos pertinet, qui perfectas ſtatus civilis communitates regunt; hinc uti iſtæ ſunt variæ, ſic & Legislatores varii. Ita leges civiles ferre poteſt Imperator in Imperio, Rex in ſuo Regno, Reſpublica libera pro terris ſibi obnoxiis; quin & Princeps quilibet, ſi in temporali jurisdictione ſuperiorem non habeat, quocum-

Digitized by Google

cumque demum nomine, ſeu Principis, ſeu Ducis, ſeu quovis alio compelletur. Ex adverſo poteſtas hæc neganda eſt Principi & Reipublicæ, ſi temporali alterius ſuperioris jurisdictioni ſubjiciantur. Idem eſto judicium de quovis Magiſtratu alio vel Civitate, in temporalibus Superiorem altiorem recognoſcente. Horum porro omnium ratio repetenda eſt ex Diſſert. I. §. III. ubi dictum, legem non poſſe ferri niſi a Superiore, qui perfectæ communitati præſit.

De Subjecto Legis humanæ.

I. Subjecti nomine iſthic veniunt perſonæ illæ, quæ legi- 184
bus a legislatore humano latis obligari poſſunt. Has jam vero (quod generatim dixiſſe ſuffecerit) certum eſt non eſſe alias, quam quæ Legislatoris jurisdictioni ſunt obnoxiæ: non proinde etiam ſtatus aut incolatus conditione extra eam poſitæ, aut ab ea ſingulari privilegio exemptæ. Inde eſt, quod Romanus Pontifex pro omnibus univerſim fidelibus legem ferre poſſit; Epiſcopus contra pro ſolis diæceſanis: imo neque his omnibus, ſi eorum nempe aliqui ab ejus jurisdictione ſint exempti, uti ſunt quædam ſacræ Religioſorum familiæ; quanquam & hi ob peculiare Tridentini decretum ſeſſ. 25. Cap. 12. obligentur ad publicandas & ſervandas Epiſcoporum cenſuras & interdicta, feſtorumque Diæceſeos celebrationem. Eadem eſt ratio Legislatoris profani; hinc Imperator, Rex, aut quilibet alius ſecularis Princeps pro ſuis duntaxat Provinciis, perſoniſque ſuæ jurisdictioni ſubjectis leges dictare poteſt.

II. Ac hæc quidem generatim dicta adeo certa ſunt, ut 185
principii inſtar recipiantur ab omnibus. Sed enim cum in particulari quæritur: quæ ſit ſacri perinde ac profani Legislatoris

juriſdictio ? quouſque ſe exporrigat utraque ? num intra ejus limites contineantur hæ nominatim aut illæ perſonæ ? an Princeps ipſe ſuis teneatur legibus ? an peregrini & vagi legibus locorum, ad quæ veniunt ? an Clerici legibus Civilibus ? hic enim vero videas JCtos ſcindi in partes, & opiniones abire varias. De quibus omnibus cum nobis pro argumenti dignitate pronuntiare non ſit integrum, ſatis fuerit monuiſſe : ſi qua in re alia, hic certe opinionum delectu & maturo conſilio opus, ne quid committatur in tritam illam, at ſimul certam æqui regulam : *ſuum cuique jus tribuendum eſt.* Tutam in his (non fallor) tenebis ſemitam, ſi, præter probatæ fidei JCtos, e Theologis libuerit ſequi Suarezium & Leſſium de lege Hum. ex propoſito diſputantes, itemque Bellarminum de Clericis, & Rom. Pontif. Nos porro e quæſitis his omnibus tria duntaxat poſtrema (quo fidem Num. 27. datam in ipſo hujus diſſertationis aditu liberemus) paucis delibabimus, id relaturi unum, in quo DD. facile omnes conſentiunt. Itaque

1mo. Tametſi forte Princeps legibus a ſe latis, qua talibus, non ſtringatur, cum reſpectu ſui ipſius non ſit ſuperior : ex æquitate nihilominus vel decentia in jure naturæ fundata obligatur ad eas ſervandas, quæ continent materiam Principi æque ac ſubditis convenientem. Poſtulat nimirum iſtud & recta communitatis gubernatio : & exemplum, quo Princeps ſubditis præire debet. Atque hoc ut minimum ſenſu accipienda ſunt illa Cap. *Juſtum.* diſt. 9. *Juſtum eſt, Principem legibus obtemperare ſuis : tunc enim jura ſua ab omnibus cuſtodienda exiſtimet, quando & ipſe illis reverentiam præbet;* item l. 4. Cod. de LL. *digna vox eſt Majeſtate regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri.*

2do. Etiam illi, qui Peregrinos & Vagos exiſtimant regu-

gula-

Digitized by Google

gulariter non teneri legibus locorum, per quæ tranſeunt, aut etiam in quibus commorantur non fixo ibidem domicilio vel quaſi domicilio: ultro concedunt, *per accidens* ſtringi eos hac obligatione. Primum repetunt inde, quod peregrini & vagi non ſubſint jurisdictioni Magiſtratus ea loca gubernantis. Alterius vero fundamentum eſt multiplex: nam ratione delicti vel contractus etiam peregrini ſortiuntur forum loci, ejusque Magiſtratui ſubjiciuntur; iidem ultro ſe ſubjicere præſumuntur legibus, ſpeciatim in peregrinos a loci Magiſtratu latis; ad obſervationem item obligantur, ſi ex neglectu ejus periculum ſit ſcandali &c. Huc facit illud Auguſtini L. 3. Confeſſ. C. 8. ubi ait, quædam *contra mores hominum pro morum diverſitate*, vitanda eſſe, *ut pactum inter ſe civitatis aut gentis conſuetudine vel lege firmatum, nulla civis aut peregrini libidine violetur; turpis enim omnis pars eſt ſuo univerſo non congruens.* Unde idem S. Doctor Ep. 118. nunc 54. regulæ inſtar ſtatuit: *diſciplina nulla eſt in his melior gravi prudentique Chriſtiano, quam ut eo modo agat, quo viderit Eccleſiam, ad quamcunque forte devenerit.*

3*tio*. Qui de Clericorum erga Leges civiles ſubjectione diſceptant, oportune monent diſcernendum eſſe inter vim directivam, obligantem in conſcientia ad ſervandam legem: & vim coactivam, obligantem ad pœnam in transgreſſores dictatam. Quod jam vero e controverſiis hic obmoveri ſolitis communi (teſte Suarez) conſenſu receptum eſt, eo reducitur: Clericos obligari vi directiva earum legum civilium, quæ non pugnant cum ſtatus clericalis decentia, nec adverſantur Eccleſiaſticæ immunitati; quales ſunt e. g. ſtatuentes mercibus precium, præſcribentes certam contractuum formam &c. Obligatio autem hæc repetitur vel ab æquitate & decentia naturali: vel ex tacito aut etiam expreſſo Pontificum conſenſu. Vide Suare-

zium in Tract. de Legib. L. 3. C. 33. ubi copioſos AA. argumentum hoc ex propoſito pertractantes laudari reperies.

§. II.

An, ut Lex Humana obliget, requiratur in Legislatore fides & probitas? quæ item promulgatio? num etiam populi in Legem conſenſus?

QUæ Differt. I. diſputata ſunt, manifeſtum faciunt, legem, quæ vera ac completa ſit, non poſſe non obligare: item, id genus legem eſſe, quæ a legitimo Superiore in commune bonum eſt lata, ac etiam legitime promulgata communitati. Ut interim iſta generatim certa ſint, nec quidquam ultra controvertatur de vi obligandi Legi Nat. & Divinæ propria: de Humana tamen Lege, eaque ſacra perinde ac profana*, in quæſtionem vocantur complura. Nimirum: an, ut vera ac completa ſit, vimque proinde obligandi obtineat, in Superiore eam ferente neceſſaria ſit etiam rectæ fidei & probitatis prærogativa? quis item ſpeciatim requiratur promulgationis modus? an demum populi quoque legem acceptantis conſenſus accedere debeat? Singula hæc ad aſſerendam Legis humanæ efficaciam permagni ſunt momenti; hinc ſeorſim de ſingulis ſtatuendum erit.

De Legislatoris fide ac probitate.

186 ECcleſiaſticis æque ac ſecularibus Præpoſitis conceſſam eſſe a Deo poteſtatem legislativam certum eſt, facileque iſtud quisque deduxerit ex iis, quibus Differt. I. Num. 32. pro legum humanarum obſervantia pugnavimus. Nunc definiendum: an poteſtas hæc dependeat a vera fide & bonis moribus?

Poſt

Digitized by Google

Poſt Donatiſtas affirmarunt Wicleffus & Joan. Huſs, fidei & morum ſanctimoniam ita requirentes in Legislatore tam Civili quam Eccleſiaſtico, ut ſine illa dicerent illegitimum, eaque proinde deſtitutum poteſtate, qua ferri poſſit vera lex, hoc eſt, ad ſubditos obligandos ſufficiens. At enim contraria eſt Orthodoxorum doctrina: quæ ipſa nihilominus quoad Eccleſiaſticæ jurisdictionis uſum certos admittit limites, ut ſequens dabit

ASSERTIO.

Poteſtas legislativa ſive Civilis, ſive Eccleſiaſtica non dependet a fide, aut morum probitate; ad jurisdictionem tamen Eccleſiaſticam neceſſaria eſt externa fidei profeſſio in Prælato Eccleſiaſtico.

PArs I. fidei dogma continet, cum in Concil. Conſtantienſi 187
damnata ſit hæc Wicleffi propos. 15. *Nullus eſt Dominus Civilis, nullus Prælatus, nullus Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali;* item Huſſii propoſ. 12. *Nemo gerit vicem Chriſti vel Petri, niſi ſequatur eum in moribus, cum - - nec aliter recipiat a Deo procuratoriam poteſtatem.* Ex adverſo igitur definitum eſt, univerſim nullo, proinde nec fidei aut improbitatis alterius peccato ſufferri legitimam Principis ſecularis aut Prælati Eccleſiaſtici poteſtatem; integra ergo manet poteſtas legislativa; ergo ab his etiam legitimæ feruntur leges, quæ obligent; ergo poteſtas Legislatoris non dependet a fide & moribus.

Nec deeſt graviſſimum doctrinæ hujus fundamentum ex S. 188
Literis perinde, ac ratione petitum. Et quidem

De poteſtate Eccleſiaſtica: nam Apoſtolus ad Hebr. 13. de Præpoſitis Eccleſiæ (ut patet a V. 7. ex contextu) agens, generatim dicit V. 17. *obedite Præpoſitis veſtris & ſubjacete eis.* Verba hæc forte reſtringenda dices ad probos? at enim Apo-

ſtolus nullo probos inter & improbos facto diſcrimine loquitur ; neque ullum præterea occurrit reſtrictionis fundamentum : præſertim cum Chriſtus ipſe, Matth. 23. obediri voluerit Scribis & Phariſæis ſuper cathedram Moyſi ſedentibus , *omnia* (inquiebat) *quæcumque dixerint vobis* , *ſervate & facite.* Accedat theologica ratio : quia poteſtas legislativa, etiam ſpiritualis, eſt *gratia gratis data* , quæ ſcilicet in aliorum utilitatem ordinatur ; ex ſe proinde non connectitur cum fide & probitate. Certe improbus etiam Prælatus utiles ac juſtas ferre poteſt leges , ac per has cultum Dei & fidelium ſalutem procurare, quem in finem a Deo inſtituta eſt poteſtas Eccleſiaſtica.

De poteſtate Civili idem docemur duorum Apoſtolorum monito. Certe S. Petrus Ep. 1. C. 2. V. 13. *ſubjecti*, inquit, *eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum*, *ſive Regi*, *quaſi præcellenti*, *ſive ducibus tanquam ab eo miſſis* ; & D. Paulus ad Rom. 13. *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit* , - - *qui reſiſtit poteſtati*, *Dei ordinationi reſiſtit.* En ! generatim ab utroque commendatam ſubjectionem erga Principes ſeculares, nullo rurſum inter eos facto diſcrimine ; imo ab utroque includi etiam infideles & improbos colligitur tum ex eo , quod id temporis Reges omnes ac Duces eſſent infideles : tum quod in cit. Ep. Petrus V. 18. diſerte dicat, ſubjectionem præſtandam eſſe *in omni timore Dominis* , *non tantum bonis & modeſtis* , *ſed etiam diſcolis.* In ſeculari igitur Principe cum improbitate , aut infidelitate etiam , componitur poteſtas legitime gubernandi , quæ ipſa eſt legislativa ; quam in rem rurſus applicanda ratio paulo ante inſinuata , ac demum adjicienda ex Patribus vel unius Auguſtini ſententia. Ita autem ille in Pſ. 124. *aliquando*, inquit, *injuſti perveniunt ad honores ſeculi ; - - quia hoc facit Deus propter diſciplinam plebis ſuæ*, - - *non poteſt fieri, niſi ut exhibeatur illis honor debitus poteſtati. - - Julianus extitit*

in-

Digitized by Google

infidelis Imperator, extitit apoſtata, iniquus: milites Chriſtiani ſervierunt Imperatori infideli. In quo autem ſervierint, deinde explicat: *Si quando volebat, ut idola colerent, præponebant illi Deum. Quando autem dicebat: producite aciem, ite contra illam gentem; ſtatim obtemperabant. Diſtinguebant Dominum æternum a Domino temporali; & tamen ſubditi erant propter Dominum æternum Domino temporali.*

Pars II. primum Aſſertionis membrum reſtringit quoad po- 189
teſtatem legislativam Eccleſiaſticam. Ut enim Prælati Eccleſiæ per defectionem a fide, quæ ſit hæreſis mere interna (aut etiam externa, ſed occulta, ut volunt aliqui) non amittant jurisdictionem ſpiritualem; amittunt certe per hæreſin externam, quæ ſimul ſit notoria. Atque hoc ſenſu ad jurisdictionem Eccleſiaſticam requirimus in Prælato Eccleſiæ externam fidei profeſſionem; id quod duplici momento conficitur.

Momentum I. eſt ex ratione. Prælatus nempe notorie hæreticus aut ſchiſmaticus non eſt amplius in Eccleſia ſpectato etiam foro externo, idque non tantum vi excommunicationis majoris, quam incurrit: ſed & propterea, quod per hæreſim notoriam ſe ipſum externe & notorie ſeparet; eo ipſo igitur jure tam poſitivo quam naturali privatur omni jurisdictione Eccleſiaſtica. Poſitivo: quia ex inſtitutione Chriſti jurisdictio hæc exercenda eſt per membra Eccleſiæ; tale autem membrum non eſt, qui eſt extra Eccleſiam. Naturali item: quia juri naturæ repugnat jurisdictionem haberi in eos, qui non ſunt ſubditi; atqui fideles nequeunt eſſe ſubditi ejus, qui eſt extra Eccleſiam: ſecus enim ſimul eſſet in Eccleſia, quia per ſuam in illos jurisdictionem communicaret cum fidelibus in ſpiritualibus, unumque proinde cum illis morale corpus efficeret, quod eſt eſſe in Eccleſia.

Mo-

Momentum II. eſt ex Traditione in Patrum ac Pontificum conſenſu fundata. *Didicimus* (ait Cyprianus L. 1. Ep. 6. ad Magn.) *omnes omnino hæreticos & ſchiſmaticos nihil habere poteſtatis ac juris* &c. ubi agit de hæreticis publicis, & poteſtate non Ordinis, ſed jurisdictionis Eccleſiaſticæ. Cœleſtinus Papa ad Oriental. Epp. hæc habet: *ſi quis ab Epiſcopo Neſtorio, aut ab aliis, qui eum ſequuntur, ex quo talia prædicare cœperunt, vel excommunicatus vel exutus eſt Antiſtitis aut Clerici dignitate, hunc in noſtra communione & duraſſe & durare manifeſtum eſt, nec judicamus eum remotum; quia non poterat quemquam ejus removere ſententia, qui ſe jam præbuerat ipſe removendum*, brachio ſcilicet etiam ſeculari implorato. In eundem plane ſenſum loquitur Nicolaus I. Ep. 7. ad Michaelem Imperatorem. Utriusque jam vero Pontificis collatis verbis clarum fit: Neſtorium & huic ſimiles jurisdictionis poteſtatem amiſiſſe, ut primum errores ſuos prædicare cæperunt, hoc eſt, ut primum facti ſunt notorii hæretici; quid ni autem idem ſentiendum ſit de aliis quoque Prælatis Eccleſiaſticis, ſi hæreſis eorum ſit notoria, atque ſic careant profeſſione fidei externa. Plura id genus Patrum ac Pontificum ſenſa vide apud Bellarmin. L. 4. de Eccl. milit. C. 10.

Reſpondetur Adverſariis.

190 Aſſertionis pars I. quoad poteſtatem Civilem in dubium vocari poteſt propterea, quod ſi ea legitima ſit etiam in Principe infideli, nequeat congrue explicari: quomodo, ſalva juſtitiæ lege expeditio (ut vulgo dicitur) *Cruciata* ab Urbano II. ſit indicta ad occupandam Terram Sanctam, atque adeo ad regionis ejus barbaros Principes jure ſuo & poteſtate gubernativa exuendos? quomodo item citra injuriam complures Indorum Reges a Chriſtianis Principibus exauctorari, & imperiis ſuis privari potuerint?

Reſp.

Reſp. Ut facti hujus æquitas contra obtrectatores quosdam vindicetur, varii adferunt varia. Nos id præſtari exiſtimamus vel hoc uno. Chriſtianis ex mandato Chriſti jus eſt prædicandi ubique Evangelium, eique gentes quaslibet aggregandi; abſque injuria igitur Chriſto & Chriſtianis illata barbari illi Principes impedire non poterant Evangelii ſuis in terris prædicationem, & veræ fidei propagationem: at enim impedierunt, & proterve quidem adeo, ut in Præcones ſacros acerbe deſævirent, ſuos vero a ſuperſtitione ad Religionem veram tranſeuntes, aut tranſitum molientes graviſſimis mulctarent pœnis; ad propulſandam itaque injuriam, & latius ſpargendam Evangelii ſementem (cum non proficerent alia) æquiſſimo poterant bello impeti, ac ſubinde devicti ſua etiam poſſeſſione, juribus, & poteſtate deturbari. Id vero eo etiam eſt certius, quod huic Chriſtianorum Principum conatui & facto acceſſerit conſenſus & auctoritas Romani Pontificis, cujus eſt vicaria Chriſti poteſtate procurare Evangelii prædicationem, & ſummo in terris jure de mediis ad veram Religionem ubique proferendam oportunis diſponere. Conſule de hoc argumento Franciſcum a Victoria Relectione 5. de Indis.

Quoad II. partem Aſſertio impugnatur pluribus, & I. qui- 191
dem: Scribis & Phariſæis, ſuper cathedram Moyſi ſedentibus, ipſo monente Chriſto obtemperandum erat; at hi palam docebant errores Legi Moſaicæ contrarios, hacque ſua doctrina ſcindebant ſe a vera Judæorum Eccleſia: caruerunt proinde externa Legis profeſſione; perinde igitur in ſtatu Evangelico obtemperandum erit Prælatis Eccleſiaſticis, tametſi externa veræ fidei profeſſione careant: quodque hinc ultro ſequitur,

ad jurisdictionem Eccleſiaſticam neceſſaria non eſt externa fidei profeſſio. Id vero eo urgetur amplius, quod

II. Hoc etiam Legis Evangelicæ ſtatu ab ea profeſſione non dependeat civilis Principum laicorum jurisdictio; cur igitur ſpeciatim in Prælatis Eccleſiæ uſque adeo arctam connexionem habeat jurisdictio ſpiritualis cum memorata profeſſione? Deinde

III. Si iſtud obtineat, perinde dicendum: per hæreſim externam, ſed occultam, amitti Eccleſiaſticam jurisdictionem; at iſtud profecto gravia admodum in Eccleſiam inveheret incommoda, cum incertum redderetur fidelium regimen &c.

Reſp. ad I. Ex obedientia, quam Chriſtus Matth. 23. commendabat erga Scribas & Phariſæos, non continuo infertur eorum jurisdictio ſpiritualis. Nempe mandato Chriſti obtemperandum duntaxat erat illorum doctrinæ ſanæ & Legi conformi, quam etiam quandoque tradere ſoliti erant, tametſi ab ea moribus diſſentirent; at enim iſtud non erat obedire Phariſæis ipſis nec eorum jurisdictioni ſe ſubmittere: verum doctrinam ſanam & Legem ſequi, atque adeo in ejus auctorem Deum ſubjectionem profiteri, quæ obligatio eſt Juris naturæ. Unde nunc etiam non negamus obſervandam eſſe doctrinam Evangelio conformem, ſi forte eam a Prælato hæretico proponi contingat; nec tamen propterea concedenda eſt illi jurisdictio prædicandi verbi Dei: quod idem ſentiendum de Phariſæis, non legitima, ſed arrogata tantum auctoritate Legem interpretantibus. Cæterum, quamvis forte Phariſæi ſua non caruerint jurisdictione, carere tamen illa Prælatos Eccleſiæ hæreſim notorie profitentes, certum eſt; illi enim in opinione Judæorum, pro foro proinde externo, non deſierunt eſſe membra Synagogæ: cum ex adverſo hi gremio Eccleſiæ excidant, tam quod ſe ipſos ab ea notorie ſeparent, quam quod judi-

judicio Eccleſiæ per excommunicationis ſententiam ſeparentur.

Reſp. ad II. diſcrimen petendum eſſe ex momentis N. 189. relatis, quæ non pugnant adverſus jurisdictionem mere civilem, Principi laico propriam. Deinde: excommunicatio, quam hæreticus notorius incurrit, directe privat tantum bonis ſpiritualibus, inter quæ connumeratur Eccleſiaſtica jurisdictio; non etiam temporalibus, quale eſt poteſtas & jurisdictio mere civilis.

Reſp. ad III. de conſecutione hac variare Doctorum opiniones. Multi eam liberaliter concedunt, non quidem præciſe propter hæreſim externam: ſed magis propter excommunicationem majorem, quæ hoc ipſo incurritur, quod quis hæreſim internam ſigno externo exprimat, tametſi id occulte faciat. Hi ipſi nihilominus addunt: jurisdictionis actus, quos Prælatus hujusmodi exercet, eſſe validos propterea, quod hoc caſu Eccleſia jurisdictionem neceſſariam ſuppleat, idque ob errorem communem & fidelium bonum. Alii (ac forte veriſimilius) negandam exiſtimant illationem; pro qua opinione pluribus pugnat Simonnet Tract. 8. de Legib. Diſput. 5. Ar. 2. Præcipua ratio videtur repetenda ex Cæleſtini & Nicolai Pontificum ſenſu alias memorato: cum enim hi dicant, Neſtorium jurisdictionis Epiſcopalis actus valide exercere non potuiſſe, poſtquam hæreſim ſuam prædicare cæpit, hoc eſt, poſtquam prædicatione ſua notorius hæreticus factus eſt, ſatis innuunt, potuiſſe id eum antea, quam notorius fieret hæreticus. Sed nec illud omittendum: quamdiu hæreſis externa manet occulta, occulta pariter manet excommunicatio; ejusmodi itaque hæreticus in communi fidelium exiſtimatione & pro foro externo perſeverat eſſe membrum Eccleſiæ: cum igitur non perinde ſe habeat

notorii hæretici conditio, quamvis priori in bonum fidelium integra relinquatur juriſdictio, non hoc ipſo etiam huic alteri.

192 Urgebit forte aliquis I. Pontificum aliqui etiam poſt notoriam a fide defectionem pro vero ac legitimo Eccleſiæ Capite ſunt agniti: talis erat Marcellinus, qui idolis ſacrificavit, tales Liberius & Felix II. in Arianam prolapſi hæreſim &c. igitur legitima poteſtas & juriſdictio Eccleſiaſtica arcte adeo non conjungitur cum externa fidei profeſſione.

II. Per pacis Germanico-Suecicæ, vulgo Weſtphalicæ ſanctiones in Cathedralibus quibusdam Eccleſiis mixta jura conceduntur Catholicis æque ac Lutheranis ita, ut per Art. 5. una Canonicorum pars confeſſioni Auguſtanæ, altera Romanis Sacris addicta eſſe debeat: in eadem quin etiam Eccleſia, ac nominatim Oſnabrugenſi, per Art. 13. permittitur, ut locum habeat alternativa ſucceſſio Epiſcoporum inter Catholicos & confeſſionem Auguſtanam profeſſos, qui quidem ſint ex familia Ducum Brunſvicenſium & Luneburgenſium; rurſus ergo habetur exemplum, quo docemur, juriſdictionem Eccleſiaſticam, qualis certe eſt in Epiſcopo, componi poſſe cum notoria hæreſi.

Reſp. ad I. Hoc argumenti genus pro dignitate expedire prolixi admodum eſſet operis, quando vix in re alia facundiores legas Scriptores heterodoxos, atque dum aliqua ſe ſe offert Romanos Pontifices cavillandi occaſio. At enim, uti negari non poteſt eorum quosdam labem aliquam contraxiſſe: ita certum eſt, partem maximam eſſe commentitia, quæ illis appinguntur, ut videre eſt apud Bellarminum, egregium Romanorum PP. vindicem L. 4. de Rom. Pontif. a C. 8. uſque ad 15. quod ad rem noſtram facit, duo generatim notaſſe ſuffecerit. *1mo*, probabi-

Digitized by Google

babilem eſſe laud. Bellarmini cit. L. C. 6. ſententiam: Sum. Pontificem, etiam ut privatam perſonam, non poſſe a fide vera penitus deficere, ita ut re ipſa ac animo fiat hæreticus, vel infidelis. *2do*, nullum e Pontificibus proferri poſſe, qui ita a fide certo defecerit: tametſi eorum aliqui metu inducti defectionem externo actu ſimulaverint, ac in hoc culpam admiſerint; atque hi, ſi eorum ſimulatio fidelibus ignota fuit, atque adeo pro notoriis hæreticis ſunt habiti, indubie Pontificatu & jurisdictione facto ipſo exciderunt, idque defectu profeſſionis externæ. Unde hujus Objectionis propoſ. Ant. omnino neganda eſt.

Ut autem de memoratis in Object. Pontificibus ſpeciatim aliquid dicamus. Marcellini factum, quod opponitur, ultro admittit Bellarminus; at una contendit, eum non fuiſſe animo infidelem, ſed ſimulatione tantum, & actu externo ob metum mortis. An autem propterea Pontificatu exciderit, an eum retinuerit? parum referre putat: cum ſe ipſe mox pœnitens Pontificatu abdicaverit, haud multo poſt etiam Martyrii gloriam adeptus. Exiſtimat interim ipſo facto Marcellinum non excidiſſe Pontificatus jure, quia ſatis conſtabat omnibus, eum ſolo mortis metu idolis ſacrificaſſe. Hæc in ea ſententia Bellarminus ad defenſionem Pontificis. Cæterum his non amplius opus: Marcellinum enim aliquando idolis thus adoleviſſe, putida eſt fabula, ut communiter jam nunc duce Auguſtino L. de Bapt. contra Petil. C. 16. propugnant eruditi Critici. Vide Alexandrum Nat. in Hiſt. Eccl. Sec. III. Diſſert. 20. Papebrochium in Propyl. ad acta SS. menſis Maii Diſſert. 8. & Pagium in Critica Annal. Baronii ad An. 302. Num. 16. Nihil igitur eſt, quod a Marcellino argui poſſit. Sed nec a Liberio: reprehenditur is, quod cum Arianis communicaverit, dum præſertim ſubſcriberet Syrmienſi formulæ; at enim hæc ſpectatis

verbis fuit catholica, licet Ariani, cum Liberio ſimulate agentes, pravo ſuo ſenſu eam acciperent. Quia interim ob communicationem hanc externam pro hæretico eſt habitus Liberius, dignitate Pontificia a Clero Romano eſſe exutum memorat Bellarminus. Demum Felix II. retenta ſemper in animo fide integra, quoad externos actus omnino aliquam cum Arianis communionem habuit: neque tamen iſtud niſi antea, quam legitimus fieret Pontifex. Certe, poſt rejectum Liberium, ſuffragante Clero Romano ſolium inſcendens Pontificium non modo omnem cum Arianis communionem reſcidit: ſed coacto etiam Concilio Conſtantium Imp. & Urſatium ac Valentem Epp. cum quibus Liberius pacem fecerat, hæreticos eſſe declaravit, propterea ab Arianis ex Urbe ejectus. Sed hæc nos compendio & per occaſionem tantum; plura tum de his, tum de aliis Pontificibus legi poſſunt apud Bellarm. L. ſupra cit.

Reſp. ad II. Pacis Weſtphalicæ, quam dura temporum neceſſitas expreſſit, ſanctio ita omnino habet, ut relatum eſt; neque tamen hinc adverſus nos quidquam. Epiſcopi illi, confeſſionem Auguſtanam profeſſi, umbræ & larvæ ſunt Epiſcoporum, non veri Eccleſiæ Prælati; bona Epiſcopatus temporalia poſſident, profana duntaxat, quam Imperator dare poteſt, jurisdictione inſtructi: ne in minimo quidem ejus, quæ vere Eccleſiaſtica & ſpiritualis eſt, participes. Res alioqui clara & nota eſt; non opus proinde multis. In ipſo quin pacis memoratæ Inſtrumento proviſum eſt, ne quid contra unquam ab ullo attentaretur; nam Art. 13. ſancitur, ut *durante adminiſtratione Epiſcopi confeſſioni Auguſtanæ addicti, illibata quidem ei permaneant jura regiminis in civilibus: omnium autem eorum, quæ ex ritu Romanæ Eccleſiæ ad cenſuras, uſum & adminiſtrationem Sacramentorum, ut & cætera pertinent, diſpoſitio ſit reſervata Dom. Archi-Epiſcopo Colonienſi velut Metropolitano.*

De

Digitized by Google

De Legis hum. promulgatione.

LEgibus univerſim omnibus commune eſt, quod citra pro- 193
mulgationem obligare nequeant, ut alias dictum Diſſert. I. §. IV. hinc quæſtio, quæ fit ſpeciatim de Lege humana, de promulgationis duntaxat modo inſtituitur. Tria autem potiſſimum quæri ſolent: an promulgationem hanc ſolemnem ac publicam eſſe oporteat? eamdem num ſatis ſit fieri in uno ditionis loco, e. g. Metropoli? an denique lex promulgata continuo obliget, quin ad obligationem inducendam neceſſe ſit certum aliquod a promulgatione tempus effluere? In primo facile conveniunt omnes: ſolemnem videlicet requiri promulgationem, quamvis determinatus ſolemnitatis modus arbitrio Legislatoris definiri poſſit. De poſtremis duobus, præſertim circa leges Eccleſiaſticas, variant Doctorum opiniones, de quarum probabilitate & uſu infra N. 198. dicetur: nunc de eo tantum, quod in præſenti argumento ut certum ſtatui poteſt, proferemus ſententiam.

ASSERTIO.

Ut Lex humana obliget, ſolemni aliquo & publico ritu promulganda eſt; ab arbitrio autem Legislatoris pendet promulgatio quoad locum: uti & tempus, quo lex promulgata obligare incipiat.

PRimum aſſerti membrum in eo fundatur, quod ſpectata le- 194
gis humanæ natura eam eſſe promulgationem illius oporteat, ex qua intelligatur mandatum ferri ab homine non ut privato Domino, ſed ut publica perſona & communitatis Superiore: idemque ferri non privatis tantum, ſed communitati; atqui promulgatio ejusmodi eſt eo ipſo ſolemnis & publica, ſeu demum fiat publica præconis voce, ſeu palam affixo programmate,

mate, ſeu quovis ritu alio his æquivalente, ergo &c. Nec leve momentum eſt, quod in hanc rem petitur ex communi gentium uſu & conſenſu. Nullam nimirum vel barbaram gentem reperias, quæ ſuorum Principum leges non promulget ritu aliquo publico & ſolemni; nullam, quæ exiſtimet jam ante hanc promulgationem ſubditorum communitatem lege obſtringi. Jure itaque dixerim, ipſo rationis naturalis ductu nos edoceri hanc promulgationis neceſſitatem quoad omnes univerſim leges humanas, ſacras proinde æque & profanas.

195 Quod reliquum aſſertionis eſt, deducitur ex ſuprema Legislatoris in ſubditos auctoritate, qua ad regendos illos pro arbitrio uti poteſt, modo nequid contra jus naturale aut divinum, quodque communi bono ſit noxium decernat. Jam vero certum eſt naturali & divino jure conſtitutum non eſſe, ut lex humana in omnibus nominatim, aut pluribus ſaltem provinciæ Legislatori ſubjectæ locis promulgetur: non item, ut certo tantum a promulgatione facta temporis intervallo obliget; liberum igitur eſt Legislatori humano obligare per legem, quæ ejus mandato in uno tantum aut altero loco e. g. urbe præcipua promulgetur: obligare item ſtatim a promulgatione, vel aliquanto ſerius. Eo ipſo enim, quod promulgatio (ut hic ſupponitur) attentis circumſtantiis ita peracta ſit, ut lex promulgata in omnium ſubditorum notitiam humano modo pervenire poſſit, nihil amplius eſt, quod ad legem ſecundum ſe complendam, ac obligationem virtute ejus inducendam requiratur; quodque hinc ſequitur, obligatio ſic inducta nequit eſſe ſubditis injuria, nec publico noxia, ſaltem *regulariter*: unde, ſi quando hinc commune bonum periclitari contingeret, haud negaverim eo caſu Legislatori de promulgationis & obligationis modo ita decernendum eſſe, ut impendenti periculo occurratur.

Libet

Digitized by Google

Libet ratiocinium nunc inſtitutum firmare ipſa Legislatorum 196
praxi: quæ cum non una ſit, ſed varia, ſatis prodit, nulla lege reſtringi Legislatoris humani poteſtatem in iis, quæ arbitrio illius ſubjecta eſſe iſthic aſſerimus. Hanc porro varietatem praxeos vel ſequentia docent exempla.

Quoad leges Eccleſiaſticas quidem hæc pauca e multis retuliſſe ſuffecerit. Zepherini Papæ conſtitutio de lapſorum a peracta pœnitentia ad communionem admiſſione (teſte Tertull. L. de Pudic. c. 1.) primum in Urbe Eccleſiæ valvis affixa eſt, tum in Provinciarum etiam Eccleſiis promulgata. Syricius ſuam de Diaconorum continentia Decretalem voluit publicari in Hiſpaniæ & Galliarum Provinciis, ut conſtat ex ejus Ep. ad Himerium. Conciliorum complurium (ut Nicæni, Chalcedonenſis, Lateranenſis &c.) canones per orbem totum transmiſſos, res nota eſt; ipſum certe Tridentinum Seſſ. 24. de Reform. Matrim. cap. 1. ſtatuit, neminem obſtringi lege Matrimonia clandeſtina irritante, niſi prius in Parochiis promulgetur. Contra, multas Pontificum conſtitutiones eſt legere, quibus declaratur, ab omnibus obſervandas eſſe, ut primum affixæ fuerint Romæ ad valvas Baſilicæ Apoſt. vel in campo Floræ, idque perinde, ac ſi forent ſingulis exhibitæ: talis eſt de Clericis male promotis Conſtitutio an. 1461. a Pio II. & an. 1588. a Sixto V. edita, item 1601. a Clemente VIII. contra eos, qui nondum ad Presbyteratus ordinem promoti miſſas celebrant, pluresque aliæ. Præterea, in curia Romana omnium nationum cauſæ decernuntur ſecundum Decreta ibidem palam affixa, quin ulla habeatur ratio, an eadem ſpeciatim per Provincias fuerint ſolemniter promulgata. Atque hæc de promulgationis loco; eadem autem varietas obſervatur quoad obligationis tempus. Trident. cit. cap. non niſi poſt triginta dies a

promulgatione exactos Decreto ſuo vult obligari fideles; at Sixtus V. in paulo ante laud. Conſtit. Romæ quidem dies quindecim a promulgatione præſcribit, citra alpes menſes quatuor, novem vero ultra alpes.

De legibus Civilibus minus eſt dubium. Equidem Juſtinianus *Novell. 66.* ſanxit, ut ſuæ leges in Imperii Provinciis vim prius non habeant, quam in earum Metropolibus fuerint propoſitæ, nec niſi duobus a promulgatione menſibus. At enim ſanctionem hanc volunt aliqui pertinere tantum ad leges de Teſtamentis, cum de his in cit. *Novel.* agat Imperator; alii eam ad quaſvis leges Imperiales extendunt propter præfixam *Rubricam*, quæ generatim commemorat Conſtitutiones novas. Ut ut ſit, hæc certe ante Juſtinianum obſervata non ſunt; ubi autem illi liberum erat ita ſtatuere, liberum quoque eſt ſucceſſoribus aliud ſtatutum condere: eadem quippe, quæ illi fuit, his quoque ſumma legislativa poteſtas eſt tribuenda. Demum, hæc Juſtiniani conſtitutio penitus non ſtringit Principes, qui Imperio ſubjecti non ſunt: unaque conſtat, cæteras Provincias ac Regna circa legis promulgandæ & obligationis ex ea inducendæ modum diverſis agi inſtitutis.

Reſpondetur ad Objecta.

197 OBjic. I. Non raro evenit, ut ante ſolemnem promulgationem communiter omnibus certo innoteſcat lex a Principe lata; cur autem eo caſu non continuo obliget? præſertim cum promulgatio unice ordinetur ad aquirendam legis notitiam, & juxta Cap. 31. de R. I. in 6. *eum, qui certus eſt, certiorari ulterius non oporteat.*

II. Ejusdem ſententiæ fuit Innocentius III. quin eam in praxi

Digitized by Google

praxi obſervari voluit, ut colligitur ex Reſcripto ad Decanum & Capitulum Senonen. relato Cap. 1. *de Poſtul. Prælat.* ubi ſub medium, *id ſolum*, inquit, *ſufficit*, *ut ad ejus* (conſtitutionis) *obſervantiam teneatur*, *qui noverit eam ſolemniter editam*, *aut publice promulgatam &c.* quo igitur lex ſaltem Eccleſiaſtica obliget, ſatis eſt haberi notitiam legis editæ, quin præterea requiratur ejus promulgatio.

Reſp. ad I. poſſe omnino jam antea haberi legis notitiam certam: at non juridice legitimam, per quam lex compleatur, & ad quam ex præſcripto juris, ipſiusque proinde Legislatoris mente ordinatur promulgatio. Atque hanc nominatim certitudinem ſupponit cit. Cap. ut adeo ſenſus illius ſit: *eum*, *qui* notitia legitima *certus eſt*, *certiorari ulterius non oportere.*

Reſp. ad II. hoc Cap. Pontificem id unum contendere: quod conſtitutio Eccl. obliget, tametſi ea ſingulis ſpeciatim non intimetur, ut certum ſit ex ſubjecta materia. Scilicet Epiſcopus Altiſſiod. interdicti ſententiam non obſervabat propterea, quod ipſi nominatim per literas vel peculiare mandatum annuntiata non fuerit; at enim iſtud ad excuſationem non proficere ait Pontifex, *cum Cardinalis* Leg. *ſententiam interdicti præſentibus multis ſolenniter ac publice promulgavit*, - - *nec ſit neceſſarium*, *cum conſtitutio ſolenniter editur*, *aut publice promulgatur*, *ipſius notitiam ſingulorum auribus per ſpeciale mandatum vel literas inculcare.* Unde (quod obſervat Barboſa) dum in nunc cit. verbis, ac etiam in Object. relatis Pontifex utitur particula disjunctiva, *aut publice promulgatam*, eam non disjunctive; ſed *expoſitive* ſumit pro *ſeu*; ut adeo ſenſus verborum ſit: obligare legem *ſolemniter editam*, ſeu, quod idem eſt, *publice promulgatam.* Neque hæc arbitrarie dici, ſatis prodit tum contextus Capituli & Pontificis propoſitum; tum adjecta vox *ſo-*

lenniter ; quid enim eſt legem ſolenniter edi, niſi privatim antea conditam jam nunc palam & coram populo ferri, hoc eſt, obſervata ritus ſolennitate promulgari ?

198 Altera ſaltem Aſſertionis pars (inquiet aliquis) ſuſtineri nequit : ſi enim ex Legislatoris arbitrio pendeat legis promulgatio quoad locum & obligationis initium, nulla erit regula, ex qua ſtatui poſſit : quandonam obligent illæ Eccleſiaſticæ vel Civiles conſtitutiones, in quibus Legislator non definit, an in pluribus locis promulgatio fieri debeat ; nec deſignat tempus, a quo obligationis initium ſit ducendum. Quod ſi autem iſtud relinquatur incertum, quanta in Rempublicam invehetur perturbatio !

Reſp. Metus hos pene vanos dixerim, quando ſatis docemur experientia, Decreta non ita improvide a Legislatoribus concipi, ut (attentis præſertim circumſtantiis) in ambiguo relinquatur obligationis modus, quo ſubditos ſtringi volunt. Sed demus in Lege recens lata nihil expreſſis verbis conſtitui, quibus nominatim locis fuerit promulganda, quove tempore obligatio incipiat ; neque tum quidem metuenda eſt ulla perturbatio. Quidquid nimirum eo caſu occurrit controverſiæ, facile tollitur, ſi ii, quibus legum executio incumbit, conſulant peculiaria Provinciæ privilegia, vel receptam conſuetudinem, tacito ſaltem Principis conſenſu jam alias in ſimili firmatam : aut interpretationis utantur ſubſidio : aut denique Legislatorem ipſum interpellent. Quod ſi duo prima dubitationem non ſatis expediant, poſtremum autem locorum intervalla vel quidvis aliud non admittat, tum principii generalis inſtar tuto licebit ſequi has regulas.

Prima eſto de legibus Civilibus. Cum ſecundum communiorem

Digitized by Google

rem ſententiam Juſtinianus in ſupra laud. *Novella*, eandem præfixa *Rubrica* interpretante, generatim conſtituerit: ut leges novæ non niſi poſt menſes duos valeant ab earum promulgatione in Provinciarum Metropolibus facta; tuto cenſeri poteſt: Conſtitutionem Imperialem quamlibet, in qua oppoſitum non exprimitur, non prius obligare in Imperii Provinciis. Idem eſto judicium (ſi cætera deſint ſubſidia) de Regnis, aliiſque Imperio non ſubjectis Provinciis: in his ipſis enim ex recepta tribunalium praxi novimus defectum Juris proprii per leges Imperiales ſuppleri.

Altera ſit de legibus Eccleſiaſticis. Quoad has exiſtimo, quemlibet tuto amplecti poſſe alterutram e duabus mox exponendis ſententiam: utraque quippe a Doctoribus multis traditur, gravibusque ſimul nititur momentis; proinde utraque eſt *ſolide* (ut dicimus) probabilis.

Earum prima docet; ad hoc, ut lex Eccleſiaſtica pro tota Eccleſia a Pontifice lata ubique obliget, ſufficere eam fuiſſe Romæ ſolemniter promulgatam. Ita cum Sylveſtro, Armilla, Gomer, pluribusque aliis Suarez L. 4. de Leg. Can. C. 15. ubi ait ſententiam hanc eſſe communius receptam. Ratio eſt 1*mo*: quia iſtud ſæpe eſt in uſu Pontificibus, idemque obſervatur a Curia & Cancellaria Romana; unde colligitur, quoad hoc a Jure Canonico non eſſe receptam diſpoſitionem Juris Civilis in cit. *Novella* fundatam. 2*do*, quia hæc promulgatio, ſpectata Romanæ Urbis circumſtantia, videtur eſſe ad id ſufficiens, ut ſubinde Chriſtiani omnes in legis promulgatæ notitiam deveniant: cum Roma ſit orbis Chriſtiani Metropolis, ac in ea omnium fere gentium homines commorentur.

Huic oppoſita opinio altera eſt: leges Pontificias non obligare

in iis Diæceſibus, in quibus peculiariter promulgatæ non ſunt; niſi forte expreſſa clauſula lex contrarium conſtituat, aut ultro receptus legis uſus ſuppleverit promulgationis defectum. Ita Panormitanus, Leſſius, Molina, Natalis Alex. Juenin, & cum multis aliis Pichler ad Tit. 2. de Conſtit. §. 1. His ratio eſt *1mo*: quia C. 1. *de Novi Oper. Nuntiat.* generatim dicitur, Jus Canonicum diſpoſitionem Juris Civilis ſequi in eo caſu, pro quo ipſum nihil peculiariter conſtituit; hanc autem eſſe Juris Civilis diſpoſitionem ex ſæpe laud. *Novella* conſtat: cum ex adverſo de hac re nihil peculiariter ſtatutum in Jure Canonico reperiamus. *2do*, quia eadem videtur pugnare ratio pro lege Eccleſiaſtica perinde ac Civili: ne videlicet alii citius, ſerius alii obligentur, atque ita vitetur confuſio, ſitque & ſuavius & ordinatius Eccleſiæ regimen. Ob hanc certe cauſam vel prioris ſententiæ Patroni facile admittunt, in ſingulis Diæceſibus promulgari debere eas nominatim leges, quibus Matrimonia vel alii contractus irritantur, reſervantur caſus, privilegia vel indulgentiæ revocantur &c.

Atque hæc de legibus Pontificiis dicta æque intelligenda ſunt de Concilii Oecumenici legibus; cum enim a Pontifice approbari debeant, eadem cum illis eſt habenda eorum ratio. Quin idem cum proportione exiſtimandum cenſeo de legibus quoque Epiſcoporum, Archi-Epiſcoporum, Patriarcharum, & Concilii cujuslibet particularis, ſeu demum Nationale, ſeu Provinciale, aut Diæceſanum fuerit.

De Legis hum. acceptatione.

CONtroverſia, quæ de legis acceptatione agitari ſolet, eo recidit: an lex humana, eaque Eccleſiaſtica perinde ac Civilis, non prius obliget, quam a ſubdita communitate acceptetur,

ptetur, vimque proinde obligandi & valorem a populi in legem ultro conſentientis acceptatione aquirat? Quam in rem

Certum eſt I. de ſola lege juſta controverti poſſe; nam ſi 199
quacumque demum parte ab æquitate deficiat, uti veræ legis prærogativa, ſic & obligandi virtute deſtituitur indubie. Imo nec quælibet lex juſta ſubit controverſiam: ad valorem quippe illius, quæ in regimine Democratico fertur, conſenſum populi eſſe neceſſarium, nemo ambigit; eæ igitur tantum in quæſtionem vocantur leges, quas in Monarchia condit ſolus Princeps, in Ariſtocratia ſenatus Procerum, in mixta Monarchia cum Principe ſimul Procerum aut aliorum ordinum ſtatus. Demum, etiam id genus leges aliquæ extra controverſiam ſunt poſitæ: quod ſi enim Legislator ipſe conſentiat, ne lex promulgata robur ſuum prius obtineat, quam a tota vel potiore communitatis parte recipiatur, rurſum dubitari nequit, citra acceptationem non obligari ſubditos; quæ quidem Legislatoris mens colligenda erit ex legis contextu, vel peculiari privilegio jam alias Provinciæ conceſſo, aut etiam conſuetudine tacito ſaltem Principis conſenſu firmata. Reliquum itaque eſt, ut tota præſens controverſia ad eas duntaxat referatur leges, quæ extra Democratiam, ſecluſa hac Legislatoris benevola & liberali ceſſione, in commune bonum ſint latæ, ac ritu etiam legitimo communitati promulgatæ. Jam vero de his ipſis

Certum eſt II. communiter receptam eſſe eam ſententiam, 200
qua docetur, nec ad legem Civilem, nec ad Eccceſiaſticam requiri ſubditorum acceptationem. In id certe conſpirat tam utriusque Reipublicæ, ſacræ nimirum & profanæ, uſu ipſo communi roborata praxis: quam conſenſus maximam partem Theologorum & JCtorum recentiorum; antiquiores laudari reperies apud Suarez de Legib. L. 3. C. 19. & L. 4. C. 16. ubi

&

& ipſe ſuo accedit ſuffragio fiducia tanta, ut ſententiam hanc quoad leges quidem Civiles *ſimpliciter aſſerendam & pro regula habendam* cenſeat: quoad Pontificias autem dicat *videri tam certam, ut ſecundum fidem negari non poſſit.* Sunt nihilominus, qui quoad legem utramque tueantur oppoſitum: antiquiores locis paulo ante cit. nominat laud. Suarez; e modernis pauciores reperias, ſi demam Gallos quosdam Theologos. Illud mirum, horum aliquos cum Juenin Tom. 5. Inſtit Theol. docere: vim quidem legum Civilium non pendere a populi conſenſu, cum ex adverſo conſenſum hunc requirant ad legum Canonicarum robur ac efficaciam. Ipſe illuſtriſſ. Petrus de Marca Pariſien. Archi-Præſul in ſua *Sacerd. & Imper. Concordia* L. 2. C. 16. quamvis etiam Principum temporalium leges ſubditorum acceptationi ſubmittat, de his tamen non laborat magnopere; in eo duntaxat eſt totus, ut leges Pontificias antiquis præſertim Galliæ moribus contrarias, enerves ac infirmas reddat citra acceptationem. Huc nimirum viros cætera perſpicaciſſimos adduxit ſuum in tuendis libertatibus Gallicanis ſtudium, utinam non improvidum & præpoſterum! Qualecumque interim fuerit, nobis in præſenti eorum auctoritas tanta eſſe non debet, nec poteſt, ut deferendum illi exiſtimemus.

ASSERTIO.

Ad Legem hum. tam Civilem quam Eccleſiaſticam non requiritur conſenſus, ſeu acceptatio populi; obligantur proinde illa ſubditi etiam diſſentientes & repugnantes.

201 PRobatur I. generatim. Apoſtolus ad Rom. 13. ſubjectionem & obedientiam erga ſublimiores Poteſtates commendans, cauſam reddit: *non eſt enim Poteſtas niſi a Deo, - - qui reſiſtit Poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit*; tum concludit: *ideo neceſſitate ſubditi eſtote*; at profecto ſi citra populi acceptationem

ſua

ſua lege Princeps obligare nequeat, poteſtas ejus abſoluta & completa magis foret a populo, quam Deo; Poteſtati reſiſtens populus ſuæ magis, quam Dei & Poteſtatis ordinationi reſiſteret; non eſſet ſubditus neceſſitate, ſed libera voluntate, ergo &c. Deinde, ſi abſque acceptatione lex non obliget, ne præcepti quidem nomen licebit ei attribuere, merum erit conſilium: ipſa poteſtas legislativa non jam Principibus, verum ſubditis erit attribuenda; quando in opinionis hujus ſyſtemate tota Principis poteſtas & jurisdictio definietur hoc uno, quod conſtitutione ſua materiam quidem ſubminiſtret legi, ſola autem ſubditorum voluntate obligandi efficaciam lex conſequatur. Quis autem hæc non videat abſona? pugnant certe contra uſum ubivis receptum: novimus quippe a Principibus leges concipi verbis abſolute præceptivis, pœnas quin etiam dictari ad legis executionem cogentes.

Accedat demum momentum ex Propoſ. 28. ab Alexandro VII. damnata: *Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem a Principe promulgatam.* Nolim equidem contendere, oppoſitam quam impugnamus, ſententiam hoc fulmine feriri; nam ſpectatis præciſe verbis videtur omnino abſtrahi ab eo, num populus peccet, ſi cum aliqua cauſa legem non recipiat: abſtrahitur item, ut notat Viva, num peccet contra ipſam legem, an tantum contra Principis jus & auctoritatem. Iſthinc nihilominus contra Adverſarios recte arguitur in hunc modum: vi Propoſ. damnatæ populus peccat abſque ulla cauſa non recipiens legem; atqui nulla eſſe poteſt cauſa non recipiendi legem; univerſim igitur populus peccat non recipiens legem. Propoſ. major certa eſt, cum damnatæ opponatur; nec de Illat. eſt dubium, ſi Min. obtineat: hæc igitur ſola probationem requirit, quam ita conficio. Iſthic utique

agitur de lege, quæ ſecundum ſe ac etiam attentis circumſtantiis ſit juſta, rationabilis, & in commune bonum: ſecus enim non eſt lex vera, de qua fit quæſtio; at hujusmodi legem non recipiendi, ſeu *poſitive* rejiciendi nulla eſſe poteſt cauſa juſta & rationabilis; ſi enim ſit aliqua, eaque certa: eo ipſo jam lex deſtituitur aliqua conditione ad legem veram requiſita, ac tum ſub controverſiam non cadit; ſi cauſa ſit dubia: cum in dubio ſecundum jura præſumatur pro Legislatore, rurſum nequit *poſitive* rejici lex, ut quæ eſt in poſſeſſione; nulla igitur eſſe poteſt cauſa non recipiendi legem.

202 Probatur II. ſpeciatim tam de legibus Civilibus, quam Eccleſiaſticis; præterquam quod enim ea, quæ generatim præmiſſa ſunt, ſatis rem evincant quoad utramque hanc legum ſpeciem, peculiaria nihilominus etiam quædam momenta ſuppetunt. Et quidem

Pro legibus Civilibus illud facit: quod in *Novella* 66. ſancitum ſit, *ex illo Conſtitutiones - - valere*, *ex quo in commune facta ſunt manifeſta;* ubi ad valorem legis Imperialis non requiritur acceptatio, ſed ſola promulgatio. Neque ulla iſtud populi injuria: nam populus in ſtatu Monarchico (idem eſt ob rationem mox dandam de Ariſtocratia) poteſtatem legislativam abſolute tranſtulit in Principem, ut colligitur ex §. 6. Inſtit. de Jure N. G. & Civ. item l. 1. ff. de Conſt. Princip. Eſtque id aſſerendi ratio efficax: perfecti enim regiminis monarchici & ariſtocratici forma exigit, poſſe obligari ſubditos etiam reluctantes; ſecus admodum exigua, quin imo pene ludicra foret ſupremi Magiſtratus authoritas: non plus certe poſſet, quam vellet populus: nec tam regeret Princeps, quam ipſe a ſubditis regeretur &c.

Pro

Digitized by Google

Pro legibus Eccleſiaſticis, iiſque nominatim Pontificiis hæc eadem jure potiori pugnant: præſertim cum Romanus Pontifex non a fidelibus, ſed ab ipſo Chriſto poteſtatem accipiat, ut colligitur ex illis Chriſti ad Petrum, ac in eo ad illius ſucceſſores Matth. 16. verbis, *Quodcunque ligaveris ſuper terram* &c. rurſumque Joan. 21. *Paſce agnos meos, paſce oves meas:* quod ipſum declaravit Anacletus apud Gratianum Cap. *Sacroſancta*, diſt. 22. Eſt igitur Rom. Pontificum legislativa poteſtas, qua fideles ligent & regant, conceſſa divinitus, ſimulque abſolute, ut conſtat ex Chriſti verbis, in quibus nullum eſt reſtrictionis veſtigium; qui ergo fieri poſſit, ut ea nihilominus ab acceptatione fidelium libera dependeat, eorumque arbitrio reſtringatur? Idem eſto judicium de Epiſcopis: cum & horum auctoritas vel a Chriſto immediate, vel ſaltem mediate per ipſum Rom. Pontificem derivetur, citra ullam erga ſubditos fideles ſubjectionem.

Satisfit argumentis contrariis.

Arguitur generatim I. ad verba Auguſtini L. de vera Relig. 203
C. 31. Gratianus addit Cap. *In iſtis*, diſt. 4. *leges inſtituuntur cum promulgantur: firmantur, cum moribus utentium approbantur;* univerſim ergo legum efficacia habetur ab uſu & acceptatione.

II. Per conſuetudinem legi contrariam efficitur, ut lex obligare deſinat; cum igitur non acceptatio legis ſit quædam quaſi conſuetudo, in actibus legi recens latæ contrariis conſiſtens, hæc quoque impedire poteſt, ne lex obligare incipiat. Ac omnino

III. Niſi iſtud ita habeat, ſequitur, legem obligare etiam repugnante tota ſubditorum communitate; qui autem iſtud? quando hoc caſu lex non amplius in commune bonum, ſed pu-

blicam potius perturbationem deſervit, ac vel ideo veram legis rationem amittit.

Reſp. ad I. cit. ex Gratiano verba intorqueri poſſe in adverſæ opinionis Patronos: cum enim leges *inſtitui*, idem ſit ac *conſtitui*, eo ipſo quod inſtituantur, dum promulgantur, ad legem conſtituendam ſufficit ſola promulgatio. Cæterum hic non aliud vult Gratianus: quam quod lex, quæ jam antea fuit vera & obligans, per acceptationem & obſervationem populi reddatur firma ac ſtabilis, nec ſit obnoxia periculo abrogationis per contrariam conſuetudinem. Id vero ſatis declarant verba, *firmantur moribus utentium;* tum etiam adjectum ibid. exemplum legis, qua Teleſphorus P. decreverat Clericis jam a Quinquageſima abſtinendum eſſe a carnibus: quæ tamen, quia contraria conſuetudine, Pontifice eidem tacite connivente, obliterata fuit, *aliter agentes* (ut ſubdit Gratian.) *tranſgreſſionis reos non arguit.*

Reſp. ad II. Sola contraria conſuetudo legitima, hoc eſt, cum aliquo Legislatoris conſenſu introducta, habet efficaciam abrogandi legem; hinc, cum primis actibus legi recens latæ contrariis, atque in his conſiſtenti non acceptationi non patrocinetur Legislatoris conſenſus, clarum eſt, haud recte conferri conſuetudinem cum non acceptatione, nec ad hanc ab illa poſſe argui: non patrocinari autem conſtat tum inde, quod Princeps poſitiva voluntate per legem expreſſa reſiſtat, tum quod regulariter pœnis etiam intentatis ſubditos ad obſervantiam cogere ſoleat.

Reſp. ad III. C. aſſertum: neque enim propterea lex *ſecundum ſe* deſinit eſſe juſta & in commune bonum; certe ad eam *per accidens* ſe habet ſecuta perturbatio, ut pote cujus cauſa

non

Digitized by Google

non eſt legis defectus, ſed ſubditorum inique repugnantium culpa. Non diffiteor interim providi eſſe Principis moderari (quoad licet) legum onera, quandoque etiam cedere, nec ſemper adverſus torrentem niti.

Arguitur item ſpeciatim quoad leges Civiles I. De his nimirum l. *de quibus*, ff. de Leg. dicitur: *cum ipſæ leges nulla alia ex cauſa nos teneant, quam quod judicio populi receptæ ſunt &c.* nulla igitur eſt legibus Civilibus efficacia, niſi a populo recipiantur. Et vero 204

II. Cum per leges hujusmodi ſuavius regatur populus, prorſus congrue dixeris, poteſtatem legislativam in Magiſtratus Civiles non eſſe translatam abſolute: verum ſub conditione duntaxat, ſi populus videlicet in legem conſentiat. Id quod

III. Vel ideo concedendum videtur: quia, ſi hæc in Magiſtratu Civili poteſtas ſit abſoluta, nunquam poterunt ſubditi excuſari a peccato, niſi continuo & citra moram ullam obſervent legem, ut primum eſt promulgata; id quod tamen nemo univerſim aſſeruerit.

Reſp. ad I. de cit. legis ſenſu variare Theologorum & JCtorum opiniones. Sunt, qui cum Cl. Berti exiſtiment, iſthic agi ſolum de iis legibus, quas, abolita jam Monarchia, populus Romanus ipſe condidit; vel cum emin. Gotti de illis, quæ feruntur per Legislatorem, ex pacto peculiari a conſenſu populi dependentem. Mihi videtur hujus legis ſenſum eum ipſum eſſe, quo Gratiani verba ſuper. N. in Reſp. ad I. expoſuimus; idque haud obſcure colligitur ex contextu, præſertim cum ibid. ex adverſo addatur: *rectiſſime etiam illud receptum eſt, ut leges non ſolum ſuffragio Legislatoris, ſed etiam tacito conſenſu omnium per deſuetudinem abrogentur.* Vi conſtitutionis itaque hu-

hujus leges antea jam latæ ea cauſa ſtabiliter tenent, quod per conſuetudinem contrariam non ſint abrogatæ: ſed potius per obſervationem ipſo populi uſu firmum robur acceperint.

Reſp. ad II. hanc quidem regiminis rationem eſſe ſuaviorem; at altera multo eſt & efficacior, & communi bono utilior: quando præſertim experimur, magnam ſubditorum partem vel utiliſſimarum legum onus averſari. Deinde: poteſtatem legislativam in Principes ſeculares abſolute translatam graviſſima comprobant momenta, quæ ſupra retulimus; ea vero, quæ contra facere videntur, aut nulla ſunt, aut infirma admodum.

Reſp. ad III. ſi de eo ſit quæſtio, quod fit *per ſe* ac *regulariter*, delinquunt omnino ſubditi non ſtatim obſervantes legem promulgatam; *per accidens* nihilominus aliquando excuſantur, e. g. ſi ipſe Princeps ultro concedat moram experiendæ legis: ſi major communitatis pars eam non obſervet ſciente & diſſimulante Legislatore: ſi in legis dubio aut gravi difficultate ſubditi interpellent Principem de tollenda aut mitiganda lege. Quamvis autem hoc poſtremum controvertant Doctores: probabile nihilominus eſt, dum Princeps interpellatus mentem ſuam declaret, interea ex benigna interpretatione ſuſpendi legis obligationem: cui opinioni patrocinatur ſatis recepta praxis, fere enim non ſubjiciuntur pœnæ, qui interea legem non obſervant.

205 Arguitur denique quoad leges Eccleſiaſticas, I. quidem ab auctoritate multorum Doctorum, præſertim Gallorum, ad valorem legum Pontificiarum acceptionem requirentium. Nimirum

II. Civiles inter & Eccleſiaſticas leges (ut vult illuſtr. Marca loco ſupra cit.) magnum intercedit diſcrimen; hinc Chri-

ſtus

ſtus ipſe Luc. 22. ad Apoſtolos : *Reges gentium dominantur eorum, -- vos autem non ſic.* Ac profecto

III. Niſi leges Pontificiæ pendeant a conſenſu populi, quid pronius? quam ut gravibus incommodis onerentur particulares Eccleſiæ: cum Pontifex ſcire nequeat, quid ſingularum Provinciarum fidelibus pro tanta locorum & circumſtantiarum diverſitate magis expediat.

Reſp. ad I. ſententiam, quam tuemur, non tantum rationum momentis, ſed & plurium Doctorum auctoritate alteri prævalere, ut videre eſt apud laud. Suarezium, ac etiam Cl. Fagnanum 2. p. Decr. Cap. *Treugaſ.* E Gallis etiam multi nobiſcum ſentiunt, ut ſunt: Mauclerus, Anton. Charlas, Simonnet, Ludov. Habert &c. Nec deſunt e viris doctiſſimis, qui oppoſitæ ſententiæ notam inurant cenſoriam: Fagnanus cum quibusdam aliis dicit *fidei contrariam*, Charlas L. 2. de libert. Eccl. Gallic. C. 4. & 5. *pravitatem hæreticam redolentem* &c. Ego a cenſura abſtineo, contentus DD. Gallis objeciſſe Sacræ Facult. Pariſienſis judicium, quo An. 1521. damnavit hanc, *tanquam in fide & moribus erroneam*, Lutheri propoſitionem: *Neque Papa, neque Epiſcopus, neque ullus hominum habet jus unius ſyllabæ ſuper Chriſtianum hominem, niſi id fiat ejusdem conſenſu.*

Reſp. ad II. Mirum ſane! aliquos legibus Civilibus ultro tribuere obligandi efficaciam abſque populi conſenſu: alios cum ill. Marca de hoc non multum laborare; ex adverſo prærogativam hanc legibus Eccleſiaſticis aperte abjudicare. Unde hoc monſtrum? jure cum Cl. Berti exclames; unde inquam, ut minus poſſit ea auctoritas, quæ omnium in terris eſt ſuprema? Nec aliud reponi audias, quam quod leges inter Civiles & Eccleſiaſticas magnum intercedat diſcrimen: cum Eccleſiæ po-

poteſtas ſit data *in ædificationem, non deſtructionem.* Bene habet. At enim Civilis etiam poteſtas eſt in ædificationem, non deſtructionem; inde Juriſperitorum conſenſu nulla vel civilis conſtitutio nomen legis obtinet, niſi in bonum commune deſerviat. Iſtud nihilominus officere non poteſt, quo minus citra acceptationem populi ſuum legi Civili ſit robur: cur igitur legi Eccleſiaſticæ, præſertim Pontificiæ officiat? quaſi vero minus falli poſſit profanus, quam ſacer, idemque ſupremus Eccleſiæ Magiſtratus, cui peculiare ad regendos fideles præſidium æternæ veritatis oraculo novimus appromiſſum. Sed & cit. verba Chriſti perperam oggeruntur: ut enim ex ſeq. Verſibus & ſenſu Patrum apud D. Thom. in *Catena aurea* colligitur, docebantur iſthic a Chriſto Apoſtoli ſublimiorem in cœlo dignitatem rependi humilitati, non auctoritati; proinde Apoſtolos exaltari debere ſui abjectione, ſicut Reges gentium exaltantur poteſtate & dominatu. Hæc vero, ut nemo non videt, ad rem præſentem non faciunt.

Reſp. ad III. fruſtra hæc incommoda metui: præterquam quod enim Pontifex peculiari in regendis fidelibus divino præſidio communiatur, humana etiam in ſubſidium vocat media; certe non decernit prius, quam (ut omittam alia) conſulat diſciplinam Eccleſiaſticam, ſtatuta Canonum, Viroſque jurium peritiſſimos & Provinciarum notitia probe inſtructos. Sed demus aliquando ferri legem, de qua (attentis Provinciæ alicujus circumſtantiis, a Papa forte ignoratis) prudens enaſcatur dubium, num ceſſura ſit in utilitatem particularis cujusdam Eccleſiæ: imo videatur etiam damno, aut gravi ſaltem oneri futura. Neque iſtud patrocinatur adverſariis: hoc enim caſu non diffiteor ſuſpendi poſſe tantiſper legis executionem, dum de re tota edoceatur Pontifex, ut cum multis contendit Suarez L. 3. de Leg. Can. C. 16. ubi hanc procedendi rationem probat nul-

Digitized by Google

nullo prohiberi jure, huic imo conformem eſſe, eandemque Eccleſiarum praxi & Pontificum ſuffragio confirmatam. Quod ſi jam vero, cauſa integre cognita, legis executionem nihilominus urgeat Pontifex, ſtandum erit ejus arbitrio: in dubio enim, quale hic foret, Legislator eſt in poſſeſſione juris ac legislativæ poteſtatis. Contra, ſi ultro cedat, & vel tacite in abrogationem conſtitutionis conſentiat, eidem e. g. non inſiſtat porro: tum licebit eam pro abrogata & nulla reputare. En! ut Eccleſiarum incommodis occurri poſſit, quin neceſſum ſit legislativam Pontificis poteſtatem, ejusque decreta fidelium acceptationi ſubjicere. Sed enim

Inſtant aliqui cum illuſtr. Marca I. Tum ſaltem lex Ponti- 206
ficia ſine fidelium conſenſu non obligat, dum antiquis Provinciæ vel particularis Eccleſiæ moribus & diuturnæ conſuetudini adverſatur. Habet nimirum conſuetudo vim legis; hinc & Synodi Nicænæ Can. 6. edictum eſt, *antiqui mores obtineant:* quod ipſum poſtea Epheſini PP. Can. 7. confirmarunt, exemploque ſuo tuiti ſunt Pontifices, præſertim Victor I. Gregorius M. Alexander III. aliique apud Marca L. 3. Concordiæ Cap. 9.

II. Nec leve momentum huic opinioni accedit ex notiſſimo Gallorum in ſuis libertatibus tuendis ſtudio. Hoc certe effectum, ut pro antiquis moribus jam a pluribus Seculis Gallia acriter depugnaret: ac, ne qua forte eorum fieret converſio, novos Pontificum & Conciliorum canones ſacri perinde ac profani tribunalis judicio prius recognoſceret; rejiceret etiam complura decreta canonica; quasdam e jure Eccleſiaſtico expungeret Decretales; quin ipſas Synodi Tridentinæ ſanctiones quoad ea, quæ Gallorum moribus & diſciplinæ ſunt contraria,

omnino non reciperet. Quis autem propterea Gallicanam Eccleſiam cenſura perſtringere audeat?

Reſp. ad I. N. aſſertum; cujus probationi ut occurras, hæc habe. Eſt ſua (non diffiteor) moribus diuturniore uſu receptis efficacia: conſuetudo vim habet legis. At lex ipſa numquid lege contraria abrogari poteſt? nemo iſtud negat in regimine Civili: idem in Eccleſia (vel Auguſtino teſte) factum novimus, cum priora Concilia per poſteriora corrigerentur in iis, quæ erant diſciplinæ; cur id jam vero etiamnum poſſe fieri in dubium revocetur? Si iſtud: eadem igitur eſt conſuetudinis etiam cujuslibet conditio. Non ſunt equidem neglectui habendæ veteres Eccleſiarum conſuetudines; quin, ut ſecundum Conciliorum decreta firmæ perſiſtant, curandum eſt: nam (ut obſervat Auguſtinus) nihil pronius, quam *ut ipſa mutatio conſuetudinis, etiam quæ utilitate adjuvat, novitate perturbet.* Numquid autem propterea plus deferendum conſuetudini, quam ſummæ in terris legislativæ poteſtati? Caute utique conſtituendum aliquid contra morem, non dico univerſæ tantum, ſed & particularis Eccleſiæ; at enim haud raro evenit, ut recta Eccleſiarum gubernatio veteres mores aboleri requirat: quid vero tum? inſiſtendumne denique erit veterum veſtigiis? nihil adverſum illa poterit ſummi in Eccleſia Legislatoris auctoritas? abſit. Poteſt conſuetudo tolli contraria conſuetudine; poteſt lex abrogari nova lege contraria; & ſumma tamen poteſtas legislativa particularis Provinciæ conſuetudine coarctetur? Sane coarctationis hujus veſtigium apparet nullum in Chriſti verbis, quibus Petro ac ejus in Pontificatu ſucceſſoribus quidvis in terris ligandi poteſtatem contulit.

Quod ſi demum Pontificum exemplis cauſam agi velint Adverſarii, neque hoc tribunal detrecto. Fateor, veteris moris

ris retinentiſſimos ſe profeſſi ſunt apud Marca laudati Pontifices: nec tamen adeo pertinaci propoſito, ut non ipſi aliquando Provinciarum conſuetudines immutarent. Certe Victor I. vetuſtum Aſiæ morem Luna 14. celebrandi Paſchatis, anathemate etiam intentato, abolere ſtuduit. Gregorius M. uſum, quo Subdiaconis in Sicilia matrimonio jungi licebat, compreſſit. Alexander III. contra morem in particularibus Eccleſiis communiter receptum ſanxit, ne ſacer honor deinceps haberetur ulli, niſi per Sedem Apoſtolicam in Sanctorum numerum relato. Sed de Alexandro libet referre id ipſum, quod illuſtr. Marca in rem ſuam laudans, *in Matrimonii nullitate*, inquit, *Eccleſiæ Gallicanæ conſuetudinem, licet Romanæ contrariam, tolerandam reſcripſit.* Ita plane; at quibus verbis? *licet Romana* (reſcriptum Alexandri eſt) *Eccleſia legitime conjunctos propter maleficia dividere non conſueverit, ſi tamen conſuetudo Eccleſiæ Gallicanæ habet, ut hujusmodi Matrimonium diſſolvatur, nos patienter tolerabimus.* Quorſum vero hæc? ut videas contrariam quidem Galliæ conſuetudinem non reſcidiſſe Pontificem: at nec prona voluntate comprobaſſe; *patienter* illam duntaxat *toleravit.* Quis autem neſciat? infirmum eſſe cauſæ patrocinium, quod a patientia & tolerantia petitur. Prætereo alia; quando vel hæc ſatis produnt, in Pontificum exemplis adeo nihil habere Adverſarios præſidii, ut certo potius illa ſint argumento, legislativam Pontificis poteſtatem non arbitrio fidelium, nec conſuetudine ulla reſtringi poſſe.

Reſp. ad II. Propoſiti mei non eſt libertates has in examen vocare; minus velim contra Gallicanam Eccleſiam, cujus inſignia fateor eſſe merita, aliquid decernere. Solum quæro: unde tandem Gallicanæ libertates (quæcumque demum ſint illæ) ſuum robur obtineant? ipſe profecto illuſtr. Marca, acerrimus earum vindex, poſtquam multis pro opinione ſua diſpu-

 tavit,

tavit, demum L. 2. C. 17. eo provocat : quod Pontifices Gallorum morem tolerent , quod Eccleſiæ *Concordata* admittant ; *huic*, inquit, *ſententiæ Gallorum Leo X. ultro ſe accommodavit, & Concordata ipſa poſt publicationem & acceptationem tantum vim ſuam habitura conſenſit , ſpecialiter Regiæ acceptionis mentione habita.* Quidquid igitur in Eccleſia Gallicana eſt libertatis, non aliunde vim legitimam habet, quam a Pontificum partim tacito , partim expreſſo conſenſu, peculiaribusque privilegiis, ſeu demum ultro, ſeu neceſſitate quadam ac prudenti diſpenſatione Galliæ conceſſis. Sed nec aliæ Provinciæ , quæ juris aliquid ſibi in Bullas & edicta Pontificum vendicant , iſtud alio quam ad liberale Sedis Apoſtolicæ beneficium ultro gratæ referunt. At enim hoc dici nequit jus commune ; neque hinc legitima conſecutione inferas : legislativam Pontificis auctoritatem ex ſe ita reſtrictam eſſe, ut ejus lex , moribus antiquis contraria, non prius vim obligandi obtineat , quam ultro acceptetur. Unde , quod præter hæc cum ſuis contendit Marca, dum præſertim mira arguendi ratione libertates Gallicanas his ipſis libertatibus propugnat, id equidem momentum habere non poteſt. Limites certe in commentando egreſſus eſt ; dumque *Sacerdotii & Imperii Concordiam* ſtabilire voluit , ſummam Sacerdotii auctoritatem pene convulſit : ſuumque, cætera eruditiſſimum, de *Concordia* Commentarium nævis compluribus corrupit , ſeveriore propterea Romanorum Cenſorum animadverſione caſtigatus.

§. III.

An Leges Humanæ obligare poſſint, aut etiam obligent in conſcientia?

Status controverſiæ & Opiniones.

207 I. HActenus actum de eo, ut pateret , quæ lex humana & quando obliget. Nunc, quia obligationis ratio videtur

tur poſſe accipi varie, ſpeciatim definiendum eſt: num legis ab homine latæ ea ſit efficacia, ut non tantum pro foro externo, ſed interno etiam, ſeu in conſcientia poſſit obligare, ac re ipſa obliget? proinde ita, ut coram Deo incurratur culpa propter transgreſſionem legis humanæ, *ut talis*, ſeu ut humana eſt. Nec dubitari poteſt, controverſiam hanc pertinere ad leges Eccleſiaſticas perinde ac Civiles: haſque rurſum non tantum præcipientes vel prohibentes, ſed etiam eas, quæ permiſſivæ, irritantes, aut mere pœnales dicuntur.

II. Qua in re ſi Waldenſes, Wicleffum, Huſſium, Calvinum, Lutherum, horumque ſectatores conſulas: tametſi eorum aliqui mitius ſentientes fateantur, legibus humanis parendum eſſe ratione ſcandali aut contemptus, cum utrumque Deus vitari velit; conſpirant tamen in eo, quod nullus hominum lege ſua obligare poſſit in conſcientia, ut quæ Deo ſoli (ut volunt illi) ſubdita, ab hoc uno ſtringi & ligari poteſt. 208

Huic opinioni e DD. orthodoxis (præter paucos alios apud Suarez L. 3. de Leg. C. 21.) accedere videntur Joannes Gerſon, & Almainus. Primus in Tract. de Vita Spirituali Lect. 4. Alphab. 62. docet: ſolius Dei præcepta obligare poſſe ſub reatu damnationis; dein Corol. 5. & ſequ. infert: actu legi humanæ contrario non peccari propter transgreſſionem legis humanæ, ſed divinæ duntaxat, quæ per illam proponitur ac declaratur. Alter de Poteſt. Eccl. Qu. 1. C. 12. diſſentit quidem quoad leges Eccleſiaſticas: Civilibus tamen abjudicat vim obligandi in conſcientia. Neutrum interim puta integre ſentire cum ſectariis. Almainus certe vel ideo ab iis diſcrepat, quod legibus ſaltem Eccleſiaſticis hanc efficaciam attribuat; Gerſon autem propterea, quod fateatur Eccleſiæ Præpoſitos legitimam habere poteſtatem determinandi modum ac tempus, quo lex divina obliget. Verum

rum, ut ut ſit de hac differentia, aſſentiri tamen non poſſumus laud. Doctoribus; hinc adverſum illos perinde ac memoratos ſectarios cum communi Theologorum ſententia ſit

ASSERTIO I.

Legislator humanus quilibet ſuis legibus poteſt ſubditos obligare in conſcientia.

209 Doctrina hæc, etiam quoad leges Civiles, Suarezio paulo ante cit. C. 21. videtur eſſe vel de fide, vel proxima fidei: quia (ut ille ait) fere aperte colligitur ex Ep. ad Rom. 13. Apoſtoli verba iſthuc præcipue facientia ſunt. *Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit; non eſt enim poteſtas, niſi a Deo. - - Qui reſiſtit Poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit; qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. - - Subditi eſtote non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. - - Miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes.* Ex his quidni ita arguas: Princeps quilibet eſt Miniſter & vicarius Dei, omnem ſuam poteſtatem a Deo habens, huicque *ut tali* ex Dei ordinatione parendum eſt in conſcientia; atqui tum paretur *ut tali*, dum leges ut ab eo latæ obſervantur; ergo ex Dei ordinatione parendum eſt in conſcientia ejus legibus, ut ab eo latis: ſed ita parendum non eſſet, niſi Princeps ex Dei ordinatione haberet poteſtatem per ſuas leges obligandi in conſcientia; habet igitur hanc poteſtatem.

Ac re vera ad rectum communitatis regimen plane neceſſaria videtur hæc poteſtas: tum quod homines (ut recte arguit Suarez) in actionibus ſuis proxime dirigantur per conſcientiam; tum quia ſecus plurimi leges humanas parvi penderent, eaſque paſſim ſaltem occulte, cum pœnæ metus abeſſet, transgrederentur: quin detecta etiam transgreſſione, proniſſimum foret

pote-

Digitized by Google

poteſtatem ipſam coactivam & pœnas dictatas eludere pro arbitrio, vi admota, aut aliis mediis. Quanta autem hinc in Rempublicam mala! quanta perturbatio! Addendum & illud: ſi leges humanæ ſecundum ſe in conſcientia obligare nequeant, proinde non incurratur peccatum propter transgreſſionem legis humanæ ut talis, ſed tantum propter legem divinam, prout hæc per illam præciſe declaratur, ſequitur, in nullo Principe eſſe poteſtatem legislativam, verum declarativam duntaxat legis divinæ; at iſtud profecto nemo admiſerit, niſi una legem omnem humanam e numero legum expungat: id quod tamen ne ſectarii quidem faciunt, cum dicant ratione ſcandali ſaltem aut contemptus parendum eſſe humanis legibus.

Hæc generatim dicta pugnant non minus pro legibus Civi- 210
libus, quam Eccleſiaſticis. Pro his interim potiori jure: idque tum ſpectato Eccleſiæ foro, ad quod pertinet animarum gubernatio ex fine ſalutis procurandæ per actus interiori etiam conſcientiæ foro proprios; tum ex communi fidelium ſenſu, cum nemo ſit, qui non exiſtimet reatu culpæ obſtringi conſcientiam transgreſſione præcepti Eccleſiaſtici; tum denique propter alia quoque Scripturæ loca. Eccleſiaſtica nimirum poteſtas declaratur illis Chriſti ad Petrum, ejusque ſucceſſores Matth. 16. verbis: *quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis;* nec abſimilia ſunt, quæ ad omnes Apoſtolos dixit Matth. 18. *quæcunque alligaveritis ſuper terram* &c. Ea igitur Eccleſiæ Prælatis data eſt poteſtas, qua ipſi ita ligare poſſint, ut idem ligetur coram Deo & in cælo, ſeu (ut Jura loquuntur) in *foro poli*, hoc eſt, in conſcientia. Hacque omnino poteſtate uſi ſunt Apoſtoli, cum ad Antiochenos Act. 15. ſcriberent: *Viſum eſt Spiritui S. & nobis nihil ultra imponere vobis, quam hæc neceſſaria.* Ubi vides non tantum a Spiritu S. ſed ab ipſis etiam Apoſtolis imponi ac præcipi quædam,

ea-

eaque neceſſaria ex obligatione in conſcientia : quia eum in finem, ut Antiocheni in re ad Religionem pertinente *bene agerent* V. 19.

ASSERTIO II.

Quælibet humana lex in conſcientia obligat ad aliquid.

211 EX propoſito iſtud propugnat Suarez L. 3. de Leg. C. 22. recteque deducitur ex legis natura, & ſubjectione poteſtati legislativæ debita. Quæcunque enim ſit lex humana vera, per eam Legislator aliquid juſte præcipit, & quidem ut miniſter Dei inſtructus poteſtate obligandi in conſcientia; atqui ex juris naturalis & divini præcepto Legislatori etiam humano vicaria Dei poteſtate juſta imperanti parendum eſt in conſcientia; ita igitur parendum legi cuilibet humanæ; ſi iſtud: nulla jam erit vel humana lex, quæ non alicujus in conſcientia obligationis effectum pariat. Dubitabis fortaſſe de legibus illis, quas dicimus permiſſivas, irritantes, & pœnales; ſed & has in conſcientia obligare ad aliquid, mihi certum eſt: quando & harum qualibet ex mente Legislatoris aliquid præcipitur aut prohibetur.

Ita lex *permiſſiva* (idem eſt de Privilegio) in conſcientia obligat, ne ab actione permiſſa quisquam impediatur violente, aut propter eam ſubjiciatur pœnæ; hoc ipſum enim eſt, quod illa prohibetur. Lex *irritans* pariter ad id ſaltem in conſcientia ſtringit ſubditos, ne actum defectu præſcriptæ ſolennitatis invalide poſitum pro externo foro defendant ut validum: neve Judex ei ſententia ſua valorem tribuat. Dixi *ad id ſaltem*: nam (quod notat Suarez) in legibus quæ certam teſtamenti vel contractus præſcribunt formam, ac hujus defectu actus illos volunt irritos, *rarius & difficilius eſt, ut non immediate in conſcientia*

Digitized by Google

tia obligent ad talem formam vel modum ; quia efficere actum ſine his conditionibus, quæ neceſſariæ ſunt ad finem & valorem ejus, contra prudentiam, & conſequenter contra honeſtatem eſſe videtur. Demum nec a lege *pœnali* unquam ſejungitur hæc obligatio. Vel enim eſt *pure pœnalis*, quæ nimirum ſolam pœnam decernat, quin determinate actum aliquem prohibeat aut præcipiat; id quod colligi poteſt ex conſuetudine & communi legis acceptione, vel ipſis verbis in hunc e. g. ſenſum conceptis: *vel nemo ex provincia frumentum efferat, vel ſi etulerit, mulctetur*, &c. aut his: *qui frumentum etulerit, mulctabitur* &c. Vel eſt *mixta pœnalis*, præter pœnam ſcilicet decretam aliud aliquid præcipiens, e. g. *nemo efferat frumentum, qui autem etulerit, mulcta ſubjaceat.* Harum jam vero prima obligat in conſcientia ad pœnam ſaltem ſubeundam, ſi ea ex legis præſcripto imponatur: imo eam Judex inferior imponere etiam tenetur; altera autem obligat ad utrumque, nempe tam ad omiſſionem actus prohibiti: quam ad ſuſtinendam pœnam, ſi hæc a judice infligatur propter actum contra legem admiſſum.

Reſolvuntur Objectiones.

Aſſertioni primæ fere hæc adverſari videntur. I. Forum conſcientiæ eſt forum Dei, illius proinde poteſtatis, quæ ſuperior eſt quavis Legislatoris humani poteſtate; at nemo dixerit inferiorem poſſe obligare in foro Superioris; igitur nec Legislatorem humanum obligare poſſe in conſcientia. 212

II. Nullus hominum, quantumlibet poteſtate legislativa præditus, privare poteſt alterum gratia ſanctificante: minus infligere pœnam æternæ damnationis; ergo nec obligare in conſcientia, hoc eſt, ſub culpa theologica, quæ inducat privationem gratiæ & pœnam æternam.

III. Si Legislator humanus poſſet in conſcientia obligare, indubium foret, legis humanæ, ut talis, transgreſſionem eſſe peccatum; quis vero iſtud admiſerit? quando peccatum eſt transgreſſio legis divinæ; transgreſſio autem legis humanæ, ut humana eſt, non eſt utique legis divinæ transgreſſio.

IV Ex mente D. Thomæ 1. 2. qu. 96. Ar. 4. in ⊙ leges humanæ *habent vim obligandi in foro conſcientiæ a Lege æterna, a qua derivantur ſecundum illud Prov. 8. per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt:* unde nec aliter in conſcientia obligant, quam prout feruntur ab homine vicarium & miniſtrum Dei agente; igitur leges humanæ obligant in conſcientia ſolum ut ſunt divinæ, ſeu ut per illas lex divina declaratur.

Reſp. ad I. C. Maj. D. Min. in foro Superioris nequit obligare inferior, ſi a Superiore hanc poteſtatem non acceperit C. ſi eam ab illo acceperit N. Legislatorem autem humanum poteſtatem obligandi in conſcientia accepiſſe a Deo vel inde conſtat, quod ex Dei ordinatione parendum ſit in conſcientia legibus humanis ut talibus, quod jam N. 209. ex verbis Apoſtoli probatum eſt.

Reſp. ad II. D. Ant. quoad primum membrum: non poteſt privare directe & immediate C. nec indirecte & mediate N. Similiter quoad alterum: non poteſt infligere pœnam æternam; & nec obligare directe ac immediate ſub hac pœna C. nec poteſt indirecte ac mediate obligare ſub pœna eadem N. Porro eatenus indirecte ſaltem ac mediate privare poteſt alterum gratia, & obligare ſub damnationis pœna, quatenus obligare poteſt ſub culpa theologica, quæ (ſi quidem gravis ſit) ſecundum ſe inducit privationem gratiæ & damnationem. Nec

officit

officit, Legiſlatorem humanum non poſſe infligere hanc pœnam: ſatis quippe eſt infligi eam poſſe ab eo, a quo Legiſlator humanus habet poteſtatem obligandi ſub hac pœna, a Deo ſcilicet.

Reſp. ad III. Admiſſa conſecutione ajo: ad hoc, ut actus aliquis ſit peccatum, ſatis eſſe, ſi ſit vel directe & immediate, vel ſaltem indirecte & mediate transgreſſio legis divinæ. Jam vero legis humanæ transgreſſio ſemper eſt ſimul indirecte ſaltem & mediate transgreſſio legis divinæ; ſicut enim quælibet humana legiſlativa poteſtas eſt a Deo: ita lex humana quælibet obligat in virtute legis divinæ. Unde fieri nequit, ut actio aliqua ſit immediate contra legem humanam, quin ſimul ſit mediate contra legem divinam: eam ſcilicet, quæ univerſim prohibet transgreſſionem legis humanæ, eidemque una tribuit vim obligandi in conſcientia. Ex quibus facile colligas: peccati (ut ſolemus dicere) contra legem divinam, & peccati contra legem humanam admiſſi in eo eſſe differentiam; quod hoc ſolum mediate opponatur memoratæ legi divinæ generali: illud vero directe ac immediate adverſetur alicui particulari legi divinæ.

Reſp. ad IV. ultimam Illation. haud recte fieri. Etenim 1*mo*, vel ideo, quod leges humanæ vim in conſcientia obligandi ſortiantur a lege æterna Dei: non ſola utique lex divina hanc vim tribuens, ſed eandem accipiens lex humana etiam pollet virtute obligandi in conſcientia. Item 2*do*, eo ipſo, qnod leges humanæ ferantur ab homine ut Dei miniſtro, non qualicunque, ſed nominatim ut miniſtro Legiſlatore, eoque poteſtate in conſcientia obligandi prædito, ultro ſequitur: non declarare eum duntaxat legem divinam in conſcientia obligantem, verum revera ferre legem, quæ ipſa in hoc foro obliget. Ac omnino niſi iſtud admittatur, dicendum erit: Legiſlatorem

humanum perinde non habere veram poteſtatem legislativam, ac eandem non habet Medicus; nam & hic, dum ex officio præſcribit medicinam, legitime declarat, ad præſcripti remedii uſum lege naturæ obligari ægrotum. Quis vero iſtud aſſerat? quando (ut alia Scripturæ loca taceam) vel cit. Prov. 8. Dei verba manifeſtum faciunt, Principes per Deum, hoc eſt, poteſtate a Deo accepta non regnare quomodocunque: verum cum ea peculiari prærogativa, ut una ſint *legum conditores*, qui *juſta decernant*. Profecto autem (niſi vim inferamus verbis) eſſe *legum conditorem* & *juſta decernere*, non eſt mere declarare legem alterius, ſed legem ferre.

Rectius itaque contra Adverſarium intuleris: transgreſſione legis humanæ, ut humana eſt, peccatum admitti propterea, quia eſt immediata legis humanæ, & vel ideo ſimul mediata legis divinæ transgreſſio; id quod non fieret, niſi lex ipſa humana polleret vi obligandi in conſcientia. Nec tamen idcirco putandum, duplicem aut majorem ineſſe malitiam peccato, quod ex humanæ legis transgreſſione contrahitur: eadem quippe legis humanæ immediata transgreſſio eſt ſimul individua legis divinæ mediata transgreſſio. Imo, ſi rem dicere velimus, regulariter minor eſt malitia peccati ex humanæ legis transgreſſione contracti: quia in transgreſſione hujusmodi ad gravitatem mali fere minus advertitur, quam cum directe mandatum divinum violatur.

213 At ſaltem, inquies, legibus Civilibus vis hæc in conſcientia obligandi perperam attribuitur; etenim

I. Principum laicorum poteſtas eſt profana, & ad externum regimen ordinata; ergo nequeunt ferre leges, quibus obligent in foro ſpirituali & interno, quale eſt forum conſcientiæ.

II.

II. Principes iidem non poſſunt ullum ſolvere vinculum pro foro conſcientiæ: imo nec de eo cognoſcere ac judicare; non igitur etiam pro eodem foro legibus ſuis ligare quemquam, argumento l. ult. Cod. *de Jurisdict. omnium Judicum.*

III. Eadem poteſtate nunc leges condunt Principes profani, qua olim, aut etiamnum Principes ethnici; at hi legibus ſuis non obligant in conſcientia ſub reatu ſaltem damnationis æternæ, utpote quam non credunt, aut non curant; ergo etiam &c.

Reſp. ad I. C. Ant. N. illat. nam etiam ex eo, quod profanum & ad externam civium gubernationem ordinatum eſt, oriri poteſt obligatio in conſcientia, e. g. ex contractu emptionis, venditionis &c. nihil igitur mirum, ſi Princeps quoque ſecularis ad temporalem Reipublicæ felicitatem procurandam utatur medio legis in conſcientia obligantis. Id quod eo eſt certius, quod a Deo ſit omnis poteſtas ſublimior, cui ex ordinatione Dei, in conſciéntia proinde parendum eſt; quod item obligatio hæc videatur ad id neceſſaria, ut Princeps legum ſuarum finem efficaciter obtineat. Nec tamen hinc ſequitur: Poteſtatem profanam extendi directe ad aliquid ſpirituale, tanquam objectum videlicet, de quo poſſit diſponere; verum id ſolum, quod extendatur indirecte, ſeu ad modum, quo tanquam medio ſpirituali diſponat de rebus ad finem regiminis temporalem pertinentibus. Hoc jam vero alterum prorſus congrue fit vel ideo: quod ipſa temporalis felicitas, quæ Reipublicæ profanæ eſt finis proximus, ultimo ac remote referatur ad finem ſpiritualem, morum ſcilicet honeſtatem internam & cultum Dei. Inde illud l. *Juri*, ff. de Juſtitia & Jure: *Juſtitiam colimus - - licitum ab illicito diſcernentes*, *bonos - - efficere cupientes*; & Auguſtinus L. 5. de Civ. Dei C. 24. *felices*, inquit, *Imperatores*

res eos dicimus, ſi juſte imperant, - - ſi ſuam poteſtatem ad Dei cultum maxime dilatandum majeſtatis ejus ſamulam faciant.

Reſp. ad II. Quamvis Ant. quoad utrumque membrum admittatur, facta nihilominus Illatio non obtinet. Sic enim quiſque ſe ipſum in conſcientia ligare poteſt per votum aut juramentum, tametſi hoc eodem vinculo ſe exolvere non poſſit. Ad finem item legum Civilium in conſcientia obligantium ſatis eſt, ſi modo Deus, a quo hæc obligatio ducit originem, de ſubditorum conſcientia poſſit directe cognoſcere ac judicare. Cæterum neque propoſitio Ant. ut ponitur, integre admittenda eſt. Ut enim Princeps ſecularis nequeat directe ſolvere vinculum conſcientiæ: ſolvere attamen poteſt indirecte; id quod tum præſtat, dum legem abrogans aut in ea diſpenſans impedit, ne conſcientia ligetur amplius. Similiter indirecte ſaltem judicare poteſt de ſubditi conſcientia: quatenus nempe ex actu externo ſecundum legem poſito præſumit, ſubditum ſatisfeciſſe obligationi in conſcientia.

Reſp. ad III. C. Maj. N. Min. nam & Principes ethnici ſaltem implicite obligant in conſcientia. Vel ideo enim quod legitime aliquid præcipiant, ea utique poteſtate id faciunt, quæ eſt a Deo; hæc autem eſt poteſtas obligandi in conſcientia.

214 Aſſertio altera in dubium revocatur propterea, quod I. legis obligatio pendeat a voluntate Legislatoris; liberum igitur eſt Legislatori humano ſua lege obligare in conſcientia, vel non obligare. Quod autem non velit ſemper ita obligare, ſatis declarat praxis legum pœnalium: præſertim cum noverimus in quibusdam Religioſorum familiis dari leges, quæ ad pœnam duntaxat obligent, non etiam ſub culpa. Præterea ad legis veritatem ſufficit aliqua quoad ſubſtantiam obligatio: nec determinate requiritur certus obligationis modus.

II. Si

Digitized by Google

II. Si lex quælibet etiam *pure pœnalis* obliget in conſcientia ad ſubeundam pœnam, eadem perinde dicenda eſt obligare ſub culpa ad actum prævium legis ; iſtud non admittitur, ergo nec primum. Maj. propoſ. fundatur in communi, ac ipſius etiam Auguſtini L. 1. Retract. C. 9. ſenſu : juxta quem omnis pœna juſta eſt peccati ſupplicium ; nequit proinde lex obligare in conſcientia ad pœnam, quin prius ſub reatu peccati obliget ad actum aliquem.

III. Sententia hæc vel ideo ſuſtineri nequit, quod animi perturbationibus anſam præbeat ; neque enim quis facile definiverit : an hæc aut illa in particulari humana lex ſub veniali tantum, an ſub mortali etiam culpa obliget ? num item lex aliqua pœnalis ita obliget ad actum ſimul & pœnam, an ad pœnam duntaxat ?

Reſp. ad I. D. Ant. a voluntate Legislatoris pendet legis obligatio hoc ſenſu, quod liberum ſit ei legem ferre, vel non ferre, atque ita obligare, vel non obligare C. eo ſenſu, quod lege lata ſit ei liberum obligare vel non obligare in conſcientia, iterum D. obligare determinate ſub gravi aut levi culpa C. ſub nulla penitus culpa N. Ant. una cum Illat. Unde leges etiam Religioſorum, aut quælibet aliæ ex mente Legislatoris pure pœnales, tametſi non ad actum per legem immediate intentum, ad ipſam nihilominus pœnam in conſcientia obligant. Nec officit, ad legis ſecundum ſe præciſe ſumptæ veritatem ſatis eſſe aliquam in ſubſtantia obligationem, qualis eſſet e. g. etiam illa, quæ pro ſolo externo foro ſtringeret ; quod enim lex humana ſemper in conſcientia obliget, id non repetitur ſolum ex legis generatim acceptæ natura : verum ſimul ex eo, quod lex humana feratur a Legislatore, qui ut miniſter Dei & poteſtate ab eo accepta præcipit : quodque vel ideo, qui ejus ordinationi reſiſtit, ſimul Dei ordinationi reſiſtat. Neque tamen propterea le-

legis humanæ transgreſſor peccare dicendus eſt ſolum propter legem divinam : licet enim Legislator humanus legitime non ferat legem niſi ut miniſter Dei & vicaria ejusdem poteſtate, vero nihilominus ſenſu ipſe immediate fert legem; ergo etiam licet lege ſua non obliget in conſcientia niſi ut miniſter Dei & vicaria ejus poteſtate , vero attamen ſenſu ipſe quoque immediate obligat in conſcientia : quodque hinc ultro conſequitur, legis humanæ , ut humana eſt , transgreſſio ſejungi nequit a reatu peccati.

Reſp. ad II. N. Maj. unde id , quod ex Auguſtino & communi aliorum ſenſu adfertur , cum Suarezio explicandum eſt diſtinctione: pœna proprie dicta , qualem Deus ſemper , Legislator autem humanus regulariter infligit , eſt peccati ſupplicium C. pœna quælibet, etiam improprie talis , ſeu *quaſi pœna*, hoc eſt (ut notat laud. Doctor) *aliqua coactio* habens pœnæ ſpeciem N. Ad æquitatem igitur pœnæ improprie talis ſufficere ajo, quod non infligatur ſine ulla cauſa; idque conformiter ad C. 23. de R. J. in 6. ubi dicitur : *ſine culpa , niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus.* Eſt autem cauſa ſufficiens dictandi pœnam hujusmodi, ſeu ut magis caveatur bono communi ; ſeu quod ſubditus actum a Legislatore ſaltem disjunctive intentum non ponat, atque ſic fiat pars communitati non congruens : id quod dici poteſt culpa quædam civilis ac humana, ad ſolum tribunal externum pertinens. Opinionem hanc cum Cl. Habert illuſtrare libet exemplo voti , quod dicitur lex privata. Si quis nimirum pro caſu, quo luſerit , voveat ſe daturum eleemoſynam , tametſi ludendo non peccet contra votum ; vi hujus attamen in conſcientia obligatur ad eleemoſynam dandam , hæcque indubie in illo habet aliquam pœnæ ſpeciem , quam ſibi ad certius cavenda luſus pericula dictavit.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. ad III. perturbationes has locum non habere niſi apud incautos & imprudentes, quibus quidem nulla humana induſtria ſatis provideris. Arbitrarie nimirum adſtruitur ea difficultas: quando proniſſimum eſt de obligationis modo definire, modo conſulas verba & materiam legis, communem ejusdem acceptionem, conſuetudinem in ſimili receptam, ſapientum judicium, aliasque id genus legem interpretandi regulas. Vide in hanc rem a nobis dicta Diſſ. I. §. II. de Obligat. & Obſervat. legis; item hoc §. N. 211. Si plura velis, adi Suarezium L. 3. de Leg. a C. 24. uſque ad 29.

Corollarium

De obligationis modo quoad legis actum, & pœnam a lege dictatam.

ETiam ii, qui nobiſcum humanæ legi vim in conſcientia obligandi attribuunt, controvertunt nihilominus de modo, quo lex tam ad actus præcepti obſervationem, quam ad pœnam transgreſſioni reſpondentem obligat. Quod in utraque controverſia præcipuum eſt, paucis inſinuabimus ad pleniorem ſententiæ hoc §. propugnatæ notitiam. Jam vero

Controvertitur I. an lex humana in conſcientia obliget ad præceptum actum cum gravi etiam mortis periculo ponendum? Quidam cum Almaino iſtud univerſim negant; cum Cajetano alii univerſim ac ſine reſtrictione affirmant; plurimi cum Suarezio L. 3. de Leg. C. 30. priorum opiniones ita moderantur, ut mediam ineant viam, quam & ipſe tenendam cenſeo. Itaque exiſtimo, Legislatorem humanum poſſe quandoque etiam cum periculo mortis obligare; quin ſic re ipſa obligare cenſendus eſt, dum juſte præci- 215

N n pit

pit aliquid ejusmodi, cui mortis periculum *per ſe* conjunctum eſt; quod ſi autem hoc ſolum *per accidens* cum actu præcepto conjungatur, tum gravis adeo obligatio ſaltem regulariter non eſt adſtruenda.

Ratio 1*mi* & 2*di* eſt: quia dubitari nequit Legislatorem humanum eam habere poteſtatem, quæ ad bonum commune efficaciter procurandum eſt neceſſaria; talis autem eſt poteſtas obligandi etiam quandoque cum vitæ periculo: cum ad boni communis conſervationem neceſſarium ſit, ut e. g. miles hoſte ingruente ſtationem non dimittat, ut Parochus peſte graſſante ſuis aſſiſtat &c. igitur Legislator humanus poteſt obligare, imo re ipſa etiam obligat ad hos & ſimiles actus, qui indubie cum periculo mortis *per ſe* conjunguntur. Eſt nimirum rationi conſentaneum, ut pars propter ſalutem totius periculo ſe ſe objiciat, cum bonum commune privato ſit præferendum. Inde laudabilis eſt mos, quo Carthuſiani ex lege ſui Ordinis a carnibus abſtinent tum etiam, cum eſus earum ad reſtaurandam ſanitatem judicio Medici foret neceſſarius: ſatius quippe eſt privati alicujus vitam periclitari, quam legis relaxatione ſacri hujus Ordinis diſciplinam infringi, aut primævum ſaltem fervorem teporis periculo exponi; quod ipſum (ut commemorat Habert de Leg. C. 9.) ſenſiſſe feruntur PP. Tridentini, dum ad eos deferretur quæſtio, num hic Carthuſianorum rigor ſit mitigandus.

Ratio 2*di* eſt: nam ne lex quidem divina poſitiva cum mortis aut gravis alterius mali periculo ſemper obligat, quando periculum hoc non niſi *per accidens* cum actu præcepto eſt connexum. Fit vero iſtud certum vel Chriſti ipſius judicio, qui Matth. 12. probat, quod David in gravi neceſſitate comederit Propoſitionis panes, tametſi eorum eſus ſolis Sacerdotibus

lege

Digitized by Google

lege divina fuerit conceſſus. Potiori igitur jure lex humana ſaltem regulariter non obligat cum periculo ejusmodi, ſi illud cum actu præcepto non niſi *per accidens* conjungatur. Non nego interim vel hoc caſu aliquando licite poſſe obſervari legem; at iſtud non officit: amplius enim requiritur ad vitam periculo gravi exponendam ex obligatione, quam ut eandem pari periculo licite poſſis exponere. Ita in communi naufragio licite quis ex charitate tabulam cedit alteri cum proprio vitæ periculo: nemo tamen eum ad cedendam illam dixerit etiam obligari.

Controvertitur II. an pœna per legem dictata ſit continuo 216
exolvenda a transgreſſore? an item ignorantia pœnæ excuſet ab ejusdem reatu? Circa utrumque controvertuntur complura, ut videre eſt apud eos, qui ex propoſito commentantur in L. 5. Decretal. Tit. 37. *de Pœnis*, & Suarez L. 5. de Legib. a C. 5. uſque ad C. 13. Nobis, quia argumento huic multis immorari non vacat, principii inſtar aliqua compendio perſtrinxiſſe ſuffecerit. Itaque

Quoad 1*mum* hæc habe. Diſcernendum eſt ante omnia inter pœnam ferendam & pœnam latam; *ferenda* cenſetur ſi, lex concepta ſit hujusmodi verbis, *excommunicabitur, excommunicetur, ſub pœna excommunicationis vel privationis Beneficii*, *non gaudeat Beneficio* &c. quod ſi autem hæc aut his ſimilia ſint legis verba, *ipſo facto*, *ipſo jure*, *ex tunc excommunicatus eſt vel excommunicamus* &c. cenſetur eſſe pœna jam *lata*. De prima, ſeu *ferenda* dubitari non poteſt, eam non debere transgreſſorem exolvere, donec a judice legitimo ad ſubeundam illam condemnetur: quia pœna hæc nondum eſt impoſita, ſed imponendam duntaxat lex comminatur. De altera, ſeu pœna per legem jam *lata* etiam certum eſt, quandoque eam per transgreſſionem incurri continuo: quandoque ſolum poſt ſententiam, qua Judex crimen

declaret. At quando iſtud? quæſtionem ſateor eſſe intricatam, & quæ in particulari caſu non aliunde certius definiri poſſit, quam ſi attendatur pœnæ genus, verba legis, ac receptus eam interpretandi uſus. Si quid tamen de hoc generatim ſtatui cupias, regulæ inſtar ex Pichlero deſervire poteſt iſtud: ſi pœna *lata* ſit *poſitiva*, ad cujus executionem requiratur aliqua transgreſſoris ipſius vel alterius actio, non incurritur ante ſententiam Judicis declaratoriam; item, ſi pœna ſit *privativa*, quæ privet jure aliquo jam plene quæſito. Ratio 1*mi* repetitur ex eo: quod nullum detur certum jus ad pœnam ejusmodi obligans ante ſententiam Judicis; quod item hæc ſit communis praxis & opinio, præſertim ob nimiam difficultatem, quæ reperitur in hoc, ut quis ultro in ſe ipſo exequatur pœnam, vel eam ab alio exequi petat, e. g. confiſcationem bonorum &c. Ratio 2*di* fundatur partim in his ipſis, partim in C. 19. de Hæret. in 6. Unde ex his in oppoſitum, quando ſcilicet jam ante ſententiam Judicis incurratur pœna, facilis eſt illatio. Cæterum hæc generatim dicta ſæpe in particulari caſu ſuis, non diffiteor, obnoxia ſunt exceptionibus.

Quoad 2*dum* obſerva: ſolius pœnæ ignorantia etiam invincibilis *per ſe* non excuſat a pœna. Inter culpam nimirum & pœnam id eſt diſcriminis, quod culpa eſſe nequeat niſi ſit voluntaria, ac proinde cum cognitione legis actum prohibentis conjuncta: pœna ex adverſo transgreſſori non eſt voluntaria, quin potius contra voluntatem illius; unde, tametſi ignarus legis per ejus transgreſſionem non incurrat reatum culpæ, ac hoc ipſo nec reatum pœnæ: conſcius tamen legis, eam nihilominus tranſgrediens cum ignorantia pœnæ transgreſſioni dictatæ, incurrit reatum pœnæ, ut qui jam admiſerit actum dignum pœna. Dictum eſt *per ſe*: nam ſi e. g. ex mente Legislatoris pœna dictetur ſolum in conſcios pœnæ, regula hæc non obtinet, ut clarum eſt.

Digitized by Google

eſt. Atque ex hoc principio cenſuræ Eccleſiaſticæ communiter non incurruntur ab iis, qui ignorant eſſe adnexas transgreſſioni legis. Rurſum ajo *communiter*: nam & hic exceptionibus locus eſt, de quibus conſuli poſſunt DD. L. 5. Decret. Titulum 39. explanantes.

§. IV.

An per Legem Humanam præcipi vel prohiberi poſſit actus internus?

NOn ſatis eſt noſſe, quomodo lex humana obliget: niſi etiam ſtatuatur, ad quos ſubditorum actus ſe ſe exporrigat hæc obligatio. Iſtud vero ut ordinate fiat, haud inutilis fuerit

Animadverſio prævia.

INdubium eſt, ad eos actus omnes legem humanam obligare, quos 217
præcipere aut prohibere poteſt. Actus porro hi generatim ſpectati ſunt vel externi, vel interni; primos legis humanæ objectum eſſe nemo ambigit: ut adeo præſens controverſia ad ſolos internos actus pertineat. Sed & hi ipſi in duplici claſſe collocari poſſunt: alii enim ſunt *mere interni*, qui ſcilicet nulla ratione requiruntur ad actum externum, nec cum illo conjunguntur; alii *non mere interni*, ſed cum præcepto actu externo ita conjuncti, ut hic ſine illis exiſtentiam phyſicam aut ſaltem moralem non habeat. Ita e. g. ſine prævia actum externum ponendi voluntate actus externus humanus dari nequit; ac rurſum e. g. oratio vocalis quoad rationem moralitatis (*eſſe morale*, vel *quaſi artificiale* dicunt aliqui) non exiſtit citra intentionem laudandi Deum. Atque hæc ipſa actuum internorum varietas ſatis prodit, dupliciter poſſe præcipi actum in-

ternum. Vel enim præcipitur *directe*, hoc eſt, præciſe ratione ſui, & ſine ullo ordine ad actum externum: quod idem eſt, ac præcipere actum mere internum. Vel præcipitur *indirecte*, hoc eſt, ratione actus externi, proinde ita, ut actus internus ordinetur ad eum actum externum, qui ſine illo exiſtere nequeat: quod in re non aliud eſt, quam præcipere actum externum ac ratione hujus ſimul actum internum, qui cum illo conjungitur.

Hac animadverſione præmiſſa ultro patet, in præſenti definiendum eſſe; an per legem humanam directe, aut indirecte ſaltem præcipi poſſint actus interni? vel, ut alii quærunt: an præcipi poſſint actus mere interni, aut ſaltem non mere interni? Eadem eſt quæſtio de lege prohibente; nos interim de ſola præcipiente agemus, cum par ſit utriusque ratio.

ASSERTIO

Lex humana nequit directe præcipere actus internos; poteſt tamen eos præcipere indirecte.

SEntentia hæc quoad partem primam eſt D. Thomæ hic qu. 91. Art. 4. & qu. 100. Art. 9. alteram addit Suarez L. 4. de Leg. C. 13. quoad utramque autem hodie plurimi Theologi conſentiunt.

218 Pars I. probatur. Poteſtatis ejusmodi, qua Legislator humanus poſſit lege ſua directe ac immediate præcipere actus internos, hoc eſt, præcipere actum mere internum, non eſt ullum fundamentum, ut docebunt Reſp. ad Object. Imo ex adverſo non dari eam in ullo, nec in Civili proinde nec in Eccleſiaſtico Legislatore, ſat certis comprobatur momentis. Nimirum

1mo,

Digitized by Google

1mo, poteſtate hac nondum unquam uſi ſunt Prælati Eccleſiaſtici: non enim proferri poteſt exemplum id genus præcepti; quin Innocentius III. Cap. Tua nos. *de Simonia*, diſerte negat eam Romano Pontifici eſſe poteſtatem, *nobis*, inquit, *datum eſt de manifeſtis tantummodo judicare*, proinde & leges ferre, de quarum obſervatione judicari poſſit. Cenſet igitur Eccleſia deeſſe ſibi poteſtatem præcipiendi actus mere internos; quod ſi autem deſit Eccleſiæ, potiori jure eadem neganda eſt Magiſtratui laico, unde univerſim illud apud JCtos obtinuit: *de internis Prætor non judicat.*

2do, eam utique cenſendum eſt datam eſſe a Deo tam ſacris quam profanis Principibus legislativam poteſtatem, quæ conjuncta ſit cum poteſtate cognoſcendi legis obſervationem, ac etiam ad eandem per pœnas cogendi; at non eſt data poteſtas cognoſcendi actus mere internos, aut ad eos cogendi: cum enim arcana cordium ſoli Deo pateant, de actibus internis homo judicare nequit, ac vel ideo nec ad illos cogere per pœnam; ergo cenſendum eſt, non eſſe datam poteſtatem legislativam ejusmodi, quæ ſe exporrigat ad directe præcipiendos actus internos, ſeu ad præcipiendos actus mere internos. Primæ propoſ. quidem aſſertum controvertunt Adverſarii, at fruſtra: quis enim dubitet? eam eſſe Legislatori humano datam poteſtatem, quæ ſit efficax, quæ gubernationi humanæ ſit conſentanea, & quæ ad bonum commune exerceri poſſit; profecto autem talis non eſt, ſi deſtituatur poteſtate ſimul judicandi & cogendi; tum enim ignorabit Legislator, quo loco ſit apud ſubditos legum ſuarum cuſtodia: invito etiam illo, & citra ullum ejus metum, actus præcepti omitti poterunt &c. Adde: ad rectum cujuscumque communitatis regimen ſufficit poteſtas obligandi directe ad actus externos, & indirecte ad internos cum illis conjunctos; non eſt igitur ulla neceſſitas Legisla-

giſlatori humano attribuendi ſimul poteſtatem, qua directe eos actus præcipiat, ac ad illos immediate & directe obliget. Argumentum hoc deſumptum eſt ex D. Thomæ duobus locis ſupra citatis.

219 Pars II. deducitur ex ipſo poteſtatis hujus exercitio. Conſtat quippe a ſacris perinde ac profanis Legislatoribus directe præcipi actus externos, eoſque ut ponendos non tantum ſecundum *eſſe phyſicum*, ſed etiam *morale*; ergo cum ad hoc (ut clarum eſt) requirantur aliqui actus interni, hos quoque indirecte præcipiunt: & quia id jure facere cenſendi ſunt, attribuenda eſt iis poteſtas ita præcipiendi. Illatio, ut vides, eſt legitima: indirecte enim præcipi actum internum non aliud eſt, quam directe præcipi actum externum ut conjungendum cum actu interno, qui ad illius *eſſe phyſicum* aut ſaltem aliquod *eſſe morale* eſt neceſſarius. Sed & propoſ. Ant. controverti nequit quoad *eſſe phyſicum* actus externi: quilibet namque Legislator præcepto ſuo obligat ad ponendum actum humanum, cujus, ut talis, *eſſe phyſicum* partialiter conſtituit interna volitio ponendi actum. Nec controverti poteſt quoad *eſſe morale* actus externi. Certum enim eſt a Legiſlatore profano præcipi contractus legitimos & teſtamenta legitima; hic ipſe autem actuum valor legitimus eſt eorum *eſſe morale*, quod rurſum ſaltem partialiter in conſenſu contrahentium & teſtatoris interno conſiſtit. Certum item eſt legibus Eccleſiæ præcipi actus externos quoad *eſſe morale*, ut e. g. orationem vocalem, annuam Confeſſionem validam, Paſchalem communionem non ſacrilegam &c. quæ omnia ſuum *eſſe morale* habere nequeunt ſine actu interno, e. g. oratio vocalis ſine intentione laudandi Deum, Confeſſio ſine dolore; Communio ſine interna emundatione &c. Huc referenda ſunt ea etiam præcepta, quibus Legislator quandoque vult actum externum applicari ad certum aliquem finem, e. g.

Digitized by Google

e. g. orationem ad obtinendam pluviam, avertendam Reipublicæ perniciem &c. quamvis enim ejuſmodi intentio ad *eſſe morale* talis actus non ſit abſolute neceſſaria: eſt tamen neceſſaria ſaltem ad *aliquod eſſe morale* ejusdem actus, prout is ſcilicet in his circumſtantiis ad commune bonum ex præcepto Legislatoris eſt ordinandus, & convenienter ponendus.

Reſpondetur Adverſariis.

QUo de prima Aſſertionis parte controvertentibus reſpon- 220
deatur, ſatis fuerit ea expedire, quibus poteſtatem directe præcipiendi actus internos potiſſimum vindicare nituntur Legislatori Eccleſiaſtico; quodſi enim huic illa attribui non poſſit, vix erit reliquum, unde pro Legislatore Civili depugnetur. In eam rem autem hæc fere proferri ſolent.

I. Ampliſſima pro utroque foro poteſtas collata eſt Eccleſiæ, dum Chriſtus Matth. 16. & 18. Petro & Apoſtolis promitteret, omne id ligandum in cœlo, quod ipſi ligarent in terris; quid ni igitur data etiam poteſtas obligandi ad actus mere internos? Imo

II. Danda etiam erat: cum poteſtas Eccleſiæ ſit ſpiritualis, & ad ſalutem animarum ordinata; actus autem mere interni ſunt ſpirituales, iique ad hunc finem non modo utiles, ſed & neceſſarii, e. g. actus fidei, ſpei, charitatis. Ac omnino niſi iſtud concedatur,

III. Neganda pariter erit Eccleſiæ poteſtas præcipiendi aut prohibendi externos actus occultos: cum & hi, ut pote arcano admiſſi, judicio & coactioni Eccleſiæ non ſubjaceant.

O o Reſp.

Reſp. ad I. C. Ant. N. Illat. Quamvis enim ampliſſima (quæ ipſa tamen ſuos habeat limites, ut alias dictum) Eccleſiæ ſit poteſtas: alia attamen pro ſoro interno, alia pro externo. Poteſtas fori interni immediate ordinatur ad internum animarum bonum, ac vel ideo cumprimis verſatur circa actus internos, cum ab his potiſſimum dependeat ſalus animæ: eademque dicitur *poteſtas jurisdictionis voluntariæ* propterea, quod non niſi petente, aut conſentiente ſaltem ſubdito exerceatur; atque hujus poteſtatis actus proprii ſunt: abſolvere a peccatis, diſpenſare in votis, eadem commutare, pœnarum apud Deum relaxationem concedere per indulgentias &c. Poteſtas contra fori externi, quæ ſola eſt legislativa, immediate ordinatur ad rectam fidelium gubernationem externam, ac vel ideo circa actiones tantum externas directe & immediate verſatur: hæc ipſa vocatur *poteſtas jurisdictionis coactivæ*, cum in ſubditos etiam invitos exerceatur; actus illius ſunt: præcipere, prohibere, judicare, punire &c. hæcque omnia etiam invito ac reluctante ſubdito.

Ex quibus ultro conficitur 1*mo*, jurisdictionis voluntariæ poteſtatem, cum exerceatur petente aut ſaltem conſentiente ſubdito, non egere poteſtate coactiva; egere ex adverſo legislativam, utquæ in invitos etiam exerceatur. 2*do*, poteſtatem Eccleſiæ legislativam (de qua una hic ſermo eſt) non extendi ad directe præcipiendos actus internos: quomodo enim actus mere internos lege ſua præcipiat, ad quos invitum ſubditum non poſſit cogere, non judicare de transgreſſione, minus eam punire? Sane iſtud non eſſet utiliter ac convenienter exercere poteſtatem pro foro externo; nemo autem dixerit ejusmodi poteſtatem a Chriſto Eccleſiæ eſſe datam, quæ in ſuo foro convenienter exerceri nequeat.

Reſp.

Reſp. ad II. N. Aſſertum; quod omnino non evincit adjecta ratio. Etenim, ſi generatim loquamur de poteſtate Eccleſiaſtica, non idcirco illam peculiari nomine ſpiritualem dicimus, quia circa actus internos verſatur: verum quia ex Chriſti eam concedentis voluntate peculiariter ordinatur ad ſpiritualem & ſupernaturalem hominis beatitudinem, ac proinde internum animarum bonum. Ad hunc ipſum nihilominus finem non eadem prorſus ratione refertur utraque Eccleſiæ poteſtas: ea enim, quæ eſt fori interni, refertur immediate, ut jam ſupra meminimus; altera vero fori externi, ſeu legislativa, ſolum mediate, mediante ſcilicet gubernatione externa. Unde ſicut ratione poteſtatis primæ neceſſe eſt Eccleſiam verſari poſſe immediate circa actus internos, ut pote proxime conducentes ad internum animæ bonum: ita ratione poteſtatis alterius ſufficit eam verſari immediate circa actus externos, ac his mediantibus circa internos, ceu neceſſarios ad id, ut actus externi rite ponantur. Neque tamen hinc inferre licet: legislativam poteſtatem Eccleſiaſticam non magis ordinari ad finem hominis ſupernaturalem, ac ordinetur legislativa poteſtas Civilis, cum & hæc remote, mediate, ac ultimo ad eundem finem ſit referenda. Eſt ſcilicet inter utramque diverſitas in eo: quod poteſtas Eccleſiæ legislativa ipſam gubernationem externam immediate referat ad internum & ſpirituale bonum; Civilis ex adverſo per regimen externum intendat immediate temporalem Reipublicæ felicitatem, tametſi hanc quoque deinde ultimo ad finem ſupernaturalem referre debeat.

Reſp. ad III. haud recte fieri eam Illationem. Ut enim actus externi clam, & ſine arbitris commiſſi *per accidens* quandoque lateant, ac tum judicio Eccleſiæ ſubducantur: ſecundum ſe tamen & natura ſua percipi poſſunt ab homine, proinde etiam Eccleſiæ judicium regulariter ſubire, ejusque pote-

 ſtati

ſtati coactivæ ſubjici. Conſtat præterea de legibus Eccleſiaſticis quoad actus hujusmodi, ut eſt lex clandeſtinum Matrimonium prohibens &c. Diſpar contra eſt, ut quisque novit, actuum mere internorum ratio.

221 Urgeri nihilominus poteſt argumentum ex praxi Eccleſiæ, quæ (ut volunt adverſarii) poteſtatem ſuam legislativam exercet circa ipſos actus mere internos. Ita

I. Eccleſia diſpenſat in votis mere internis, abſolvit a peccatis mere internis, eadem reſervat quandoque &c.

II. Præcipit attentam & devotam divini Officii recitationem, annuam Confeſſionem validam, Communionem in Paſchate reverentem &c. certe autem attentio ac devotio, dolor ad Confeſſionem validam neceſſarius, reverentia a Communione ſacrilegium excludens, aliique his ſimiles actus ſunt mere interni. Novimus adhæc complures Religioſas familias ex lege ſui Ordinis, per Pontifices approbata, obligari ad orationem pure mentalem.

III. Prohibet, ne ad praxim deducantur quædam Propoſitiones, ut eſt ab Innocentio XI. damnata propoſ. V. *an peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus*; item propoſ. X. *non tenemur proximum diligere actu interno & formali*: quarum praxis cum conſiſtat in actibus mere internis, aliquid mere internum Eccleſia prohibet.

IV. Punit demum etiam ejusmodi actus: nam Concil. Toletanum I. anathema dicit ei, *qui aliquid fidei contrarium dixerit, aut crediderit*; & pœna excommunicationis lata eſt in voluntarium Clerici homicidam, propter volitionem proinde internam.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. I. generatim. Ex praxi Eccleſiæ nihil adverſum nos inferri poſſe: vel enim circa actus internos exercet poteſtatem tantum jurisdictionis voluntariæ; vel ſi legislativam etiam exerceat, tum directe verſatur ſolum circa actus externos, circa internos autem cum his conjunctos ſolum indirecte. Conformiter ad quæ

Reſp. II. ſpeciatim ad ſingula. Ad I. quidem: in votis diſpenſationem, & ſacramentalem a peccatis abſolutionem ajo eſſe jurisdictionis voluntariæ actus, a quibus ad poteſtatem legislativam argui non poteſt. Leges autem, quibus reſervantur peccata, verſantur immediate circa abſolutionis ſacramentalis in externo actu conſiſtentis exercitium, quod pro certis caſibus fieri prohibetur. Simiter votum caſtitatis internum ex præcepto Eccleſiæ ſacris Ordinibus adnexum non præcipitur directe ratione ſui: verum ratione Ordinis ritu externo ita ſuſcipiendi, ſicut expedit ad rite & convenienter obeundum ſacrum miniſterium.

Reſp. ad II. Ex præcepto devotæ orationis vocalis, Confeſſionis validæ, & Communionis non ſacrilegæ &c. id unum (ut jam ſupra notavimus) ſequitur: ab Eccleſia præcipi directe actus externos rite ac convenienter, proinde ſecundum *eſſe morale* ponendos; indirecte autem actus internos, qui ad eam moralitatem requiruntur. Quod vero ad orationis pure mentalis præceptum attinet, non fertur illud, nec obligat vi poteſtatis legislativæ humanæ ſecundum ſe ſumptæ: ſed vi obedientiæ voti, quo Religioſi ſponte ac ultro ſe ſubjiciunt Præpoſitis ſuis ad ejusmodi etiam mandata acceptanda, & exequenda.

Reſp. ad III. prohibitiones id genus non eſſe novam legem hu-

humanam: ſed declarationem meram Legis Divinæ ad internam Dei & proximi dilectionem obligantis.

Reſp. ad IV. a laud. Concilio ferri anathema in hæreſim non mere internam: verum quæ manifeſtetur ſigno externo aliquo, tametſi a verbis diverſo. Similiter, cum per excommunicationem Eccleſia præcipue intendat impedire actum externum homicidii, neque citra hunc incurratur illa, omnino cenſendum eſt, cenſura ea directe puniri actum externum, internum autem ſolum indirecte, hoc eſt, ratione externi actus. Idem ſentiendum eſt de ſimilibus pœnis aliis, quæ ex mente Legislatoris humani non incurruntur propter actum externum niſi prout conjunctum cum actu interno. Quorum omnium ratio inde repetenda eſt: quod poteſtas legislativa efficax ac vera eſſe nequeat, ſi deſtituatur poteſtate ſimul judicandi de legis obſervantia, & ad eam cogendi. Sed nimirum

222 Urgetur adhuc argumentum ab ea lege humana, quæ ſit mere directiva: cur enim hac ſaltem præcipi directe nequeant actus interni? Certe

I. Datur lex humana, quæ habeat vim tantum directivam; talis eſt, quæ præciſe ſub culpa obligat, pœnam autem Deo relinquit. Ita legum ſaltem aliquarum Civilium vi directiva obligantur Clerici: quin ſimul obligentur vi coactiva. Quod ſi autem lex hujusmodi, ac proinde legislativa etiam poteſtas mere directiva dari poſſit, prorſus non eſt ratio, cur lege mere directiva nequeat immediate præcipi actus internus: cum ad hanc in Legislatore non requiratur poteſtas cogendi per pœnas pro foro externo. Imo id poſitiva etiam ratio ſuadet; nam

II. Legislator humanus mere directiva lege aliquid præcipiens cogere poteſt ſubditum ad obſervationem coactione ſaltem in-

terna:

Digitized by Google

terna: iſtud vero tum facit, dum obligat ſub culpa, propter quam pœna incurritur coram Deo, ab eodem ſimul infligenda; ad quod uti Legislator humanus nulla opus habet cognitione cauſæ, ita nec poteſtate cogendi in foro externo.

Reſp. ad I. Quamvis forte lex humana mere directiva, talis proinde, ad quam in Legislatore non requiratur poteſtas coactiva, abſolute dari poſſit: eam tamen, ſpectata poteſtate legislativa nunc hominibus a Deo conceſſa, pro hoc ſtatu connaturaliter ac convenienter dari poſſe, omnino negandum eſt, idque ex rationibus jam ſupra memoratis. Nec urget exemplum legis Civilis, vi directiva Clericos obligantis; in ſententia quippe eorum, qui iſtud admittunt, Clerici non obligantur revera proprie vi directiva ipſarum legum Civilium: verum aut ex æquitate tantum naturali, aut ex tacito Pontificis conſenſu. Si primum: occaſione legis Civilis ſola lex naturæ obligat; ſi alterum: obligat quidem lex a Magiſtratu Civili lata, at nonniſi ut a Pontifice confirmata, proinde ut legislatoris Eccleſiaſtici, qui in Clericos ſimul habet poteſtatem coactivam. Ex his pronum eſt reſpondere ad obligationem eam, qua Legislator ipſe dicitur ſuis legibus teneri ex æquitate vel decentia naturali.

Reſp. ad II. Rurſum iſtud non amplius probat, quam quod fortaſſe lex humana abſolute dari poſſit, quæ ſola coactione interna cogat ſubditos; at enim talem dari hoc rerum ſtatu, aut dari poſſe convenienter in ordine ad gubernationem externam, prorſus non evincit. Quæcunque nimirum lex vi modernæ poteſtatis legislativæ feratur, præter poteſtatem coactionis internæ, ſupponit etiam in Legislatore poteſtatem coactionis externæ, proinde & poteſtatem judicandi in foro externo.

Alte-

223 Altera pars Aſſertionis his impugnatur. I. Nequit lege humana directe præcipi actus internus; ergo nec indirecte: nam Legislator humanus ne quidem actus internos cum externis conjunctos poteſt cognoſcere, præſertim cum hi ab illis non raro ſeparentur, ut e. g. dum fit oratio vocalis ſine attentione interna.

II. Si poſſit indirecte præcipi actus internus, cur non etiam directe? imo iſtud revera fieri videtur, dum actus internus indirecte præcipi dicitur. Quid enim eſt actum internum indirecte præcipi? niſi directe præcipi actum mixtum, hoc eſt, actum externum cum interno conjunctum; atqui actus ejusmodi mixtus conſtat perinde actu interno ac externo; dum igitur directe præcipitur actus mixtus, eadem ratione præcipitur actus uterque: at externus directe præcipitur, ergo & internus; aut ſi iſtud non admittatur, non erit pariter admittendum, indirecte præcipi poſſe actum internum.

III. Si actus internus indirecte præcipiatur eatenus, quatenus directe præcipitur actus externus cum interno conjunctus, cur lege humana præcipi non poſſit primum actus mere externus, ac dein ex intervallo actus internus cum externo jam antea præcepto conjungendus? atqui hoc caſu directe præciperetur actus internus; vel igitur ne indirecte quidem præcipi poteſt actus internus: aut ſi poſſit, etiam directe poteſt præcipi.

Reſp. ad I. C. Ant. N. Illat. Adjectam rationem D. actus hos non poteſt cognoſcere cognitione certa C. nec cognitione probabili, quæ fundetur in prudenti præſumptione N. Ex actu nimirum externo prudenter præſumi poſſunt actus interni, ad illum ſerio ac convenienter ponendum requiſiti: quia hæc præſum-

ſumptio fundatur in eo quod communiter fit ; quin imo (niſi oppoſitum conſtet) præſumi etiam debent : nam ſecundum Jura quisque præſumendus eſt bonus , donec probetur eſſe malus. Unde Legislator humanus ſicut poteſt cognoſcere actus internos ex externis: ita ad eos his mediantibus cogere.

Reſp. ad II. N. Illat. cum aſſerto: Sed nec argumentum pro ejus probatione allatum evincit quidquam , modo intelligas , quo ſenſu propoſ. Maj. ſit accipienda ; hinc eam D. actum internum præcipi indirecte , eſt actum mixtum directe præcipi, ita ut ſenſus ſit, directe præcipi actum externum , & ratione hujus duntaxat , ac proinde præcipi etiam internum cum illo conjunctum C. alio ſenſu N. admiſſa dein Min. rurſum neganda eſt Illatio. Neque putes hæc paradoxa eſſe. Certe enim Legislator humanus , actum ex interno & externo mixtum præcipiens , non aliter utrumque præcipit , quam vi legislativæ poteſtatis poſſit præcipere ; at ex jam dictis conſtat , actum externum ratione ſui & directe præcipi poſſe : internum vero ſolum ratione externi , proin indirecte tantum ; ergo per præceptum actus mixti ſolus actus externus directe præcipitur, internus autem tantum indirecte. Cujus ratio uberior eſt : quia Legislator humanus non aliter poteſt actum mixtum præcipere , quam poſſit de illo judicare , ac ad illum ponendum per pœnas cogere ; at judicare poteſt ſolum eatenus , quatenus ex actu externo judicat de interno : cogere item non aliter poteſt, quam cogendo ad actum externum , ex quo deinde præſumendus eſt internus ; ergo nec alia ratione poteſt præcipere actum mixtum : ita autem præcipere , eſt directe præcipere actum externum , indirecte vero internum.

Reſp. ad III. C. Maj. & N. Min. nam hoc etiam caſu actus inter-

ternus præciperetur ratione actus externi ut convenienter ponendi; præciperetur igitur tantum indirecte. At ſaltem (inquies) ſuppoſito jam præcepto actus externi, præciperetur actus mere internus, iſque ſolus; minime iſtud quidem. Numquid enim præceptum hoc ferretur in actum internum ratione externi ut convenienter ponendi? ergo ſimul actus externus convenienter ponendus præciperetur ita, ut hoc eodem præcepto novo confirmetur lex jam prius lata de actu externo.

§. V.

An Lex Humana actum aliquem prohibens hoc ipſo illum reddat non tantum illicitum, ſed etiam irritum?

QUæſtio hæc eo pertinet, ut legem inter prohibentem & irritantem ſtatuatur diſcrimen; & quia de ſola lege humana nobis eſt diſceptatio, in re eam continet controverſiam, quam alii his fere proponunt verbis: an lex humana prohibens ſit hoc ipſo natura ſua, aut ſaltem ex mente legislatoris humani, ſimul irritans? Unde videas, de hoc argumento rite judicari non poſſe, niſi prius intelligatur

Legis irritantis notio, & efficacia.

224 I. AC ad notionem quidem quod attinet: *lex irritans* ea dicitur, qua actus contra illam poſitus ita fit invalidus, ut pro nullo reputari debeat, careatque proinde effectu, quem alias ſibi habet proprium. Poteſt autem actus irritari dupliciter, directe ſcilicet vel indirecte. *Directe* irritari cenſetur tum, cum lex iis concepta eſt verbis, quibus aperte pronuntiatur actus eſſe irritus, e. g. *contractus non valeat*, *non habeat robur* &c. qualis eſt lex prohibens matrimonium Religioſi profeſſi. *Indirecte* vero, ſi ſpectato verborum contextu lex quidpiam aliud directe conſtituat, ad quod deinde ultro ſequitur

Digitized by Google

quitur irritatio; ut cum e. g. decernit perſonam eſſe inhabilem ad actum ponendum, vel ad actus valorem certam præſcribit formam, quin expreſſis verbis actum eſſe invalidum pronuntiet.

II. Sed & illud inter leges irritantes diſcrimen obſervandum eſt: quod tametſi earum qualibet invalidus reddatur actus, non tamen eadem ratione ſemper. Quod ſi enim per legem fiat irritatio verbis de præſenti, nec ulla adjiciatur reſtringens clauſula: actus contra id genus legem poſitus eſt *ipſo jure*, ſeu *ipſo facto* irritus. Contra ſi lex irritationem ſtatuat verbis de futuro, aut ad eam miniſterium Judicis aperte requirat, e. g. *irritetur*, *volumus irritari*, *volumus judicari aut declarari irritum* &c. tum actus *non ipſo facto* fit irritus ſed primum poſt Judicis ſententiam aut declarationem. Idem communiter DD. ſentiunt de irritatione per eam legem inducta, quæ *principaliter* in pœnam actum irritat: nam regulariter pœna non incurritur citra Judicis miniſterium. 225

III. Neque his tamen ſatis expedita eſt legis irritantis efficacia; controvertitur nimirum præterea: an lex humana irritans actum hoc ipſo illum ſemper pro foro etiam interno reddat irritum? Cum Vasquez & Diana affirmant multi, præſertim JCti recentiores; cum Suarez & Leſſio, contra negant alii, illud præterea ad hunc effectum requirentes, ut lex addat clauſulam, qua inſinuetur irritatio etiam pro foro interno. Poſtremis his (cum quibus ſentiendum videtur) ratio eſt: quia irritatio pro foro externo & interno ſunt effectus diverſi ita, ut abſolute poſſit actus fieri irritus pro foro externo, quin etiam ſit irritus pro interno; ergo non hoc ipſo, quod lex actum irritet, dicenda eſt irritare ſimul pro foro interno. Hanc vero illationem fundant in ſequentibus momentis. 1*mo*, lex 226

humana irritans recedit a Jure naturali, quo præciſe ſpectato actus foret pro utroque foro validus; ergo, ceu odioſa, eſt ſtrictæ interpretationis, nec extendi debet ad forum internum: nam *odia reſtringi & favores convenit ampliari*, ut habetur C. 15. de R. J. in 6. *2do*, quia rurſum per C. 30. ibid. *in obſcuris minimum eſt ſequendum*, proinde id, quod minus gravat: præſertim cum per C. 57. ibid. *contra eum, qui legem dicere potuit apertius, eſt interpretatio facienda.* Demum *3tio*, quia ad obtinendum legis irritantis finem regulariter ſatis eſt, actum eſſe pro foro externo nullum: nam ſi talem Judex pronuntiet, jam & pro foro interno naſcitur obligatio parendi ſententiæ Judicis, actumque etiam in conſcientia pro invalido ac nullo reputandi.

At de his plura laudati AA. te edocebunt. Nobis animadverſione hac compendio præmiſſa, ſupereſt reſolvenda quæſtio propoſita.

ASSERTIO.

Lex humana actum prohibens non hoc ipſo illum reddit etiam irritum.

227 Odioſa eſt ſcilicet actus irritatio: ac vel ideo nulli legi ea efficacia citra fundamentum grave eſt attribuenda; quod autem illud pro lege humana, quæ ſpectatis verbis ſit mere prohibens? Certe repetendum foret vel ex ipſa legis prohibentis natura, vel ſaltem ex mente legiſlatoris humani eam legem ferentis; at enim ex neutro horum repeti poteſt.

Non ex legis natura; ſecus nulla foret lex probibens, quin ſimul ſit irritans: nullus actus illicitus, qui non ſit una invalidus. Conſtat interim oppoſitum: nam e. g. lex Eccleſiaſtica C. fin.

Digitized by Google

fin. *de Clandeſt. Deſponſ.* olim matrimonia clandeſtina prohibens, non fuit ſimul irritans; unde id genus matrimonia vi hujus legis fuerunt tantum illicita, non etiam invalida.

Sed nec repeti poteſt ex mente legislatoris humani; quia actum *prohibere* & *irritare* ſunt effectus diverſi, iique non ita arcte connexi, ut ab invicem ſeparari nequeant: vel ex lege item nunc memorata & pluribus aliis novimus, legislatorem non velle ſemper irritare actum, quem lege ſua prohibet: demum C. 16. *de Regularib.* diſertis verbis declaratur, *Multa fieri prohibentur, quæ, ſi facta fuerint, obtinent roboris firmitatem;* non hoc ipſo igitur cenſendus eſt legislator humanus velle irritare actum, quod illum prohibeat. Unde actus contra legem prohibentem admiſſus eouſque habendus eſt pro valido, dum certum fiat expreſſe aut tacite ſaltem adjectam fuiſſe prohibitioni irritationem. Quam in rem rurſus applicandæ ſunt Juris regulæ ſup. N. relatæ: odioſa nimirum eſſe reſtringenda, in obſcuris minimum ſequendum &c.

Expediuntur Objectiones.

OBjic. I. Per legem prohibentem Superior reſiſtit ſubdito 228
quoad actum prohibitum; ergo quoad actum illum voluntas ſubditi nequit eſſe ita efficax, ut eum valide efficiat.

II. Non poſſunt eſſe actus validi, niſi eis Jus faveat; at certe non favet actibus, quos lege peculiari prohibet; id genus igitur actus hoc ipſo non ſunt validi, quod prohibeantur.

III. Lex naturalis actum prohibens ſimul illum reddit irritum; quidni proinde eadem ſit etiam legis humanæ prohibentis efficacia?

IV. Juris civilis conſtitutio l. Non dubium, C. *de legibus & Conſtitut.* ita habet: *Nec pœnas inſertas legibus evitabit, qui ſe contra juris ſententiam ſæva prærogativa verborum fraudulenter excuſat; nullum enim pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus ſubſecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente. - - imperamus, ut legislatori, quod fieri non vult, tantum prohibuiſſe ſufficiat: cæteraque quaſi expreſſa ex legis liceat voluntate colligere, hoc eſt, ut ea, quæ lege fieri prohibentur, ſi fuerint facta, non ſolum inutilia, ſed etiam pro infectis habeantur, licet legislator prohibuerit tantum, nec ſpecialiter dixerit, inutile eſſe debere, quod factum eſt* &c. Igitur legibus ſaltem Civilibus ea eſt vis ac prærogativa, ut hoc ipſo actum irritent, quod prohibeant. Quin

V. De legibus etiam Eccleſiaſticis idem ſentiendum videtur: cum Gregorius Papa cit. l. *Non dubium*, approbaverit L. 1. Regiſtri Indict. 2. Ep. 7. ubi ait: *Imperiali conſtitutione aperte ſancitum eſt, ut ea, quæ contra leges fiunt, non ſolum inutilia, ſed etiam pro infectis habenda ſint.* Præterea C. 64. de R. J. in 6. generatim dicitur: *quæ contra Jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.*

Reſp. ad I. D. Ant. reſiſtit quoad actum prohibitum, ne is fieri poſſit licite C. ne fieri etiam poſſit valide N. Fateor equidem ſubditi voluntatem non poſſe efficacem eſſe in eo, in quo ei lege ſua Superior reſiſtit; at enim per legem prohibentem, ſecundum ſe ſpectatam, reſiſtit ſolum quoad actus honeſtatem, ne ſcilicet actus poſſit fieri licite: unde quoad hoc ſubditi voluntas ita eſt inefficax, ut jam in ejus poteſtate non ſit actum ponere licite; idem nihilominus ſi ponatur, validus erit, niſi lex alia actus valori reſiſtat.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. ad II. D. Maj. non poſſunt eſſe actus validi, niſi eis Jus faveat vel *poſitive*, vel *negative* ſaltem C. niſi faveat ſpeciatim *poſitive* N. Ut nimirum actus, qui natura ſua eſt validus, jure etiam humano ſuum retineat robur, ſatis eſt, quod ejus valori jus humanum *poſitive* non reſiſtat; non reſiſtit autem, niſi actum, quem prohibet, ſimul eadem vel alia lege irritet: id quod in præſenti non fit, cum lex ſupponatur eſſe tantum prohibens.

Reſp. ad III. arbitrarie, imo falſo etiam iſtud aſſeri generatim de lege naturali prohibente; non enim hoc ipſo quivis actus eſt irritus, quia legi naturæ contrarius, ac propterea illicitus: ita matrimonium, poſt promiſſionem ſponſalitiam alteri factam cum alio initum, eſt quidem jure naturæ illicitum, ratum nihilominus ac validum. Quando autem actus lege naturæ prohibiti ſimul pro irritis habendi ſint, dictum eſt jam alias Diſſert. II. §. II. Num. 74.

Reſp. ad IV. de lege Civili, eaque nominatim Imperiali prohibente non una eſt Doctorum opinio.

Quidam cum Cl. Simonnet de Leg. Diſp. 8. Art. 5. exiſtimant, legem quamvis Civilem prohibentem in provinciis Imperio ſubjectis hoc ipſo eſſe etiam irritantem: idque propter expreſſam Imperatoris in *l. Non dubium*, conſtitutionem; addunt nihilominus hi ipſi, eam legis prohibentis prærogativam extendi non poſſe ad alias provincias, quæ uti Imperio non parent, ita ejus legibus non ſtringuntur.

Alii cum Suarez L. 5. de Leg. C. 29. priorem ſententiam ita limitant, ut vi cit. legis fateantur quidem actus lege Civili prohibitos fieri ſimul irritos: non tamen *ipſo jure & facto*, ſed primum poſt Judicis declarationem, quam is facere tenetur vir-

virtute ejusdem legis. Nec ſuo caret fundamento hæc opinio. Cum enim Imperator in cit. l. præmittat, *nec pœnas inſertas legibus evitabit*, cenſendus eſt iſthic decreviſſe irritationem pœnalem: hæc autem ſine Judicis miniſterio non incurritur. Non dicit præterea, contractum eſſe nullum, ſed *nullum videri volumus*; congrue proin exponitur locutus hoc ſenſu: volumus declarari aut judicari nullum. Nec obeſt ibid. diſerte addi: *ea, quæ lege fieri prohibentur, ſi fuerint facta, - - etiam pro infectis habeantur*; ac rurſum l. Pacta, C. *de Pactis*: *quæ contra leges - - fiunt, nullam vim habere indubitati juris eſt.* Convenienter nimirum hæc intelligi poſſunt comparate ad judicium, ita ut ſenſus ſit: pro infectis habenda, ac nullam vim habere in Judicio, in quo pro nullis declaranda ſunt; ac iſtud quidem conformiter ad Can. 10. diſt. 10. *quod contra leges accipitur, per leges diſſolvi meretur*: quæ verba deſumpta ſunt ex Joannis VIII. reſcripto ad Ludovicum Imperatorem. Opinio demum hæc oportuna eſt ad Jus Civile ſecum ipſo conciliandum: nam per l. Si quidem §. 5. ff. *Quando appellandum*, prohibetur, ne ſub conditione dicatur ſententia, ſi tamen dicta fuerit, valere illam ibid. ſtatuitur.

Utcunque interim habeat hæc JCtorum controverſia: nobis, ſi porro inſiſtamus Aſſertioni, ut eam ſuſcepimus propugnandam, cit. l. *Non dubium*, nihil faceſſit negotii. Quamvis enim ultro detur, vi illius (ut vult Simonnet) legem Civilem prohibentem eſſe ſimul irritantem: cum tamen iſtud pro ſolo Imperio obtineat; cum idem non habeatur ex vi præciſe legis prohibentis, ſed ex peculiari lege alia, qua Imperator conſtituit, ut omnes actus contra legem prohibentem poſiti ſint ſimul irriti; clarum ſit, nondum evinci actum eſſe hoc ipſo irritum, quod lege humana prohibeatur.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. ad V. De lege Eccleſiaſtica iſtud prorſus ſuſtineri nequit: tum quod nulla poſſit e jure Canonico proferri lex, quæ id aperte decernat: tum quod oppoſitum potius noverimus ex compluribus Eccleſiæ legibus, actum aliquem prohibentibus quidem, non tamen irritantibus; tum denique, quod ſupra jam laud C. 16. *de Regularib.* dicantur multa prohiberi, quæ tamen, ſi facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.

Sed nec eſt, quod quis ex Gregorii verbs, aut ex cit. C. 64. arguat. Gregorius eo loco declarat ſolum Abbatiſſæ cujuſdam teſtamentum eſſe invalidum, ut pote factum contra Juſtiniani legem, qua Monachi prohibentur teſtari; in eam rem propterea laudat memoratam l. *Non dubium*, nec tamen illam acceptat aut approbat pro jure & foro Eccleſiaſtico. Regula autem ex C. 64. de R. J. in 6. relata vel intelligenda eſt de Judicio, ut in hoc nimirum ea, quæ contra leges fiunt, pro infectis pronuncientur, ſi tamen attentis circumſtantiis irritari promeruerint; vel certe ſolum de iis actibus, qui fiunt contra leges ſubſtantialem ſtatuentes formam, ſine qua actus per eaſdem leges valere non poſſit. Niſi iſtud aut huic ſimile dicas, non erit reliquum, unde Jus Canonicum ſecum pſo concilies.

§. VI.

An Lex Humana patiatur ſui abrogationem, diſpenſationem, & interpretationem?

AD id, quod demum poſtremo de lege humana quæritur, pronum eſt reſpondere ex iis, quæ ſparſim hoc L. ac præſertim Diſſert. I. §. V. explanavimus; hinc nunc paucis, neque niſi Aſſertione unica reſponſum complectemur.

ASSERTIO.

Lex humana abrogari poteſt; eademque patitur tam diſpenſationem quam interpretationem.

229 PArs I. de abrogatione conficitur argumento, quod Scholæ dicunt *ab actu ad potentiam.* Complures ſcilicet in Jure Canonico æque ac Civili leges reperias, quas progreſſu temporis abrogatas novimus: idque factum legitime in dubium nemo revocat; non ſunt igitur leges humanæ natura ſua ita perpetuæ, ut mutari ac deſinere non poſſint. Ac omnino cum vel divina lex poſitiva ſui abrogationem admittat, ut conſtat exemplo legis Moſaicæ: cur non eidem humana etiam ſubjiciatur? Imo hæc potiori jure; præterquam quod enim a legislatore humano feratur libere, ac vel ideo uti quoad primam ſui exiſtentiam, ita quoad durationem etiam a libera ejus voluntate dependeat: præterea (cum homo prævidere non poſſit omnia) pronum eſt evenire quandoque circumſtantias, in quibus lex lata non amplius in commune bonum deſerviat, imo eidem ſit noxia, atque adeo integre ceſſet finis legi proprius ac neceſſarius. Unde certum ſit, legem humanam non tantum poſſe, ſed & quandoque debere abrogari. Cujus porro auctoritate, qua item ratione per ceſſationem finis a legislatore intenti, aut legis revocationem tacitam vel expreſſam abrogatio hæc fieri poſſit, cit. §. V. jam dictum eſt a N. 46.

230 Pars II. de diſpenſatione perinde indubia redditur eodem argumento. Certe tam in ſacra quam profana Republica uſus obtinuit, ut a Principe quandoque fieret legis quoad obligationem aliquorum ſubditorum relaxatio: quæ ſi certo definiatur tempore, dicitur *diſpenſatio in lege;* ſi vero concedatur in perpetuum, *privilegii contra legem* nomen habet. Copioſa id genus gratiarum exempla leguntur in Juris utriusque Codicibus, ac Pontificum & Principum indultis per reſcripta peculiaria conceſſis.

Digitized by Google

ceſſis. Neque omnino ulla eſt ratio, cur legislatori humano negetur poteſtas diſpenſandi in ſua lege, quando certum eſt poſſe illam ab eo etiam abrogari. Qua ratione autem ſeu a legislatore, ſeu ab ejus ſucceſſore, vel delegato poteſtas hæc exercenda ſit, rurſum vide cit. §. a N. 50. Illud in univerſum dici poteſt, duos hic potiſſimum cavendos eſſe ſcopulos; ne ſcilicet aut nimium ſevera ac pertinaci legum exactione in ſævitiem degeneret regimen: nam (quod ait Symmachus P. in Epiſt. ad Avit.) *legi inſiſtere, cum ejus obſervantia infert præjudicium, crudelitatem ſapit;* aut frequenti admodum vel incauta legum relaxatione penitus diſſolvatur morum diſciplina: cum alioquin diſpenſatio quælibet ſit legis vulnus, & (ut Auguſtinus habet) *plaga diſciplinæ.* Hinc eſt quod Trident. Seſſ. 25. in Decr. Reform. C. 18. moneat: *ſicuti publico expedit legis vinculum quandoque relaxare, - - ſic frequentius legem ſolvere - - nihil aliud eſt, quam unicuique ad leges tranſgrediendas aditum aperire;* & mox ibid. etiam tum, cum *urgens & juſta ratio - - poſtulaverint cum aliquibus diſpenſandum eſſe, id cognita cauſa, ac ſumma maturitate - - præſtandum* &c.

Pars III. de interpretatione rurſus controverti non poteſt, 231
adeo certus eſt illius in Jure utroque uſus. Ac ſi quidem quæſtio fiat de interpretatione minus propria, quæ eſt mera legis obſcuræ explicatio: cum ea vel in lege naturali & divina poſitiva locum habeat, prorſus ab ea eximi nequit lex humana. Hinc eſt, quod ipſum Jus ultro ſuggerat regulas, interpretandis legibus oportunas, ut ſunt illæ: *in obſcuris minimum eſt ſequendum; odia reſtringi, favores convenit ampliari; contra eum, qui legem dicere potuit apertius, interpretatio eſt facienda &c.* Sed & interpretatio proprie dicta, quæ ἐπιείκεια vocatur, non modo fieri poteſt, verum fieri quandoque illam eſt etiam neceſſarium. Non raro nimirum evenit, ut feratur

Digitized by Google

lex generatim, menſque legiſlatoris ſit ea omnes ſine ullo diſcrimine obligare: cum interea emergant circumſtantiæ ab eo non prævisæ, in quibus ejus legis obſervationem urgere ab æquitate foret diſſentaneum; quidni igitur tum (ut revera fieri novimus) liceat benigna interpretatione legem corrigere, prudenter ſcilicet præſumendo, neutiquam legiſlatorem pro eo caſu, ſi prævidiſſet illum, obligaturum fuiſſe. Certe & huic interpretationi favent recepta Juris pronunciata: *placuit in omnibus præcipuam eſſe juſtitiæ, æquitatisque, quam ſtricti Juris rationem*; item, *in omnibus quidem, maxime tamen in Jure, æquitas ſpectanda eſt.*

LI-

Digitized by Google

LIBER II.

De Legum Transgreſſione, ſeu Peccatis.

Librum hunc tres Diſſertationes definient. I. aget de Peccato generatim ſpectato. II. de peccato Perſonali. III. de peccato Originali. Pro fronte Libri adnotabimus quædam iſthuc pertinentia Oecumenicorum Conciliorum Decreta, tum & Propoſitiones a Pontificibus damnatas.

DECRETA CONCILIORUM.

Concil. Conſtantinopolitanum I. An. 381. *edidit Symbolum, in quo profitetur unum Baptiſma* in remiſſionem peccatorum.

Epheſinum A. 431. *Can.* 4. *ſtatuit.* ut qui cum Neſtorio aut Cœleſtio ſentiunt, deponantur. *Decreto hoc proſcripta eſt doctrina Cœleſtii, qui (præter alia) cum reliquis Pelagianis docebat,* nullum dari originale peccatum.

Conſtantienſe An. 1414. *Seſſ.* 15. *ac rurſum An.* 1418. *Seſſ.* 45. *eaque ultima ſolemni Decreto, ipſo S. P. Martino V. ſubſcribente, damnavit Joannis Hus doctrinam Articulis* 30. *comprehenſam, quorum* 16. *quoad membrum argumenti noſtri ita habet:* Si homo eſt vitioſus, & agit quicquam, tunc agit vitioſe; - - vitium, quod crimen dicitur, ſeu mortale peccatum, inficit univerſaliter actus hominis vitioſi.

Tridentinum Seſſ. 5. *in Decr. de peccato origin. de hoc ipſo ſeqq. Canones edidit.*

I. Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiſo fuiſſet transgreſſus, ſtatim ſanctitatem & juſtitiam, in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe, incurriſſeque - - iram & indignationem Dei, atque ideo mortem, - -

& cum morte captivitatem ſub ejus poteſtate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc eſt, diaboli, - - anathema ſit.

II. Si quis Adæ prævaricationem ſibi ſoli, & non ejus propagini aſſerit nocuiſſe; & acceptam a Deo juſtitiam, quam perdidit, ſibi ſoli, & non nobis etiam eum perdidiſſe; aut -- mortem & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudiſſe, non autem & peccatum, quod mors eſt animæ, anathema ſit.

III. Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum eſt, & propagatione, non imitatione transfuſum omnibus, ineſt unicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium aſſerit tolli, quam per meritum unius Mediatoris D. N. J. Chriſti &c. anathema ſit.

IV. Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamſi fuerint a baptizatis parentibus orti; aut dicit, in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, - - anathema ſit.

V. Si quis per J. C. Dom. noſtri gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat: aut etiam aſſerit, non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, - - anathema ſit.

Ibid. addit: Manere in baptizatis concupiſcentiam vel fomitem, hæc S. Synodus fatetur & ſentit &c. *Ac mox:* Hanc concupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, S. Synodus declarat, Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari, quod vere & proprie in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium ſenſerit, anathema ſit.

Demum hoc Decretum ita concludit. Declarat tamen hæc ipſa S. Synodus, non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam & immaculatam V. Mariam Dei Genitricem; ſed obſervandas eſſe

Con-

Digitized by Google

Conſtitutiones fel. record. Sixti P. IV. ſub pœnis in eis Conſtitutionibus contentis, quas innovat.

Idem Tridentinum Seſſ. 6. in Decr. de Juſtificat. præter quam quod Cap. 1. *declaret*, omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdidiſſe; *item Cap.* 11. juſtos, quantumvis in levia, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea deſinere eſſe juſtos; *& Cap.* 15. non modo infidelitate, ſed etiam quocunque alio peccato mortali, quamvis non amittatur fides, acceptam juſtificationis gratiam amitti: *præter hæc inquam peculiaribus Canonibus definit ſequentia.*

Can. VI. Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera ita, ut bona, Deum operari, non permiſſive ſolum, ſed etiam proprie & per ſe, adeo ut ſit proprium ejus opus non minus proditio Judæ quam vocatio Pauli, anathema ſit.

XXIII. Si quis hominem ſemel juſtificatum dixerit amplius peccare non poſſe, neque gratiam amittere, - - aut contra, poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Eccleſia; anathema ſit

XXV. Si quis in quolibet bono opere juſtum ſaltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius eſt, mortaliter, - - anathema ſit.

XXVII. Si quis dixerit nullum eſſe mortale peccatum, niſi infidelitatis, aut nullo alio quantumvis gravi & enormi, præterquam infidelitatis peccato ſemel acceptam gratiam amitti; anathema ſit.

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

A Leone X. Lutheri Artic. II. In puero poſt baptiſmum negare remanens peccatum, eſt Paulum & Chriſtum ſimul conculcare.

III.

III. Fomes peccati, etiamſi nullum adſit actuale peccatum, moratur exeuntem a corpore animam ab ingreſſu cæli.

XXXI. In omni opere bono juſtus peccat.

XXXII. Opus bonum optime factum eſt veniale peccatum.

XXXV. Nemo eſt certus ſe non ſemper peccare mortaliter, propter occultiſſimum ſuperbiæ vitium.

A Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. Michaelis Baji Propoſ. XX. Nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.

XXXV. Omne, quod agit peccator vel ſervus peccati, peccatum eſt.

XLVI. Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium.

XLVII. Peccatum originis vere habet rationem peccati ſine ulla ratione ac reſpectu ad voluntatem, a qua originem habuit.

LI. Concupiſcentia, ſive lex membrorum, & prava ejus deſideria, quæ inviti ſentiunt homines, ſunt vera legis inobedientia.

LVI. In peccato duo ſunt: actus & reatus; tranſeunte autem actu nihil manet niſi reatus ſive obligatio ad pœnam.

LXVII. Homo peccat, etiam damnabiliter in eo, quod neceſſario facit.

LXXIII. Nemo præter Chriſtum eſt abſque peccato originali; hinc beata Virgo mortua eſt propter peccatum ex Adam contractum, omneſque afflictiones ejus in hac vita, ſicut & aliorum juſtorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.

Ab

Digitized by Google

Ab Innocentio X. Alexandro VII. & Clemente XI. Cornelii Janſenii Propos. III. Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione.

Ab Alexandro VIII. An 1690 Propoſitio II. Peccatum Philoſophicum, ſeu, morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali & rectæ rationi; Theologicum vero & mortale eſt transgreſſio libera Divinæ legis. Philoſophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non offenſa Dei: neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

DISSERTATIO I.

DE PECCATO GENERATIM SPECTATO.

§. I.

Quid apud Theologos peccati nomine veniat? ac in quo illud generatim conſiſtat?

Arctiſſima eſt peccati cum Lege connexio, aut (ſi mavis) neceſſaria ad illam relatio. Ut enim lex ſine peccato dari poſſit, non tamen hoc abſque illa: quid namque peccatum, niſi transgreſſio, ſeu prævaricatio? *ubi* autem *non eſt lex, nec prævaricatio*, teſte Apoſtolo ad Rom. 4. Convenienter proinde ad rerum ordinem Legum explanationi ea ſubjicimus, quæ non utilem tantum, verum & neceſſariam Théologo de legum

Rr trans-

transgreſſione, hoc eſt, peccatis notitiam poſſint ſufficere. Ac Diſſertatione hac quidem ſolum peccati generatim ſpectati natura ſuis cum proprietatibus explicanda erit; quod reliquum eſt, atque ad ſummas ejus ſpecies, perſonale ſcilicet & originale peccatum pertinet, deinceps expediemus.

Varia peccati acceptio, ejusque a vitio differentia.

1 I. SI peccatum ſenſu latiore ac improprio ſumas, vocabulum hoc commune eſt cuilibet defectui aut exceſſui cum naturæ vel etiam artis ordine pugnanti; hinc non raro legas monſtroſos partus dici peccata naturæ, male efformatam ſtatuam peccatum artis &c. Eodem nomine vel in S. Literis deſignatur nonnunquam peccati proprie ſumpti materia, occaſio, effectus, cauſa, hoſtia, pluraque id genus alia, quæ quandam cum peccato analogiam habent. Ita Deuter. 9. Moyſes vitulum aureum, quem Iſraelitæ conflaverant, peccatum vocat: ſeu quod materia, ſeu quod occaſio fuerit peccati. Apoſtolus item ad Rom. 7. concupiſcentiam dicit peccatum, non quod revera peccatum ſit; ſed quod ejus ſit effectus & cauſa, orta ſcilicet ex peccato originali, ſimulque inclinans ad peccatum perſonale. Secundum eundem 2. Cor. 5. Chriſtus pro nobis factus eſt peccatum, hoc eſt, oblatus eſt in hoſtiam, qua expiaretur peccatum. Sed nimirum hæ, aliæque non abſimiles impropriæ peccati acceptiones ad propoſitum noſtrum penitus non faciunt: quando de eo duntaxat agendum nobis, quod vero ac proprio apud Theologos ſenſu ſit peccatum. Atque hoc nomine ea ſolum venit actio, vel quaſi actio, quæ contra legem morum ita admittitur, ut, ceu moraliter mala, operantem reddat dignum vituperio & pœna.

2 II. Eadem eſt fere vitii quoque quoad acceptionis varietatem conditio. Quamvis enim omne id, quod a recto ordine

Digitized by Google

ne & regula deviat, vitium dicatur: ut plurimum nihilominus, cum de vitio animi ſermo eſt, hoc nomine intelligi ſolet peccatum proprio ſenſu ſumptum. Neque tamen hæc propterea invicem confundenda ſunt: ipſi quippe Patres, cum preſſius loqui volunt, peccatum inter & vitium diſcrimen faciunt, ita ut vitium quidem ſit illis habitus inclinans ad actus malos, peccatum vero ipſe actus malus. Diſcrimen hoc S. Auguſtinus inſinuat L. de Perfect. Juſtit. C. 2. ubi, a vitio corporis comparatione facta ad vitium animi, his verbis ſeſe explicat. *Ipſum ſane vitium, quo claudicat homo, nec pes eſt, nec corpus, nec ipſa claudicatio: quæ utique non eſt, quando non ambulat, cum tamen inſit vitium, quo fit claudicatio, quando ambulat; ſic & in homine interiore animus res eſt, rapina actus eſt, avaritia vitium eſt, id eſt qualitas, ſecundum quam malus eſt animus, etiam quando nihil agit* &c. Et D. Thomas 1. 2. qu. 71. Ar. 3. vitium ab actu vitioſo diſtinguens, vitium nominat habitum malum: ac propterea peccatum, id eſt, actum malum, ait eſſe pejus vitio.

De natura peccati errores, & doctrina orthodoxa.

I. Certa adeo eſt peccati exiſtentia, ut nemo uſquehuc eo- 3
rum, qui quidem Numen aliquod colunt, penitus illam inficiaretur; niſi forte quis tales fuiſſe velit Libertinos, Coppino & Quintino auctoribus ineunte Sec. XVI. exortos, cum docerent, nihil ab homine, ſed a Deo fieri omnia: peccatum proinde nihil eſſe præter falſam opinionem, ut quod ipſum a Deo fiat, Deus autem nihil mali faciat. Non defuerunt contra, qui, admiſſa peccati exiſtentia, exiſtimarunt illud ita nonnunquam committi, ut non imputetur ad culpam. Atque ex horum claſſe Lutherum fuiſſe, ambigi nequit; quid enim dialogus ille, quem pro libertate Evangelica pugnans in Comment. ad Gal. C. 2. inſtituit his verbis: *ſi conſcientia dictat,* pec-

peccaſti: reſponde, peccavi; ergo Deus puniet & damnabit? non &c. quid inquam hæc (ſi vel cum Kemnitio in Exam. Conc. Trid. ad Can. 7. & 8. doctrinam Lutheri emollitam velis) indicant aliud? quam fideles peccare quidem, nec tamen peccatum illis imputari. Huic ſimilem (novo adjecto alio) errorem cæpit ſpargere Iſaac Peyrerius, qui (aut certe ejus ſectatorum aliquis) Anno 1655. edidit Librum, cui titulus: *Præadamitæ, ſive Exercitatio ſuper V.* 12. 13. & 14. *C.* 5. *Epiſt. Pauli ad Rom.* itemque haud multo poſt alterum, quem inſcripſit *Syſtema Theologicum ex Præadamitarum hypotheſi.* In utroque ante Adamum homines (quos neſcio) conditos ſomniat, qui ita peccaverint, ut peccatum illis Deus non imputaret, idque defectu legis tum nondum latæ. Quam in rem potiſſimum ad cit. Cap. V. 13. provocat, ubi Apoſtolus, *uſque ad legem*, inquit, *peccatum erat in mundo; peccatum autem non imputabatur, cum lex non eſſet.* Sed enim ſomniatoris hujus inſaniam ſatis prodit tum res ipſa: tum laudati Capitis contextus: tum denique ex Gen. 2. V. 5. quo dicitur ante Adam *non fuiſſe hominem, qui operaretur terram.* Error autem Lutheri convellitur vel ex iis, quibus L. I. Diſſert. I. a N. 30. comprobatum eſt, fideles per legem Evangelicam non eximi a legum obſervatione.

4 II. Errores alii longe propinguius naturam peccati everſum eunt. Huſſii opinione (ut patet ex ejuſdem Art. 16. a Conc. Conſtant. damnato) vel unum peccatum grave omnes actus hominis ita inficit, ut quidquid agat, vitioſe agat. Luthero remanens poſt Baptiſmum concupiſcentia peccatum erat; idem in omni opere bono juſtum peccare, imo opus bonum, tametſi optime factum, venialibus ſaltem peccatis accenſendum exiſtimabat: quæ omnia legere eſt in Lutheri articulis a Leone X. proſcriptis. Utriuſque parte aliqua errores Michael Bajus (ut

omittam

Digitized by Google

omittam alios) ſecutus eſt, ſeu cum diceret omne id, quod peccator ageret, eſſe peccatum: ſeu cum concupiſcentiam peccatis adnumeraret; illud etiam ſpeciatim adjiciens, ad rationem peccati adeo non pertinere voluntarium, ut homo damnabiliter peccet etiam in eo, quod neceſſario facit: quod ipſum Janſenius quoque opinatus eſt. Vide pro fronte L. notatas Baji propoſitiones 35. 46. 51. & 67. & Janſenii propos. 3.

III. Contraria his omnibus eſt orthodoxorum doctrina; ſe- 5
cundum quam non minus certum eſt peccatum ita exiſtere, ut vel juſtis, ſi in illud lapſi fuerint, imputetur: ac non aliud peccati rationem habere poſſe, niſi quod voluntaria ac libera fuerit legis divinæ tranſgreſſio. Unde, dum DD. orthodoxi in definienda peccati natura in varias abeunt ſententias, ut cum e. g. alii eam explicant per oppoſitionem cum natura rationali, vel cum fine ultimo, cum virtute alii, alii cum lege &c. nihil iſthic in re ipſa intercedit diſſidii; tota controverſia ad unam definitionis prærogativam pertinet, aliis quidem hac, aliis alia ratione, alioque verborum contextu exiſtimantibus peccati naturam clarius ac explicatius proponi. Qua in re nobis cum anxie tricari non ſit animus, ſatis habebimus, receptis ut plurimum apud DD. Scholaſticos verbis de peccati natura pronunciare.

ASSERTIO.

Peccatum in communi, prout a Theologis conſideratur, eſt libera legis divinæ transgreſſio.

Duo igitur peccati generatim ſumpti naturam conficiunt: le- 6
gis divinæ transgreſſio, & transgreſſionis libertas. Utrumque iſtud in actu humano ſi reperiatur, ſejungi nequit actus a peccato: contra ſi vel alterutrum deſit, a peccato immunis eſt.

Digitized by Google

Ac primum quidem requiri docemur ex Apoſtolo, juxta quem ad Rom. 4. *ubi non eſt lex*, *nec prævaricatio*; & ibid. C. 7. peccatum ait ſe non cognoviſſe, niſi per legem: *ſine lege enim peccatum mortuum erat*, *ſed cum veniſſet mandatum*, *peccatum revixit*; cenſuit ergo peccatum dari non poſſe citra legis divinæ, de qua una cit. locis loquitur, prævaricationem, ſeu transgreſſionem. Eadem fuit mens Patrum. *Quid eſt* (inquit Ambroſius L. de Paradiſo C. 8) *peccatum*, *niſi prævaricatio legis divinæ*, *& cæleſtium inobedientia præceptorum?* Et Auguſtinus L. 22. contra Fauſt. C. 27. *peccatum eſt factum*, *vel dictum*, *vel concupitum aliquid contra æternam legem*; ac rurſum Conc. 25. in Pſ. 118. *ſi prævaricantes ſunt* (*ut docet Pſaltes*) *omnes peccatores terræ*, *nullum eſt utique ſine prævaricatione peccatum*: *nulla eſt autem prævaricatio ſine lege.* Idem evincit ratio theologica: cum enim lex Dei ſit morum regula, ſicut fieri nequit, ut actus ſit honeſtus, quin alicui legi divinæ conformetur; ita moraliter malus, ſeu peccatum eſſe non poteſt, niſi ab ea deficiat: deficit autem, ſi ſit legis transgreſſio.

Alterum etiam eſſe neceſſarium quis in dubium revocet? quando nulla actio (idem eſt de omiſſione, quæ in æſtimatione morali actioni æquivalet) peccatum eſſe poteſt, niſi agenti imputari poſſit, eumque vituperio & pœna dignum efficiat; profecto autem ejusmodi non eſt, ſi transgreſſio non fiat libere ita, ut in poteſtate agentis fuerit eamdem omittere. Adde: univerſim omnes ad vitandum peccatum obligari; peccatum igitur non eſt ulla actio, quæ non ſit libera, cum dari nequeat obligatio ad id, quod agentis poteſtatem excedit. Hanc jam vero libertatem eam eſſe oportere, quam *indifferentiæ* dicimus, iſthic ſupponitur ex ea Theol. parte, quæ de Actibus hum. diſputat. Ac merito iſtud quidem, ſi vel communem conſulamus ſenſum. *Nec hi libri obſcuri* (ait Auguſtin. L. de duab animab. C. 11.) *mihi ſcrutandi erant*, *unde diſcerem*, *neminem vituperatione*, *ſuppliciove* di-

dignum, qui aut id velit, quod juſtitia velle non prohibet: aut id non faciat, quod facere non poteſt. Nonne iſta cantant & in montibus paſtores, & in theatris poetæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis &c. Dein ibid. C. 12. *peccati*, inquit, *reum tenere quenquam, quia non fecit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt & inſaniæ.* Jure igitur damnata eſt Baii propos. 46. & 67. itemque Janſenii propos. 3.

Dubitationibus occurritur.

NUm legis divinæ transgreſſio ad rationem peccati ſit ita neceſſaria, ut ſecus peccatum vel in Theologorum ſenſu conſiſtere nequeat, dubitari poteſt ex ſeqq. capitibus.

I. Receptum eſt axioma, *aliqua ſunt mala, quia prohibita: aliqua prohibita, quia mala*; jam igitur ante omnem legem dantur actus aliqui moraliter mali, qui ipſi ſunt peccata: poteſt ergo dari peccatum, quod non ſit divinæ legis transgreſſio. Ac omnino

II. Peccatum id genus videtur eſſe, dum quis ex conſcientia invincibiliter erronea judicans in aliquo caſu ſe obligari ad mentiendum, mendacium nihilominus omittit: quæ omiſſio utique non eſt legis divinæ transgreſſio, cum Deus nulla lege mendacium præcipiat.

III. Cum legislator humanus (ut alias dictum) legibus ſuis obligare poſſit in conſcientia, indubium eſt, actus legi humanæ contrarios eſſe peccata; at hæc rurſum non ſunt transgreſſio legis divinæ, ergo &c.

Reſp. ad I. argumento hoc id evinci unum, poſſe dari peccatum, quod non ſit transgreſſio legis divinæ poſitivæ: non

item

Digitized by Google

item citra alicujus legis divinæ, ſaltem naturalis, transgreſſionem. Objecti nimirum axiomatis ſenſus eſt: aliqua eſſe prohibita, non quia ante prohibitionem omnem ſunt mala *formaliter*, ſeu malitia *formali* peccato propria; verum quia mala ſunt *inchoative* ac *fundamentaliter*, hoc eſt, quia exigunt prohiberi: cum ex adverſo ea, quæ dicimus mala, quia prohibita, in ſe ipſis fundamentum non habeant, cur a Deo prohiberi debeant neceſſario. Vide in hanc rem dicta ſparſim L. I. Diſſert. II. de Leg. Nat. præſertim in Reſp. ad II. N. 75.

Reſp. ad II. eo caſu mendacii omiſſionem non eſſe quidem contra Legem Dei directam, qua ſcilicet ipſum mendacium præcipiat: eſſe tamen contra legem reflexam, qua univerſim obligamur ad ſequendum conſcientiæ dictamen, quod invincibiliter exiſtimamus rectum. Hæc ipſa interim lex reflexa *per ſe* nunquam obligat ad mendacium: verum *per accidens* duntaxat, ex hypotheſi ſcilicet erroris invincibilis, quem Deus non intendit. Unde hoc caſu mendacium omittere, eſſet mere *materialiter* obſervare legem, qua Deus directe prohibet mendacium: eadem contra omiſſio eſſet *formalis* transgreſſio memoratæ legis reflexæ. Quid autem (inquies) cenſendum de eo, qui e. g. furtum vellet affectu conditionato, ſi Deus ſcilicet illud non prohiberet? peccaturum ajo & hunc: nam affectus etiam ejusmodi ob periculum præſertim illos comitans, lex divina prohibet.

Reſp. ad III. transgreſſionem legis humanæ ſimul eſſe ſaltem indirecte & mediate transgreſſionem legis divinæ: id quod ad rationem peccati ſatis eſt. Conſule de hoc argumento L. I. Diſſert. IV. Num. 212. in Reſp. ad III. Quæ præterea a peccato ſeu omiſſionis, ſeu veniali opponuntur, repetenda erunt ex dicendis ſequ. Diſſert. §. II. & V.

Liber-

Digitized by Google

Libertatem indifferentiæ ad peccatum requiſitam plura in 8
dubium revocare videntur; quia interim argumentum hoc Tractatui de Act. hum. eſt proprium, iſthicque a nobis libertatis ejus neceſſitas non tam propugnatur, quam ſupponitur, nunc quidem quaſi per occaſionem hæc pauca retuliſſe ſuffecerit.

I. Eſt, quod actus divinæ legi contrarius, tametſi ponatur neceſſario, Deo nihilominus diſpliceat, ſitque adeo peccatum.

II. Quod in damnatis animabus non detur libertas ad omittendum Dei odium: nemo tamen illud negaverit eſſe peccatum, & quidem proprie tale.

III. Quod in Chriſto adhuc viatore meritorii fuerint actus charitatis, licet in poteſtate ejus non fuerit non diligere Deum, utpote cujus immenſam bonitatem intuitive cognoſcebat; cur igitur etiam demeritorius actus, qualis eſt peccatum, dari nequeat, quamvis ita ponatur, ut omitti non potuerit?

Reſp. ad I. actus ejuſmodi diſplicere quidem Deo: ad id quippe ſatis eſt, ut actio ſit ex ſe, hoc eſt, *objective* & *materialiter* mala; iidem attamen in ſenſu theologico non ſunt peccatum: cum ad hoc præterea requiratur actionem ita poni, ut propter illam operans jure poſſit odio haberi & puniri. Qui autem iſtud? ſi operanti actus imputari nequeat, uti certe imputari nequit, dum ponitur neceſſario, neceſſitate ſcilicet libertati indifferentiæ oppoſita.

Reſp. ad II. damnatos per odium Dei, maledicta, aliosque actus ſimiles peccare omnino: ut enim hæc ex ſtatus ſui circumſtantiis morali quadam neceſſitate faciant, non deeſt illis tamen potentia abſoluta (quam dicimus phyſicam) ad eorum

actuum omiſſionem. Jure igitur damnatis animabus imputantur actus illi: ac vel ideo, *per ſe* loquendo, redduntur dignæ novo ac majore Dei odio, quin & novis gravioribus ſuppliciis, niſi forent extra ſtatum viæ, in quo uno locus eſt merito & demerito.

Reſp. ad III. qua ratione Chriſtus per actum e. g. charitatis mereri potuerit, ex propoſito explicari ea Parte, qua de Incarnat. agitur. Nunc, ut difficultati objectæ occurras, ſupponendum eſt: actus quoad ſubſtantiam neceſſarios Chriſto, liberos eidem fuiſſe quoad actus individuum, ita videlicet, ut hunc numero, eumque ratione aliqua perfectiorem, libere elegerit præ alio.

Corollarium

De peccato (ut vulgo dicitur) Philoſophico.

Familiare eſt quibusdam hoc loco contra receptam peccati definitionem argutari a peccato *philoſophico;* ne quid proinde videamur præteriiſſe, de hoc quoque, quid videlicet ſit? quidve de eo ſentiendum? ſtrictim ſaltem dicendum eſt.

9 I. Complures cum Recupito & Victoria haud obſcuri nominis Theologi exiſtimarunt, præter peccatum, quod ſit divinæ legis transgreſſio, quodque communiter *theologicum* dicitur, aliam etiam, atque ab hoc diverſam, dari peccati ſpeciem. Tale ajebant eſſe actum moraliter malum, qui naturæ rationali & rectæ rationi diſconveniat, non item legi divinæ: ac propterea, quamvis grave peccatum ſit, non eſſe tamen offenſam Dei; dictum idcirco *philoſophicum*, quod Philoſophi ſit actus morales expendere cum relatione ad rationem. Qua de re cum An. 1686. Divione in Gallia theſis quædam a Franciſco Muſſnier propugnaretur, eadem ſubinde (verbis tamen quibusdam

mu-

Digitized by Google

mutatis) ad Romanos Cenſores delata, demum An. 1690. ab Alexandro VIII. in Decreto contra duas propoſitiones, ordine ſecunda, damnata eſt ſub iis terminis, quibus eam inter alias huic Libro præfixas retulimus.

II. Neque jam fuit, qui hoc peccati genus abſolute dari ſuſti- 10
neant: imo complures, laudato Alexandri Decreto perculſi, ne quidem ullo ſenſu illud ſuſtineri poſſe contendunt. Verum aliis non ſat certum videtur, quo nominatim ſenſu proſcripta ſit cit. propoſitio; hinc vi illius præciſe non putant univerſim prohibitam eſſe opinionem peccato philoſophico faventem. Ac meam quidem ſi requiras ſententiam: cenſeo inprimis memoratæ propoſitionis partem primam, qua continetur peccati philoſophici mera definitio, non damnari; ſecus, cum copulativa ſit, perinde damnaretur adjecta peccati theologici definitio. Sed nec altera ejusdem propoſitionis pars videtur proſcripta, niſi ut generatim ſumitur, huncque facit ſenſum: *omnis ignorantia Dei, ſeu ea vincibilis ſit, ſeu invincibilis, ab offenſa Dei excuſat operantem contra rectam rationem.* Unde ſunt etiamnum, qui cum Platelio doceant, dari poſſe peccatum mere philoſophicum ex hypotheſi (quanquam hæc mea quidem opinione ſe ipſam evertat, ut ex N. ſequ. patebit) invincibilis omnimodæ ignorantiæ Dei: ſi videlicet quis invincibiliter penitus ignorans Deum, nec ullatenus ad eum advertens, poneret nihilominus actionem rationi repugnantem, ac propterea ut illicitam, & moraliter malam.

III. Utut ſit interim de propoſ. hujus damnatæ ſenſu, cer- 11
tum videtur, non poſſe dari peccatum mere philoſophicum. Quamvis enim, ad breve ſaltem tempus, non repugnet invincibilis ignorantia Dei: fieri tamen nequit, ut ne quidem ſub conceptu implicito Deus tum cognoſcatur, dum quis advertit ſe

Digitized by Google

male agere contra dictamen rectæ rationis. Vel ideo nimirum, quod ratio dictet actum eſſe in foro interno illicitum, ſimul pro eodem conſcientiæ foro proponit obligationem cum vitandi; quisquis igitur in conſcientia ſe male agere advertit, non poteſt non una advertere, agere ſe contra voluntatem ejus, qui in conſcientia obligandi poteſtatem habeat: hic vero cum ſolus ſit Deus, eo ipſo implicite ſaltem cognoſcitur. Unde ſimul colligitur, dari non poſſe omnimodam Dei ignorantiam, quæ ſit vincibilis & culpabilis; hæc enim (ut ſupponitur) foret peccatum: nihil autem eſt peccatum, quod non ſit contra obligationem in conſcientia, eamque agnitam: quæ ipſa cognitio eſt implicita ſaltem & confuſa Dei notitia. Quo igitur (inquies) nomine peccati reos dicimus, qui Deum vincibiliter ignorant? propterea: quia negligentia eorum fit, ut explicita & clariore Dei notitia deſtituantur, quam ſibi comparare & facile poſſent, & deberent. Atque hæc conformiter ad ea principia, quæ L. I. de Lege Nat. ſtatuimus; quæ quidem ſi cum modo dictis conferas, manifeſto patebit, nihil omnino eſſe, quod culpæ philoſophicæ Patroni contra Aſſertionem a nobis ſtatutam poſſint arguere.

§. II.

Quæ ſit peccatorum varietas? unde item eorum in ſpecie aut numero differentia repetenda?

Quamvis nihil omnino rationem peccati habeat, quod non ſit divinæ legis transgreſſio: nec tamen propterea (ut fide docemur) par eſt peccatorum omnium conditio; hinc jam Deut. 25. dictum, *pro menſura peccati erit & plagarum modus.* Quanta porro hæc ſit varietas, non aliunde innoteſcet certius, quam ſi peccatum in genere ſumptum, ceu totum ali-

aliquod morale , in ſuas dividamus partes, harumque naturam ſpeciatim deſignemus: tum & generalia quædam ſtatuamus principia , quorum ductu definiri poſſit , quæ peccata in ſpecie differant, quando item peccatum ſpecie unum ſit numero multiplex. Primum ad quasdam hujus L. controverſas quæſtiones rite intelligendas præliminarium inſtar deſerviet : alterum ad regendas fidelium conſcientias, & maturo judicio ferendam in ſacro Pœnitentiæ tribunali ſententiam erit ſubſidio.

Peccati generatim ſumpti in ſua membra diviſio.

I. SI ſubjectum, cui imputatur peccatum , aut ipſe peccati 12
actus , vel demum lex-actui oppoſita ſpectentur , in hæc præcipue membra peccatum generatim ſumptum dividendum eſt. Ac primo quidem loco in *perſonale* , & *originale:* illud eſt, quod voluntate phyſice propria ab aliquo admittitur; hoc, quod voluntate phyſice aliena contractum in alios quoque per viam generationis transfunditur, uti eſt pecatum Adami in ejus poſteros transfuſum. Perſonale eſſe poteſt peccatum *commiſſionis*, vel *omiſſionis ;* utrumque rurſus vel *actuale*, vel *habituale ;* hæc omnia demum *mortale*, aut *veniale.* Peccatum *commiſſionis* dicitur, quo quis præceptum negativum, uti ſunt, non occides , non furtum facies &c. per actum poſitivum violat ; *omiſſionis* vero, dum præcepti affirmativi , e. g. diliges Dom. Deum tuum &c. per actus præcepti omiſſionem fit transgreſſio. *Actuale* eſt, quod in præſenti re ipſa comittitur ; idem autem antea commiſſum, nondum tamen remiſſum , ac propterea moraliter, ſeu in prudenti æſtimatione etiamnum perſeverans, *habituale* vocatur. Quodlibet horum demum, ſi ſit contra legem Dei graviter obligantem, eſt *mortale*: quia ſanctificante gratia , ſpirituali proinde animæ vita, privat hominem, ſimul eum reddens dignum odio Dei, & pœna æterna ; *venia-*

le ex adverſo (quod veniam facilius obtineat, ſic dictum) eſt contra legem tantum leviter obligantem: hinc mortem animæ non affert, nec Dei cum homine amicitiam diſſolvit, peccantem nihilominus dignum efficit levi aliqua Dei diſplicentia & temporali pæna.

13 II. Altera diviſio repetitur ex peccati objecto, modo, aut aliquo peculiari attributo. Ita peccatum aliud dicitur *ſpirituale*, aliud *carnale*: hoc pro objecto carnis delectationem habet, & per corporis organa conſummatur, ut gula, luxuria &c. illud mero actu interno perficitur, nec ad carnis voluptatem refertur, ut eſt ſuperbia, invidia &c. ſæpe nihilominus etiam id genus peccata (ut ad Gal..5. a V. 19.) vocantur *opera carnis*, quia ex aliqua carnis illecebra originem ducunt. Alia item ſunt peccata *contra Deum*, contra *proximum*, *contra nos ipſos:* prout videlicet adverſantur directe vel cultui divino, ut eſt idololatria, blaſphæmia &c. vel bono proximi, ut furtum, homicidium &c. vel bono proprio, ut ebrietas, luxuria &c. Diſcernenda ſunt quoque peccata *cordis*, *oris*, & *operis*: primum conſummatur ſolo animo, ut odium, invidia &c. alterum verbis ore prolatis, ut blaſphæmia, mendacium &c. ultimum externa quapiam actione & opere, ut furtum, homicidium &c. His adde peccata, quæ dicuntur *propria*, quia ab ipſo peccante committuntur: aut *aliena*, quæ ab alio ſcilicet commiſſa ſunt, nobis etiam conſilio vel opere ad ea quidpiam conferentibus. Similiter faciendum diſcrimen inter peccatum *ex ignorantia*, *ex paſſione*, *ex malitia;* primum fit, dum ex ignorantia culpabili, non tamen affectata: alterum, dum ex tentationis & carnalis commotionis ultro ſubortæ vehementia: tertium, dum quis, nulla paſſione incitante, nec ignorantia excuſante ulla, plena proinde libertate, ſciens ac volens præceptum aliquod

quod transgreditur. Adjicienda ſunt demum & peccata *capitalia*, ex quibus ſcilicet reliqua fere proficiſcuntur: uti ſunt ſuperbia, invidia, avaritia, ira, luxuria, gula, & acedia; ac etiam ea, quæ dicimus peccata *in Spiritum Sanctum*, quod iis peculiari malitia impugnentur aut repellantur ſpiritualia gratiæ dona, ceu effectus Spiritui Sancto proprii: id genus peccata ſunt, deſperatio, præſumptio, impœnitentia, obſtinatio, agnitæ veritatis impugnatio, & fraternæ gratiæ invidentia, de quibus quia difficilis admodum eſt vera pœnitentia, difficilior quoque ſpes veniæ, atque hoc ſenſu irremiſſibilia dici ſolent.

Ratio dignoſcendi peccata quoad ſpeciem differentia.

DUm a Theologis ſpecifica peccatorum diverſitas in quæſtionem vocatur, ſermo eſt de ea ſolum morali ſpecie, cujus explicatio juxta Trident. ſeſſ. 14. de Pœnit. Cap. 5. & Can. 7. ad Sacramentalem Confeſſionis integritatem requiritur. Atque hac ſpecie morali non tantum actus numero ab invicem diſtincti, ſed iidem etiam differre poſſunt, ac ſæpe re ipſa differunt; hinc, ut differentia hæc in utriſque definiri queat, duo principii inſtar generatim obſervaſſe juverit.

I. Cum peccati natura in legis transgreſſione conſiſtat, 14
ejusque proinde formalis malitia ſit ipſa actus cum lege difformitas, dubitari nequit, eo ipſo peccatum eſſe ſpecie diverſum, quod opponatur legibus ſpecie diverſis: aut etiam eidem legi, diverſa tamen formali ratione obliganti. Tum vero iſtud fieri cenſendum eſt, dum actus adverſatur vel diverſis virtutibus: vel ejusdem virtutis diverſis officiis: vel eidem virtuti modo contrario: vel demum eidem virtuti modo ab aliis diverſo, tametſi non contrario.

Prin-

Digitized by Google

Principium hoc, ut clarius evadat, quoad ſingula membra exemplis illuſtrandum eſt. Quoad 1*mum* ſint infidelitatis & deſperationis peccata, quæ, tametſi uno eodemque Decalogi præcepto primo prohibeantur, ſpecie nihilominus differunt. Cur ita vero? quia ſcilicet hoc idem præceptum diverſa ratione prohibet actus illos, diverſis utpote fidei & ſpei virtutibus contrarios. Quoad 2*dum:* idololatria & cultus indebiti ſuperſtitio, licet eidem Religionis virtuti opponantur, ſpeciei tamen ſunt diverſæ; eadem enim hæc virtus non modo id officii habet, ut ſolus Deus verus colatur, ſed etiam ut colatur ritu legitimo; cum igitur diverſis his officiis adverſentur memorata peccata, diverſa eſſe & ipſa cenſendum eſt. Quoad 3*tium:* in præſumptione & deſperatione ſpeciei diverſitas repetitur ex modo contrario, quo eidem ſpei virtuti actus hi opponuntur, primus nimirum per exceſſum, per defectum alter. Demum quoad *ultimum* exemplo ſit furtum & detractio: hæc ſpecie differunt propterea, quod eidem juſtitiæ virtuti repugnent, non contrario quidem, diverſo attamen modo; cum enim in æſtimatione morali opes & fama diverſæ ſint rationis, diverſa pariter ratione circa utrumque juſtitia exercetur.

15 II. Hæc ipſa porro, quæ diverſam ſpecie malitiam inducit, actuum cum lege oppoſitio ut facilius dignoſcatur, utile fuerit advertere ad circumſtantias actui ſuper additas: hæ enim ſolæ peccati ſpeciem non raro mutant; ac ſi quidem tales ſint, juxta laud. Tridentini locum in Confeſſione Sacramentali explicandæ ſunt. Ita circumſtantia perſonæ aliquo ſpeciali vinculo obligatæ ad id, ad quod jam antea titulo alio tenebatur, indubie mutat peccati ſpeciem; unde e. g. voto caſtitatis obſtrictus una eademque fornicatione duplex ſpecie peccatum admittit: propter adjectam quippe voti circumſtantiam fornicatio hæc opponitur duabus diverſis virtutibus, proinde & legibus, legi ſcilicet caſti-

caſtitatis ; & legi religionis. Similiter mutatur quandoque peccati ſpecies per objecti circumſtantiam ; id quod tum evenit, dum determinati alicujus actus objectum prohibetur ex longe diverſa ratione formali, quam objecta alia, circa quæ idem quoad ſubſtantiam actus verſari poteſt : ex hoc capite ſoluti ad ligatam acceſſus diverſæ eſt ſpeciei a ſimplici fornicatione. Idem cum proportione ſentiendum eſt de reliquis circumſtantiis, loci videlicet, temporis, finis &c. Quo interim ex his ipſis de diverſitate ſpecifica judicium formari poſſit, ad principium Num. priore datum exigendæ ſunt ; unde ſi nulla e memoratis quatuor oppoſitionibus reperiatur in peccato, circumſtantia illi adjecta non eſt ſpeciem mutans, ſed intra eandem ſpeciem duntaxat aggravans vel minuens : qualis ex probabili multorum ſententia (hanc & nos L. V. de Sacr. Pœnit. N. 61. amplexi ſumus) pro ſacro Pœnitentiæ tribunali non eſt neceſſario aperienda.

Ratio dignoſcendi peccata quoad numerum diſtincta.

AD procurandam in Sacramento Pœnit. confeſſionis integritatem ex ſupra cit. Tridentino, præter ſpeciem peccatorum, numerus quoque eorum recenſendus eſt. At quis ille? utique is, qui re ipſa admiſſos eſt ; ſi hunc quidem inire liceat. Verum quia id non ſemper pronum eſt ; ſæpe imo vix conatu ullo obtineri poteſt, præſertim circa actus mere internos, quibus in eadem materia quis longiore temporis intervallo immoratur : idcirco ex communi Doctorum ſententia ad Confeſſionis integritatem ſatis eſt, ſi peccatorum numerus ſecundum æſtimationem moralem explicetur. Sed nimirum neque iſtud ſua difficultate caret : cum ſecundum hanc ipſam æſtimationem nonnunquam actus re ipſa numero plures pro uno dun-

duntaxat reputentur; alias unus idemque numero actus pluribus diſtinctis æquivaleat, ac in ordine ad Confeſſionem rite obeundam pro pluribus omnino & numero diſtinctis ſit habendus. Quo igitur hic quoque ad expediendas dubitationes aliquid conferamus operæ, deſignanda erunt principia, ex quibus diſtinctio peccatorum numerica deſumi poſſit. Jam vero

16 I. Certum eſt, actus moraliter interruptos plura ac diſtincta eſſe peccata; quoties proinde actus mali, in objectum idem & finem eundem tendentes, morali æſtimatione interrumpuntur, toties aliud numero peccatum admitti cenſetur: hicque omnino numerus pro ſacro Pœnitentiæ tribunali eſt exponendus. Principium hoc fundatur in communi DD. ſenſu; tum etiam in eo, quod actus moraliter interrupti penitus, nec phyſica, nec morali unione conjungantur; diſtinctos igitur, ac numero plures eſſe oportet. Et profecto, cum indubium ſit actus phyſice interruptos pariter phyſice multiplicari, quidni etiam moraliter interrupti in æſtimatione morali pro numero diſtinctis habeantur?

At quando (inquies) moralis hæc actuum interruptio fieri cenſenda eſt? Ex recepta communiter ſententia iſtud fieri ajo *1mo* per ſeriam & abſolutam peccati retractationem: quod ſi enim hæc ſit conditionata tantum, nec ſeria, ſed mera (ut Scholæ dicunt) velleitas, multis cum Leſſio probabile videtur, eam unitati morali actus non officere. *2do* etiam per meram (nulla retractatione præmiſſa) ab actu ceſſationem, ſeu demum illa ſit libera, ſeu neceſſaria: modo tamen (ut plurimi volunt) duret notabili tempore; quod num tale ſit, fere prudentis arbitri judicio ex intervalli interjecti circumſtantiis definiendum relinquitur, cum Doctorum opiniones mirum varient. *3tio* per opus externum in æſtimatione morali plene

con-

Digitized by Google

conſummatum; hinc ſi quis tribus continuis machinæ bellicæ ictibus tres homines ſucceſſive interimat, tria numero homicidia committit. Unde ex adverſo multi DD. notant; peccata non multiplicari numero, ſi continuetur idem opus externum, tametſi actus interni ad illud relati interrumpantur; quia nimirum (uti hi arguunt) ejusmodi actus interni uniuntur moraliter in uno opere externo, præſertim cum in eo prior actus internus interruptus *virtualiter* perſeverare videatur.

II. Principio huic addendum & alterum, apud multos, præſertim antiquiores, receptum: actum videlicet, qui tendat ſimul in plura objecta, non phyſice tantum, ſed moraliter etiam diſtincta, in æſtimatione morali eſſe numero multiplicem; idque dicendum perinde de actu interno, ut ſi quis uno turpis concupiſcentiæ actu in tres mulieres feratur: ac de externo, e. g. ſi uno ictu tres homines occidantur. Nec deeſt omnino ita ſentientibus ratio gravis; cum enim idem phyſice actus, ſi ad plura ſpecie objecta referatur, plura quoad ſpeciem peccata contineat: cur non æque idem phyſice actus, qui verſatur circa plura numero objecta moraliter diſtincta, numero multiplex exiſtimari debeat? Secundum hos proinde hæc ipſa actus phyſice unius numerica in exiſtimatione morali multiplicitas in Confeſſione eſt aperienda. Ea autem objecta cenſentur eſſe ſimul moraliter diſtincta, quæ ita phyſice ſunt numero alia, ut ſibi invicem non ſubordinentur in æſtimatione morali. Exemplum habe: unum numero furtum eſt, cum una acceptione ſuſſeruntur duo aurei, ad eundem Dominum pertinentes; quia nimirum hi aurei, licet ſint objecta phyſice plura, ratione tamen unius adæquati juris, eo furto læſi, ſubordinantur invicem in prudentum æſtimatione. Secus, ex cauſa oppoſita, judicandum eſt de ſublatis duobus aureis ad diverſos Dominos pertinentibus. 17

Digitized by Google

Sunt interim e RR. Doctoribus complures, qui cum Suarez & Lugo hoc alterum principium rejiciant, ac doceant: unum eumdemque phyſice actum, ſaltem internum, in plura ſimul objecta (quæ tamen non ſint diverſæ in ſenſu Theologico ſpeciei) tendentem, eſſe moraliter unum numero, quamvis graviorem intra eandem ſpeciem. In qua ſententia (quam & ipſe probabilem, ac in praxi tutam cenſeo) non eſt obligatio confitendi plurium id genus objectorum circumſtantiam, utpote juxta hos DD. mere aggravantem. Doctrinam eamdem Lugo & Tamburinus cum quibusdam extendunt etiam ad actum externum. Hi ipſi nihilominus addunt: eum, qui e. g. uno actu interno tres fæminas concupivit, vel uno ictu tres occidit, confuſe ſaltem objecti pluralitatem in Confeſſione aperire debere; id vero præſtari, ſi dicatur: ſemel concupivi plures fæminas &c.

Animadverſio in datam doctrinam.

18 QUamvis principia a N. 14. uſque huc relata, ut ea generalia ſunt, communiter recipiantur: fatendum eſt nihilominus, haud raro in particularibus caſibus, ob novas adjectas circumſtantias, vel ex his principiis difficile eſſe pronuntiare de peccatorum diverſitate, ſeu ſpecifica, ſeu numerica; hinc & Doctorum (ut videre eſt præſertim apud Theologos Morales) ſententiæ admodum variant, cum particularis quiſpiam caſus in quæſtionem vocatur. Quid igitur porro conſilii? in tanta opinionum varietate quod ſuggeram aliud, non habeo, niſi illud, quod poſt Haunoldum ſapienter notat La Croix in Theol. Mor. L. 5. N. 182. *in his* (inquit ille de peccatorum diſtinctione ſpecifica & numerica) *plus eſſe tribuendum judicio naturali, item uſui fidelium, ac ſenſui communi prudentum, quam ſcrupuloſæ Scholaſticorum conſiderationi.*

§. III.

§. III.

Quæ ſit in ſenſu theologico cauſa peccati? num ad illud Deus aliqua ſaltem ratione concurrat? aut etiam ipſe determinet ad id, quod materiale peccati Scholæ dicunt?

SI peccati cauſa ſenſu latiore ſumatur, plura eo nomine poſſunt intelligi: occaſio ſcilicet & periculum peccandi, tentatio & concupiſcentia ad peccatum inclinans, finis pravus a peccatore intentus &c. Per eamdem vero in ſenſu Theologis uſitato ac magis proprio id deſignatur unum, quod in peccatum ita influit, ut ei in genere morali tanquam auctori peccatum imputari poſſit, quodque propterea *ſimpliciter & per ſe cauſa* peccati dici ſolet. Atque hæc una erit argumentum præſentis controverſiæ: cui cum partim ſectariorum error, partim Orthodoxorum opiniones occaſionem præbuerint, de his ante omnia præfari juverit.

Error ſectariorum.

1. E veteribus Simon Magus (teſte Vincentio Lirin. in Commonit. contra profan. vocum novit.) primus Deum peccati auctorem faciebat, cum doceret eam nobis ab illo datam naturam, quæ a peccato abſtinere nequeat. Ejusdem erroris a Bellarm. L. 2. de ſtatu peccati C. 1. ex Tertulliano, Irenæo, & Auguſtino arguuntur Cerdon, Marcion, ac Manichæus; præter Deum quippe, qui ſit bonorum principium, alium etiam ſomniabant malorum omnium, proinde & peccati auctorem Deum. Potiori jure hic nominandus eſt Florinus, Montani diſcipulus; ut enim nullam Dei boni & mali diſtinctionem faceret, ſed unum duntaxat verum profiteretur Deum: hunc nihilominus ipſum peccati eſſe cauſam exiſtimavit, 19

vit, impugnatus idcirco ab Irenæo per Epiſtolam, cujus meminit Euſebius L. 5. Hiſt. C. 20. ubi ait, Irenæum inſcripſiſſe epiſtolam *alteram ad Florinum de Monarchia*, *ſeu quod Deus non ſit conditor malorum*, *eam enim opinionem hic defendere videbatur*.

20 II. Ab errore hoc e recentioribus hæreticis (nihil ut dicam de aliis) Zwinglius & Calvinus eximi non poſſunt. Utriusque verba iſthuc facientia copioſe refert Bellarm. cit. L. 2. C. 3. nobis hæc ſufficiant. Zwinglius Serm. de Provid. C. 5. *Numen ipſum*, inquit, *author eſt ejus*, *quod nobis eſt injuſtitia*. Calvinus vero L. 3. Inſtit. C. 23. §. 4. ait, *Dei voluntate decidiſſe omnes filios Adam*, atque in hoc *redeundum eſſe ſemper ad ſolum divinæ voluntatis arbitrium*; & rurſum ibid. §. 7. *inficiari nemo poteſt*, *quin præſciverit Deus*, *quem exitum eſſet habiturus homo*, -- *& ideo præſciverit*, *quia Decreto ſuo ſic ordinaverit*. Non defuerunt interim Calvini ſectatores, qui eum non plus voluiſſe contenderent, quam Deum eſſe auctorem peccati quoad actus præciſe entitatem ſumpti, non etiam quoad malitiam; ipſe quin Calvinus, præſertim Libertinorum convitiis impetitus, eam maculam a ſe avertere conatus eſt in Admonit. contra eos ſcripta, & in Præfat. ad L. de æterna Prædeſtin. Cæterum quamcunque in partem ſuis cum vindicibus ſe verſet Calvinus, ab errore hoc immunis pronuntiari nequit: docebat nimirum (ut conſtat ex ejus Inſtit. L. 1. C. 18. §. 1. 2. & 3. aliisque locis) Deum decernere peccatum, ad illud efficaciter movere, impellere, neceſſitare, idemque demum efficere ut cauſam principalem; quid vero hæc, niſi Deum eſſe auctorem peccati? Vide Bellarminum ſupra laud. L. a C. 4. uſque ad 8.

Digitized by Google

Controverſæ Orthodoxorum opiniones.

I. Conſentiens eſt omnium DD. Catholicorum doctrina, Deum peccati auctorem non eſſe, imo nec eſſe poſſe: quamvis non diffiteantur, ad omnes Creaturæ actus, eos proinde etiam, qui peccata ſunt, Deum aliqua ratione concurrere. At qui iſtud? hoc ipſum eſt, quod eos in varia diſtrahit: dum videlicet iſti hac, alii ratione alia Dei in peccata influxum explicare nituntur, quin propterea peccati auctor dici debeat. Ac Durandus quidem & Ludov. a Dola cum paucis aliis, cum univerſim negent immediatum Dei ad cauſarum ſecundarum effectus concurſum, conformiter ad hanc doctrinam afferunt, ad peccata quoque Deum, etiam in genere cauſæ phyſicæ, non niſi mediate concurrere: ita videlicet, ut homini ſolam peccandi potentiam & libertatem tribuat, ipſum vero deinde peccati actum cum voluntate humana immediate non coefficiat, ac ne phyſice quidem ullatenus in illum influat. At enim hæc (ut monui) pauci admodum: reliquis omnibus certa eſt ſententia, Deum ut cauſam primam & univerſalem non tantum ad actus alios, ſed ad ipſa etiam peccata cum creatura immediate concurrere per influxum phyſicum; cui Societatis noſtræ DD. cum multis aliis id addunt præterea, influxum hunc eſſe ita mere phyſicum, ut peccati determinatio a ſola voluntate creata habeatur, Deus vero illud permittat duntaxat. Ab hac diverſa, & 21

II. Peculiaris eſt celeber. Scholæ Thomiſticæ opinio. Contendunt nimirum ejus ſectatores Viri doctiſſimi, Deum, tanquam primum movens & primum liberum, non modo phyſice concurrere ad actus creaturæ: ſed etiam cauſas ſecundas liberas phyſice prædeterminare ad omnes earum actus, ipſa proinde etiam peccata. Ne autem prædeterminatione hac Deum 22

pec-

peccati authorem facere videantur, voluntatem creatam aiunt ab eo prædeterminari tantum ad peccati *materiale*, non etiam *formale*: per hoc ipſam peccati moralem deformitatem & malitiam, per illud vero ſolam actus peccaminoſi entitatem phyſicam intelligentes. Secundum hanc proinde ſententiam, Deus (antecedenter ad liberam hominis determinationem) efficaciter vult peccati actum phyſicum, libere & cum legis prohibentis cognitione a voluntate humana ponendum, eamque ad illum phyſice præmovet, & determinate applicat. Neque tamen hæc Thomiſtæ omnes; certe nonnulli, etiam ex illuſtri Prædicatorum ordine Magiſtri virtute & doctrina clari, tametſi phyſicam ad actus bonos præmotionem propugnent, eandem tamen quoad peccaminoſos actus omnino reiiciunt, ut ſunt: Joannes Vincentius, Baſilius Verdu, Joannes Nicolai Doctor Sorbonicus, Franciſcus Aravio dein Epiſcop. Segobienſis, Joſephus de Vita, aliique apud Platelium in Synop. Theol. P. 2. C. 3. §. 4.

Atque his de ſectariorum errore & orthodoxorum controverſia ſtrictim explicatis, facile conjicias, duo in præſenti definienda eſſe: alterum, quo de cauſa & auctore peccati exponatur fidei dogma; alterum, quo ex Scholarum opinionibus deligatur illa, quæ ad hoc ipſum fidei dogma ſtabiliendum ſit accommodatior.

ASSERTIO I.

Voluntas creata, eaque ſe libere exercens, eſt in ſenſu theologico cauſa peccati: non item Deus.

UTrumque hoc Aſſertionis membrum fidei dogma continere indubitatum eſt, cum pro utroque complura, eaque certa ſint S. Literarum teſtimonia, certumque Eccleſiæ judicium.

Ac

Ac de primo quidem vix eſt, cur pluribus agi oporteat. 23
Fide certus eſt ex ſcriptura Angelorum, primi hominis Adæ, ac poſt hunc Caini, Davidis, Salamonis, pluriumque aliorum lapſus in peccatum; hoc ipſum illis ad culpam & pœnam a Deo imputatum, ejusdem Scripturæ docemur teſtimonio: imputari autem non potuiſſe, niſi libera voluntate divinam legem transgrederentur, ex hujus Diſſert. §. 1. conſtat; vero igitur Theologorum ſenſu peccati cauſa eſt voluntas creata libera, eaque tam Angelica, quam humana. Quin eadem non proprii tantum, ſed alieni etiam peccati cauſa eſſe poteſt: cum homo non minus ac dæmon ſæpe alios ad peccandum inducant ſuadendo, tentando, aliisque modis.

Sed & alterum perinde certum eſt; ut adeo in blaſphæmam 24
oppoſitum ſentientium doctrinam Trident. Seſſ. 6. Can. 6. non dubitaverit anathematis fulmen evibrare: quod ipſum jam antea Conc. Arauſicanum II. Can. 25. præſtiterat. Nimirum, uti operis boni, ita peccati quoque auctor & cauſa is unus eſt, qui illud aut eligit, aut poſitive vult, vel ſuadendo, mandando, aliave ratione intendit; profecto autem, ſeu auctoritatem, ſeu rationem conſulas, horum nihil eſt, quod Deo citra injuriam attribui poſſit. Sit primum Scripturæ auctoritas. *Non Deus volens iniquitatem tu es*, *Pſ.* 5. *Nemini mandavit impie agere*, Eccl. 15. *Deus intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat*, Jac. 1. Conſentiunt Patres. *Illud quoque antea docui, Deum non eſſe cauſam, cur -- ſive angeli, ſive homines improbi efficiantur*, Juſtinus in Dial. cum Triphone. *Qui non prohibuit liberam animæ electionem, juſte judicat, ut vel maxime quidem Deus nobis non ſit cauſa vitii*, Clem. Alex. L. 1. Strom. ſub med. Eadem legas apud Irenæum, Origenem, Baſilium, aliosque PP. a Bellarmino copioſe relatos L. 2. de

ſtatu pec. C. 9. Sed & plura rationum momenta idem evincunt: quomodo enim Deus peccata prohibeat, ſi eadem poſitive intendat? quomodo erit bonus ac ſanctus, ſi velit malorum omnium peſſimum, & ſanctitati maxime adverſum? quomodo juſte oderit & puniat peccatorem, cujus tamen peccati ſit ipſe cauſa? Hinc recte Fulgentius L. 1. ad Monimum C. 22. *Deus*, inquit, *non poteſt eſſe amator ejus, cujus eſt ultor: juſtitia enim juſta non erit, ſi puniendum reum non inveniſſe, ſed feciſſe dicatur; major vero erit injuſtitia, ſi lapſo Deus retribuit pœnam, quem ſtantem prædeſtinaſſe dicitur ad ruinam.*

ASSERTIO II.

Quamvis Deus non ſit author peccati, ad illud tamen in genere cauſæ phyſicæ, indifferenter applicata ſua omnipotentia, immediate concurrit; idem nihilominus voluntatem creatam ne quidem ad id, quod peccati materiale dicitur, prædeterminat, imo nec poteſt.

25 PArs I. fundatur in eo, quod Deus, ut cauſa prima & univerſalis, ad omnes creatos effectus immediate concurrat, ſuam ſcilicet omnipotentiam cauſis ſecundis applicando. Iſtud porro, præterquam quod ex ſaniore contra Durandum philoſophia iſthic ſupponi debeat, certum etiam redditur Scripturæ teſtimonio. Nimirum 1. Cor. 12. ait Apoſtolus: *Deus qui operatur omnia in omnibus;* & Chriſtus ipſe Joan. 5. *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor:* in quæ verba Auguſtin. L. 5. de Geneſi ad liter. C. 20. *ſunt*, inquit, *qui arbitrantur tantummodo mundum ipſum factum a Deo, cætera autem jam fieri ab ipſo mundo, ſicut ille ordinavit & juſſit; contra quos profertur illa Domini ſententia: Pater meus uſque modo* &c.

Quod

Quod ſi vero iſtud generatim obtineat, perinde indubium eſt, ad actus quoque peccaminoſos creaturæ Deum immediate concurrere, cum & hi utique ſint effectus creati; hinc D. Anſelmus L. de Concord. præſcientiæ & prædeſtin. cum lib. arbitr. C. I. *nulla*, inquit, *res habet ullam potentiam volendi aut faciendi, niſi Deo dante ipſum quoque velle & facere, quod aliquando juſtum eſt, aliquando injuſtum.* At enim ad peccati actus nequit Deus concurrere in genere cauſæ moralis, hoc eſt, *elective:* ſecus peccati non minus ac boni operis foret auctor, quod in Trident. Seſſ. 6. Can. 6. damnatum eſt; reliquum igitur eſt, ut concurrat in genere cauſæ phyſicæ univerſalis mere indifferenter applicando omnipotentiam, hoc eſt, *permiſſive*, ut cit. Can. inſinuat Tridentinum. Ita autem Deum concurrere non aliud eſt, quam, ut ſua creaturæ ad meritum & demeritum neceſſaria libertas relinquatur illæſa, Deum non velle (tametſi poſſet) impedire peccatum: ita proinde indifferenter omnipotentiam homini applicare, ut ſi is ad peccatum ſe libere determinet, una cum ipſo Deus illud phyſice coefficiat; quamvis, ſi voluntas Dei ſpectetur, indubium ſit eum peccati omiſſionem cupere, hanc imo etiam præcipere. Atque hæc illa videtur eſſe injuria, quam Iſ. 43. cum peccatore Deus expoſtulans, *ſervire*, inquit, *me feciſti in peccatis tuis*, *præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.*

Pars II. vel inde nobis certa eſt, quod prædeterminatione Thomiſtica (ut iſthic ſupponimus ex Tract. de Gratia, & Actibus hum.) voluntati creatæ adimatur poteſtas libere agendi. Cæterum quamvis illa (ut præſenti controverſiæ amplior ſit locus) integra ac illæſa relinqui ultro concedatur, non deſunt attamen graviſſima momenta alia; quorum quidem fere omnium vis in eo ſita eſt, quod ex hac prædeterminatione videatur recte inferri, Deum eſſe auctorem peccati. Hujus autem il- 26

 latio-

lationis fundamentum inde repetitur: quod cum peccati *materiale*, a creatura (ut ipſi Thomiſtæ volunt) libere poſitum, neutiquam ſeparari queat a *formali*, hancque præterea connexionem inevitabilem Deus cognoſcat prævie, fieri omnino vix poſſit, ut prædeterminet ad materiale, illudque proinde velit efficaciter, quin una ſaltem interpretative velit peccatum. Certe ſi quis apud animum ſuum decernat proximo infligere ictum, qui ex ſe ſit lethalis, ac talem eſſe noverit, vel ideo cenſetur interpretative velle mortem alterius, tametſi eam explicite non intendat. Atque hoc principium, modo rite expendatur, ferax omnino eſt argumentorum, quibus pro hac Aſſertionis parte altera valide pugnari poſſit: nos tria duntaxat, exercitationis ſcholaſticæ gratia, referemus.

27 I. Si Deus creaturæ ſuadeat aut præcipiat peccati *materiale*, propter ſummam ejus cum *formali* connexionem ſit *cauſa per ſe* malitiæ moralis, hoc eſt, ſit proprio ſenſu auctor peccati; idem igitur dicendum, ſi ad materiale prædeterminet. Aſſertum primum admittunt Adverſarii; mihi vero jure potiori concedenda videtur Illatio. Etenim 1*mo*, prædeterminatio phyſica magis determinat creaturam ad materiale ſimul & formale peccati, quam conſilium aut imperium. 2*do*, quomodo Deus ſuadens materiale nequeat abſtrahere a formali, ac vel ideo exiſtimetur ſuadere ipſum formale: ab hoc nihilominus abſtrahat, dum prædeterminat & efficaciter vult materiale? 3*tio*, qui fieri poſſit, ut Deus peccati materiale ſuadens deſinat eſſe moralitatis regula: non deſinat tamen idem materiale volens efficaciter? an ſolum ut ſuadens, non etiam ut volens debet a morali malo recedere vi ſuæ ſanctitatis? an dum ſuadet quidpiam cum malo connexum, ſuadere malum cenſendus eſt: non item hoc velle, dum illud efficaciter decernit?

II. Deus

II. Deus prædeterminans creaturam ad peccati materiale, vel ideo illam ſimul ad formale prædeterminat; atqui per ipſos Adverſarios prædeterminatio ad formale, ſi quæ daretur, redderet Deum peccati auctorem; perinde igitur etiam reddit prædeterminatio ad materiale. Major prop. disjunctive probanda eſt, cum prædeterminationis Patroni in quibusdam principiis ab invicem diſſideant. Igitur 28

1*mo*, ſi peccati formale (ut aliqui volunt) ſine nova creatæ voluntatis libertate & determinatione conſequitur ad materiale, creatura ſe libere determinans ad peccati materiale, hoc ipſo ſaltem interpretative determinat ſe etiam ad ejusdem formale; ergo & Deus in hac hypotheſi libere prædeterminans ad materiale, ſimul ad formale prædeterminat ſaltem interpretative.

2*do*, tametſi formale peccati (ut aliis placet) per novum creatæ libertatis & determinationis exercitium ſequatur ad materiale peccati, creatura nihilominus nequit hac nova libertate uti, ſeque ipſam libere determinare ad formale peccati, quia ad hoc ipſum a Deo prædeterminetur; ergo Deus creaturam prædeterminans ad peccati materiale, cum quo in circumſtantia libertatis inevitabiliter connexum eſt formale, hoc ipſo non tantum quomodocunque prædeterminat, ſed prædeterminare etiam debet ad formale. Illatio (ut vides) eſt legitima; aſſertum autem propoſitionis Antec. deducitur ex Scholæ Thomiſticæ principiis. Nimirum in ſententia Thomiſtarum ad materiale peccati idcirco Deus prædeterminat, quia voluntas creata ex ſe eſt ita indifferens & inſufficiens, ut ad nihil omnino ſe libere poſſit determinare, quin ad hanc ipſam ſui determinationem a Deo, ceu prima cauſa & primo libero, phyſice prædeterminetur; ergo, ſi (facta etiam prædeterminatione ad

Digitized by Google

peccati materiale) adhuc creatura ſit indifferens, novoque opus habeat libertatis exercitio ad peccati formale, ad hoc ipſum perinde prædeterminari debet a Deo, tanquam prima cauſa & primo libero.

29 III. Prædeterminatione facta ad materiale in circumſtantia libertatis, prædeterminatur id, quo poſito (ipſis fatentibus Adverſariis) ne divinitus quidem fieri poteſt, ut non ponatur formale; quis jam autem ſatis aſſequatur, poſſe prædeterminari materiale, arcte adeo ac inevitabiliter connexum cum formali, quin hoc ipſum una prædeterminetur? Ac profecto ſi iſtud non fiat, nihil officiet prædeterminatio ad materiale, quo minus creatura adhuc maneat indifferens ad formale: niſi enim ſit indifferens, jam eſt prædeterminata. At enim indifferentia hæc ſuſtineri nequit in Adverſariorum principiis: ſecus enim *1mo*, (contra, quam velint) aut nova opus foret prædeterminatione ad formale, aut a creatura indifferenti ad formale oriretur determinatio ad illud; *2do*, quia alias Deus penitus non cognoſceret futuri peccati formale: non enim in ſua ad materiale prædeterminatione, ut pote indifferente ad formale: alius autem modus illud videndi apud Adverſarios non ſuppetit. Denique: ſi prædeterminare ad materiale non ſit prædeterminare ad formale, cur non Deus æque poſſit neceſſitare ad materiale, quin propterea inferat neceſſitatem ad formale? Si vero iſtud: rurſum neceſſitas ad materiale non officiet, quin adhuc creatura ſit libera ad formale, ſeu ad peccandum; id quod tamen communi doctorum ſententia adeo falſum eſt, ut Cl. Godoi non dubitaverit dicere: hunc fuiſſe Calvini errorem a Tridentino proſcriptum.

Refelluntur Sectarii contra Aſſert. I. argutantes.

30 Qui blaſphæmo ore Deum peccati auctorem pronuntiarunt, ab ipſo Dei verbo ſcripto erroris ſui patrocinium petere non

non ſunt veriti. Ad ea autem potiſſimum provocant loca, quibus S. Literæ generatim videntur innuere : a Deo omne malum effici, ex fine peccati improbos condi, præcipi quin etiam peccata, ac in iis homines obfirmari ; quæ omnia (ut illi arguunt) quid aliud ſunt, quam Deum eſſe vero ſenſu cauſam peccati? Sed nimirum hæc ſingillatim referre juverit, quo deinde ad ſingula ex ordine reſpondeamus. Igitur ex mente ita impie arguentium

I. Deus operatur omne malum, cum ipſe dicat Iſ. 45. *ego Dominus - - formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum: ego Dominus faciens omnia hæc.*

II. Condit improbos ex fine peccati, ut deinde plectendo illud manifeſtet gloriam ſuam: nam *univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum*, Prov. 16. Et teſte Apoſtolo ad Rom. 9. in Scriptura a Deo dictum eſt impio Pharaoni: *in hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam, & ut annuntietur nomen meum in univerſa terra.*

III. Præcipit peccatum : hinc 2. Reg. 16. maledicentem Semei nón ulciſcitur David, quia (ut ipſe ait) *Dominus præcepit ei, ut malediceret.* Rurſumque 3. Reg. 22. ſpiritui malo decipere & ad mentiendum egredi volenti *dixit Dominus: decipies & prævalebis; egredere, & fac ita. Nunc igitur dedit Dominus Spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum.*

IV. Conſervat & obfirmat in peccatis, dum ſcilicet mentis cœcitatem inducit, aut etiam indurat cor impii. Ita populus Judaicus virtute divina excæcatus eſt Iſ. 6. ubi Dominus ad Prophetam, *excæca*, inquit, *cor populi hujus, - - & oculos ejus claude: ne forte videat oculis ſuis - - & corde ſuo intelligat, & convertatur.* Et infra C. 63. idem Propheta queritur : *quare errare*

nos

nos feciſti, Domine, de viis tuis? induraſti cor noſtrum, ne timeremus te.

Reſp. I. generatim: aliis Scripturæ locis oppoſitum aſſeri, nolle ſcilicet Deum iniquitatem, non eam præcipere, non tentare &c. objecti igitur textus ad literam ſumi nequeunt, ſed cum prioribus ita conciliandi ſunt, ut Deo attribuatur nihil, quod cum ejus ſapientia, ſanctitate, juſtitia, perfectionibusque aliis pugnet; id quod utique non præſtant, qui ex verbis Scripturæ perperam acceptis Deum peccati auctorem faciunt. Ad iſtud ſi advertas, locique præterea objecti contextum recolas, aut etiam in obſcurioribus Patrum ſenſa in ſubſidium voces, haud difficilis erit ad ſingulas Sectarorium argutationes reſponſio, ut jam patebit. Itaque

Reſp. II. in particulari; ac ad I. quidem ajo, in S. Literis per *malum* ſæpe deſignari non culpam, ſed *malum pœnæ* ex culpa ortum; quod utique Deo peccatorum vindici citra injuriam attribui poteſt. Nec dubium eſt, in obj. ex Iſaia loco de ſolo pœnæ malo, ſeu calamitate & populi afflictione agi, ut in cit. C. docet Hieronymus: ac textus ipſe prodit. Idem ex mente Auguſtini L. contra Adimant. C. 26. dicendum de illis Am. 3. verbis: *ſi erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit;* quod enim hoc malum? niſi viſitatio ſuper iniquitates, tribulatio terræ, ædium direptio, aliaque his ſimilia, quorum Propheta toto C. meminit. Dum autem ad Eph. 1. dicitur generatim, Deum *operari omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*, non eſt ſenſus: etiam mala culpæ Deum operari; verum (ut exponit Hieronymus) nihil Deum facere, nec peccata proinde permittere, ſine conſilio voluntatis ſuæ.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. ad II. N. Aſſert. non enim Deus creat homines, quos præſcit improbos, ut improbi ſint; hos etiam vult fieri probos, tametſi dein non impediat, ne propria libertate evadant improbi. Atque hac una permiſſione intendit gloriam ſuam, quam ſubinde variis modis manifeſtat: ut cum e. g. malos flectit ad pœnitentiam, eisque miſericorditer largitur veniam; aut ex adverſo per decreta in illos ſupplicia potentiam & juſtitiam exercet, ſimulque his probos excitat ad perſeverandum in bono &c. Ita paſſim PP. adducta Scripturæ loca explicant. Præ aliis audiatur Auguſtin. in Enchir. C. 100. ubi propterea eſſe ait magna opera Dei in omnes voluntates ejus, *ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem; quia non fieret, ſi non ſineret: nec utique nolens ſinit, ſed volens: nec ſineret bonus fieri mala, niſi omnipotens & de malo facere poſſet bene.* Vult ergo Deus permittere peccata, non vult peccata; ex ipſis tamen peccatis, contra ſuam voluntatem factis, multa bona operatur.

Reſp. ad III. rurſus N. aſſert. hæ enim, ac ſimiles aliæ Scripturæ locutiones ſunt mere figuratæ; neque aliud in re ſignificant, quam Deum permittere peccata. Hoc porro accipiendas ſenſu ſuadet tum ſubjecta materia: cum Deus vi ſuæ ſanctitatis non poſſit vero ſenſu præcipere peccatum, imo illud prohibere debeat, uti re ipſa prohibet; tum etiam quia in expoſitionem hanc conſpirant Patres. *Scire illud attinet* (inquit Damaſcen. L. 4. de Fide C. 20.) *in Scripturæ more poſitum eſſe, ut Dei permiſſionem, ipſius actionem appellet.* Et Anſelmus L. de Concord. C. 2. ait: *Deus mala, quæ non facit, dicitur facere, quia permittit.* Itaque præcepit Dominus, ut Semei malediceret: non jubendo, ut notat Auguſtin. L. de Grat. & lib. arb. C. 20. ſed quia voluntatem ejus proprio vitio ma-

lam ab aliis peccatis tum quidem impedivit, maledictionem vero permiſit. Eadem ratione exponendum eſt alterum de ſpiritu mendacii, aliaque id genus.

In quibusdam nihilominus diſcrimen facere oportet, ut e. g. dum Act. 2. dicitur Chriſtus *definito conſilio & præſcientia Dei traditus* in manus iniquorum. In paſſione nimirum Chriſti duo interceſſere, quorum unum eſt Judæorum malitia, alterum paſſio & mors Chriſti ad hanc conſecuta; primum Deus permiſit duntaxat definito conſilio, hoc eſt, decrevit permittere: alterum, conſequenter ad iniquam Judæorum determinationem, eodem conſilio ſuo poſitive voluit eſſe in redemptionem generis humani. Quam in rem Auguſtinus in Enchir. C. 101. *tantum* (inquit) *intereſt, quid velle homini, quid Deo congruat, & ad quem finem ſuam quiſque referat voluntatem, ut aut probetur, aut improbetur: nam Deus quaſdam voluntates ſuas, utique bonas, implet per malorum hominum voluntates malas*, permittendo ſcilicet illas: *ſicut per Judæos malevolos, bona voluntate Patris, Chriſtus occiſus eſt* &c. Conformiter ad hoc explicandum eſt Joſephi a Fratribus venditi dictum Gen 45. *non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum.*

Reſp. ad IV. & iſtud denique perperam attribui Deo: nam, quod apud Iſaiam, ac alibi dicatur excæcare & indurare, eo non aliud ſignificatur, quam quod Deus hominem ob peccata prius admiſſa permittat labi in mentis cæcitatem, & cordis duritiem. Permittit autem tum, dum in pœnam peccatorum auxilia menti illuminandæ & excitandæ oportuna, eaque efficacia negat, uti jure negare poteſt: dum item efficaciter, quamvis poſſit, non impedit obſtinatos in malum affectus, qui peccatoris animum occupant. Pluribus locis iſtud expreſſis verbis docet Auguſtinus: *ſic excæcat* (inquit Tract. 53. in Joan.)

ſic

Digitized by Google

ſic obdurat Deus, *deſerendo*, *non adjuvando: quod occulto judicio facere poteſt*, *iniquo non poteſt.* Et L. 1. ad Simplician. Qu. 2. ait, Deum obdurare non aliud eſſe, quam non miſereri, idque ita, *ut non ab illo erogetur aliquid*, *quo homo ſit deterior: ſed tantum*, *quo ſit melior*, *non erogetur;* hinc Ep. 105. *non obdurat*, inquit, *Deus impertiendo malitiam*, *ſed non impertiendo miſericordiam.* Excæcatio igitur aut obduratio hominis inducitur a Deo (ut Scholæ loquuntur) ſolum *permiſſive* & *negative:* non *poſitive.*

Scholaſticorum adverſus Aſſert. II. momenta expediuntur.

PRima hujus Aſſertionis pars de phyſico Dei in peccata concurſu, præter alia, controvertitur ex eo, quia 31

I. Si Deus vel in genere cauſæ phyſicæ ſimul cum creata voluntate immediate concurrat ad peccatum, indubie cooperatur ad illud; cum igitur cooperanti imputetur, imputandum erit pariter Deo: id quod tamen admitti nequit, niſi una dicatur eſſe auctor peccati. Neque obeſt Deum ita concurrere, ut indifferenter duntaxat omnipotentiam applicet, ac non impediat peccatum: nam actio aliena imputatur etiam illis, qui eam, cum poterant, non impedierunt.

II. Vix fieri poteſt, ut Deus phyſice concurrat ad peccatum, quin ſimul concurrat ad formalem ejus malitiam: cum hæc conſiſtat in ipſo actu contra legem libere poſito; ita autem Deum concurrere, quid aliud foret, quam creaturam a Deo juvari ad peccandum formaliter: quod utique Deo, ſalva ejus ſanctitatis prærogativa, nemo attribuerit.

Digitized by Google

III. Si Deus, quantum eſt ex parte ſua, mere indifferenter omnipotentiam applicet peccatori, manifeſte ſequitur, nominatim deinde ad peccati actum non concurrere Deum, niſi ut determinatum a voluntate creata; at enim conſecutio hæc ſuſtineri nequit ex duplici capite. 1*mo*, quia, hoc admiſſo, neceſſe erit creaturæ determinationem eſſe priorem divino concurſu; ſi iſtud: ergo actus moraliter mali cauſa prima non eſt Deus, ſed ab eo diverſum aliud principium; id quod accedere videtur ad errrorem Manichæorum, duo rerum prima principia ſomniantium. 2*do*, quia ex hac determinatione infertur, Deum omnipotentiam ſuam donare, imo & ſubjicere creaturæ ad uſum ejus plene liberum; hæc autem opinio ab Innocentio XI. An. 1679. die 23. Sept. damnata eſt in ſeqq. Propoſitionibus: *Deus donat nobis omnipotentiam ſuam, ut ea utamur, ſicut donat aliquis alteri villam vel librum* &c. item: *Deus ſubjicit nobis ſuam omnipotentiam.*

Reſp. ad I. D. Maj. Deus ad peccatum cooperatur ſenſu improprio, hoc eſt, phyſice concurrit quidem, at ex determinatione tantum aliena, & contra propenſionem ac intentionem propriam C. cooperatur ſenſu proprio, hoc eſt, moraliter ita, ut etiam phyſice concurrat ex propria determinatione, cum propenſione in peccatum, ejusque intentione, ut fit, dum hominum aliquis alieno peccato cooperatur, ac propterea ei imputatur illud N. Ex quo colligas, in hac ſententia Deum peccati eſſe auctorem negari non ideo præciſe, quod ad illud ut cauſa phyſica & generalis ex aliena determinatione concurrat: verum quia id agit præterea contra propenſionem & intentionem propriam, non peccatum, ſed ejus potius omiſſionem volens, ac idcirco per auxilia ſufficientia (quantum ſalva libertate creata licet) a peccando abſtrahens. Unde ſimul patet, actus boni creaturæ liberi cauſam eſſe Deum propterea: quia, licet ad illum

Digitized by Google

illum concurrat ex determinatione creaturæ, hoc ipſum attamen facit cum peculiari voluntatis propenſione in actum bonum, eundem poſitive intendit, eumque in finem confert auxilium prævifum efficax. Quod in Object. additur, minus urget: neque enim peccatum alienum imputatur non impedienti, niſi illud & poſſit & teneatur ſimul impedire; non teneri autem Deum nemo ambigit, ſecus nulla forent peccata.

Reſp. ad II. Cum formalis malitia peccati (ut dicetur Diſſert. II. §. I.) in re habeatur per ipſum actum a creatura libere poſitum contra legem, ne litem de voce inferam, admiſſa Maj. diſtinctione explico Min. eſt creaturam ad formaliter peccandum juvari in ſenſu improprio C. ſenſu proprio N. Applica iſthuc ea, quæ paulo ante dicta ſunt de cooperatione: par enim eſt hujus argumenti habenda ratio, cum juvare & cooperari ad aliquid non ſint actiones quoad rem in æſtimatione morali diverſæ.

Reſp. ad III. Conſecutionem, quæ ex hoc Dei indifferente concurſu infertur, Diſtinguendam eſſe: ſequitur, Deum *in actu primo* non concurrere niſi a creatura determinatum N. non concurrere *in actu ſecundo*, iterum Diſt. niſi a creatura determinatum per ejusdem electionem conditionatam, medio ſcientiæ mediæ prævifam C. per ejus electionem abſolutam N. Hoc jam autem ſenſu Deum determinari a creatura, non eſt, cur ſuſtineri nequeat.

Id quod ut planius intelligas, obſerva. Deum *in actu primo* ad actum peccati (de quo uno hic agitur) concurrere, eſt hujusmodi decretum concipere: *ad hominem in ſua libertate relinquendum offero illi indifferenter omnipotentiam meam, ut ea libere uti poſſit ad actum bonum vel malum; unde, licet cupiam*

Digitized by Google

actum poni duntaxat bonum, *ſi tamen is omnipotentia mea uti velit ad actum malum, nolo eum impedire.* Concurſus autem *in actu ſecundo* habetur per hoc, quod creatura, memorato Dei decreto & reliquis principiis ad libere agendum requiſitis inſtructa, præ bono actum malum re ipſa eligat ac ponat, actionem hanc Deo non impediente, ſed indifferenter omnipotentiam ſuam actu applicante, eaque abuti creaturam permittente. Quibus attentis certum fit 1*mo*, Deum ad concurſum *in actu primo* non determinari a creatura: cum memoratum decretum ante omnem hominis determinationem libere concipiat eum in finem, ut libertas creata relinquatur illæſa. Certum fit 2*do*, Deum ad concurſum *in actu ſecundo* a creatura determinari per ejus electionem conditionatam; cum laud. decreto conſtituerit non impedire ab agendo hominem, tametſi is actum malum præ bono eligat, hancque ipſam electionem Deus prævideat ſub conditione ſui concurſus. Certum fit denique 3*tio*, per electionem peccati abſolutam creaturæ non determinari Deum ad concurſum *in actu ſecundo*: tum quod ad hunc jam ſufficienter determinetur per antecedens ſuum decretum & electionem peccati conditionatam, eamque medio ſcientiæ mediæ prævisam; tum quod actualis electio, ſeu determinatio ad peccatum ſit ipſum actuale peccatum, quod a creatura ponitur Deo ſimul *in actu ſecundo* concurrente. Atque ex his pronum eſt reſpondere ad duo illa momenta, quæ argumento adjiciuntur. Nimirum

Quod ad 1*mum* attinet: creaturæ determinatio non eſt prior divino concurſu *in actu primo* tali; concurſu autem, qui fit *in actu ſecundo*, prior eſt creaturæ determinatio ſolum conditionata, non etiam abſoluta. Unde creatura nullo vero ſenſu poteſt dici cauſa prima, etiam reſpectu actus moraliter mali. Non cauſa prima *phyſica*, ut alioquin certum eſt: cum & vim phyſice agendi a Deo accipiat,

Digitized by Google

piat, hancque ipſam ſine actuali ejus phyſico concurſu exercere non poſſit. Non etiam cauſa prima moralis, ſeu eligens & determinans peccatum: cum enim hoc ex libera ſui determinatione eligat ſola voluntas creata, non utique *prima*, ſed ſola & unica moralis cauſa peccati dicenda eſt creatura. Profecto autem hæc nihil commune habent cum Manichæorum errore; præſertim cum in his principiis, etiam reſpectu actus mali, Deus non tantum ſit unica *cauſa prima phyſica:* ſed etiam unum duntaxat *primum liberum* hoc ſenſu, quod ab eo ducat originem omnis libertas creata, neque ullus creaturæ actus liber dari poſſit, niſi Deo ad exercitium illius omnipotentiam ſuam libere applicante duplici concurſu, de quo hactenus dictum. Hæc interim per occaſionem tantum, ac obiter: de Deo enim ut prima cauſa, primo movente, & primo libero agitur ex propoſito in ea Theol parte, qua Syſtema libertatis & Prædeterminatio phyſica in communi expenditur.

De 2*do* ità habe. Quamvis Deus omnipotentiam ſuam creaturæ indifferenter applicet, eam tamen illi proprio ſenſu (quem ſpectatis verbis cit. Propp. damnatæ exprimunt) nec donat, nec ſubjicit; quia nullum proprietatis aut jurisdictionis jus creaturæ tribuit in ſuam omnipotentiam, cum ei citra ullam injuriam concurſum ſuum, dum libuerit, negare poſſit. Alia eſt conditio eorum, qui proprio Juris ſenſu donant aliquid, aut ſubjiciuntur alteri.

Altera ejusdem Aſſertionis pars ab oppoſitæ ſententiæ Patronis primum impugnatur Doctoris Ang. auctoritate. Hæc autem potiſſimum ex eo recitant. 32

I. Quodl. 12. qu. 4. Ar. 4. generatim ait, *quod a providentia Dei omnia ſunt prædeterminata & ordinata;* igitur etiam peccatum: non quoad ejus *formale*, ergo *materiale*.

II. De

II. De quæſtione, *utrum actio peccati, in quantum actio, ſit a Deo?* in 2. Diſt. 37. qu. 2. Ar. 2. his verbis mentem ſuam exponit: *quidquid eſt in actu deficiente* (hoc eſt, peccato) *de ratione actus, & entis, & boni, totum a primo agente* (ſcilicet Deo) *procedit mediante voluntate; ſed ipſe defectus, qui eſt in actu, hoc modo eſt in voluntate, quod a Deo non procedit.* Ubi *peccati actum*, qui eſt ipſum *materiale* peccati, & *actus defectum* diſtinguens, non hunc, ſed illum duntaxat ait procedere a Deo; ergo, cum ad utrumque Deus phyſice concurrat, præterea peccati *materiale* ex mente S. Doctoris quadam ratione alia a Deo procedit. Qua autem ratione alia, niſi quod ad illud etiam prædeterminet?

III. Paulo ante cit. Diſt. 37. qu. 79. Ar. 2. rurſum in peccato actionem a defectu ſecernens, *defectus iſte*, inquit, *non reducitur in Deum ſicut in cauſam, ſed in liberum arbitrium: ſicut defectus claudicationis reducitur in tibiam curvam ſicut in cauſam, non autem in virtutem motivam, a qua tamen cauſatur, quidquid eſt motionis in claudicatione. Et ſecundum hoc Deus eſt cauſa actus peccati, non tamen eſt cauſa peccati; quia non eſt cauſa hujus, quod actus ſit cum defectu.* Cenſuit ergo D. Thomas, perinde ac virtus motiva determinat motum, non claudicationem: Deum quoque determinare peccati actum, ſeu *materiale*, non vero actus ejusdem defectum, ſeu *formale*.

Reſp. I. in communi: ad auctoritatem D. Thomæ tuto non poſſe Adverſarios provocare. Etenim

1mo, ſi non certum, multo ſaltem veriſimilius eſt, a Doctore Ang. univerſim *prædeterminationem phyſicam* quoad rem ipſam rejici; certe quoad hoc nomen ignotam illi fuiſſe, ne Adverſarii quidem diffiteri poſſunt. Conſule, ſi lubet, Henricum de Cerf in ſua de mente D. Thomæ circa prædeterm. phyſ.

Digitized by Google

phyſ. *Controverſia:* ubi complura refert ex S. Doctoris Operibus teſtimonia, prædeterminationi phyſicæ repugnantia. Eorum duo retuliſſe ſufficiat. In 2. Diſt. 28. qu. 1. Art. 1. *non enim*, inquit, *homo eſſet liberi arbitrii, niſi ad eum determinatio ſui operis pertineret, ut ex proprio judicio eligeret hoc aut illud.* Item in 2. Diſt. 39. qu. 1. Art. 1. hæc habet: *potentia voluntatis quantum in ſe eſt, indifferens eſt ad plura; ſed quod determinate exeat in hunc actum vel in illum, non eſt ab alio determinante, ſed ab ipſa voluntate.* Profecto vel hæc cum prædeterminatione phyſica conciliare omnino arduum eſt; inde factum, ut e Thomiſtis complures ab ea diſcederent: quin P. M. Campanella ex Ord. Prædicatorum Vir celebris in L. de Prædeſt. & Reprob. Art. 1. non dubitaret aſſerere: *Doctores prædeterminantes invitum trahunt S. Thomam pro ſua ſententia.*

2*do*, ut ut res habeat circa prædeterminationem ad actus bonos, eadem tamen quoad *peccati materiale* nullo prorſus fundamento attribuitur Doctori Angelico: tum quod nullus ex eo locus proferri queat, qui ſenſu in prima hujus Aſſert. parte a nobis propugnato congrue exponi non poſſit; tum quod ita omnino exponi etiam debeat, ut concilientur ea, quæ aliis locis idem Angel. diſerte docet. Utrumque iſtud mox patebit ex Reſponſis ad textus objectos. Atque hæc ſimul cum illationibus, quæ ex prædeterminatione præſenti fiunt, dum ſecum attentius reputarent quidam D. Thomæ doctrinam profeſſi, adeo ſententiam hanc averſati ſunt, ut in eam acerbius etiam inveherentur. Prætereo ſenſa Joannis Vincentii, Franciſci Aravio, pluriumque aliorum: Baſilius Verdu Relect. contra ſcient. med. Parte 2. Concl. 13. poſtquam contendit, Deum ad peccati materiale prædeterminare non poſſe, *oppoſitum dicere*, ait, *eſſe impium & blaſphemum.* At enim hæc dicta

cta nimium! ego ab id genus verbis & cenſuris abſtineo; neque aliud mihi in referendis illis eſt propoſitum, quam ut Theologiæ ſtudioſus vel ex ſenſu Thomiſtarum conjiciat prædeterminantium ſententiæ difficultatem. Qui in hanc rem plura volet, adeat Baſilium Legionenſem, Paulum Leonardi, Henao, aliosque apud Platelium laudatos in Synop. Th. P. 2. C. 3. §. 4. nobis jam ſingillatim reſpondendum eſt ad loca ex Doctore Ang. objecta. Igitur

Reſp. II. ſpeciatim ad I. Ex mente S. Thomæ omnia quidem ſunt a Deo prædeterminata & ordinata: at non eadem ratione omnia; bona nimirum etiam *intentive*: mala autem ſolum *permiſſive*, quatenus ea decrevit permittere, & non impedire. Neque iſtud arbitrarie dici exiſtimes: ipſe S. Doctor expoſitionem hanc ſuggerit in 2. Diſt. 37. qu. 2. Art. 1. ad 1. ubi, *Deus non eodem*, inquit, *modo inclinat voluntatem in bonum & in malum: inclinat ſiquidem voluntatem in bonum adminiſtrando virtutem agendi, & directe movendo ad bonum: ſed ad malum dicitur inclinare, in quantum gratiam non præbet, per quam quis a malo retrahatur: & non quod directe voluntatem in malum ordinet;* quod poſtremum faceret per phyſicam prædeterminationem ad actum in ea libertatis circumſtantia, in qua actus contra legem poſitus non poſſet non eſſe *formaliter* malus.

Reſp. ad II. Quod hoc loco S. Doctor non velit peccatum, etiam ſecundum id, quod in illo eſt *de ratione actus*, procedere a Deo prædeterminante hunc actum, clarum fit ex ejusdem verbis in 2. Diſt. 28. & 39. quæ recitavimus ſupra Reſp. I. in communi. Quibus adde in Op. *de malo*, qu. 3. Ar. 3. ita loquentem: *voluntas, cum ſit ad utrumlibet, per aliquid determinatur ad unum, ſcilicet per conſilium rationis: neque oportet hoc eſſe per aliquod agens extrinſecum.* His invicem collatis pa-

patet, quod voluntas ex ſe indifferens *ad actum*, ad eundem ex mente Angelici determinetur a ſe ipſa: non autem ab alio, proinde nec a Deo. Quod igitur in obj. loco vult, hoc unum eſt: peccati actionem ſecundum ſe ſumptam procedere quidem a Deo phyſice concurrente ſimul cum voluntate creata; eandem tamen actionem, ut eſt deficiens, ſeu ſub ratione peccati non procedere proprie a Deo. Cur iſtud vero? quia ratio peccati habetur per hoc, quod quis peccatum libere determinet, aut intendat ſaltem; ergo peccati actio, ut peccatum eſt, ab eo ſolum proprie procedit, qui ſe ad peccatum libere determinat, aut illud intendit: at horum nihil convenit Deo, ſed ſoli creatæ voluntati; ad mentem igitur Angelici verum eſt, actionem peccati, ut ea defectus & peccatum eſt, proprio ſenſu non procedere a Deo, ſed a ſola hominis voluntate. Quæ omnia (ſi rem paucis dici velis) idem ſunt, ac Deum ad peccatum concurrere in genere cauſæ phyſicæ, & quidem concurſu mere indifferente: non concurrere autem in genere cauſæ moralis, ſeu concurſu voluntatem creatam ad peccati actum determinante.

Reſp. ad III. conformiter ad ea, quæ paulo ante dicta ſunt, hujus quoque loci verba, præſertim poſtrema explicanda eſſe. At, inquies, comparationem iſthic a D. Thoma factam urgere? neque iſtud: non enim fit quoad omnia, verum quoad aliqua duntaxat. Nimirum quoad hoc unum: quod ſicut virtus motiva ad motum claudum, ita Deus ad actionem peccati aliqua ratione (concurſu ſcilicet phyſico) concurrat; ſicut interim virtus motiva propter ſuum concurſum non eſt cauſa determinans claudicationem, ſed tibia curva: ſic & Deus, tametſi in genere cauſæ phyſicæ concurrat, non eſt tamen cauſa determinans peccatum. Ac profecto ſi hæc comparatio ex mente S. Doctoris foret omnimoda, amplius aliquid, quam vel Ad-

Digitized by Google

verſarii cupiant, ex ea conſequeretur: ſcilicet, quod ſicut motus, qui claudus eſt, quoad ſuam exiſtentiam determinetur a ſola vi motiva; ita & actio, quæ peccati materiale dicitur, ex ſolius Dei determinatione exiſtat. Iſtud vero in Adverſariorum principiis ſuſtineri nequit: cum per illos prædeterminatio non efficiat, quo minus peccati materiale ſit creaturæ liberum; quomodo autem erit liberum, ſi ad illud creatura nullatenus ſe determinet? Hactenus de ſenſu D. Thomæ. At enim

33 His non aquieſcunt Adverſarii. Angelicum ajunt ſenſa ſua conformaſſe veteribus Patribus, eorum autem præſertim Anſelmi & Auguſtini, doctrinam favere præſenti Prædeterminantium ſyſtemati; vim proinde inferri verbis ex S. Doctore objectis, dum ſenſu ab hac prædeterminatione alieno exponuntur: præſertim cum & rationum momenta evincant, poſſe Deum ad materiale peccati prædeterminare ſalva omni ſanctitatis ſuæ prærogativa. Verum quid de Patribus ſit ſentiendum, ſatis (opinor) intelligi poteſt vel ex iis, quæ N. 30. in Reſp. ad Objecta de Patrum doctrina commemoravimus. Quod igitur eſt reliquum, audiendi ſunt Thomiſtæ argumento a ratione theologica deprompto pugnantes. Hinc vero ita arguunt.

I. Sicut in phyſico ad peccatum concurſu, ſic & in prædeterminatione ad materiale peccati Deus ad illud concurrit ſolum *effective*, non *defective*: præſertim cum peccati materiale ſecundum ſe non ſit divinæ rationi difforme, ſaltem in peccatis contra legem mere poſitivam admiſſis. Cur igitur prædeterminatio ad materiale adverſetur divinæ ſanctitati?

II. Quamvis Deus in aliquem creaturæ actum influere nequeat ut cauſa ſpecialis, poteſt tamen influere ut cauſa univer-

Digitized by Google

verſalis: ita e. g. etiam per illos, qui negant Deum poſſe eſſe cauſam per ſe judicii erronei in creatura, poteſt illud nihilominus cauſare *per accidens*, concurrendo ſcilicet influxu mere generali; perinde igitur Deus, tametſi ſuadere non poſſit peccati materiale, quia id ageret ut cauſa ſpecialis: poteſt tamen ad illud prædeterminare, cum prædeterminatio hæc (ut Thomiſtæ volunt) fieret a Deo ut cauſa univerſali, & titulo cauſæ primæ, ac primi liberi.

Reſp. ad I. N. Aſſertum: certe non eandem eſſe concurſus phyſici & prædeterminationis rationem, ſatis docent momenta in utramque hujus Aſſertionis partem allata. Id unum nunc recoluiſſe ſuffecerit: is ad peccatum *defective* concurrit, qui ipſum ejus *formale* determinat aut intendit; at hoc fieret a Deo ad materiale prædeterminante, ut a N. 27. probatum eſt; ergo Deus, ad peccati materiale prædeterminans, non tantum *effective*, ſed & *defective* concurreret. Mirum vero! peccati materiale dici non eſſe difforme rationi divinæ; ſi ita videtur Adverſariis, cur non illud Deus etiam ſuadere aut præcipere poſſit? id quod tamen admiſſum nolunt. Mea quidem ſententia cujuslibet peccati materiale adverſatur divinæ rationi: licet non ſemper eodem modo. Nimirum in peccatis legi naturali contrariis, ſecluſa etiam libertate & cognitione malitiæ, actio opponitur alicui perfectioni divinæ morali; omnis autem id genus oppoſitio eſt difformis divinæ rationi: hinc eſt, quod peccet inducens amentem ad proferenda verba blaſphæma. In peccatis autem contra legem mere poſitivam admiſſis eatenus materiale eſt difforme eidem rationi divinæ, quatenus actio ponitur libere & cum advertentia ad legem prohibentem: quod utrumque per Adverſarios ad peccati materiale pertinet; at profecto actus ita poſitus non poteſt non eſſe difformis divinæ rationi, ergo &c.

Digitized by Google

Reſp. ad II. Si hoc argumenti genus obtineat, perinde licebit inferre: ſalvis perfectionibus divinis, & quin Deus ſit auctor peccati, poſſe illum prædeterminare etiam ad peccati formale; quia nimirum in principiis Thomiſtarum univerſim prædeterminatio tribuitur Deo tanquam cauſæ univerſali, non vero ut cauſæ ſpeciali. At enim directe etiam reſpondendum eſt ad argumentum. Igitur in Antec. propoſitione diſcrimen facere oportet: ad actus etiam ejusmodi poteſt Deus influere ut cauſa univerſalis, ſi influxu hoc Deus non reddatur univerſalis cauſa moralis & electiva actus alicui ſuæ perfectioni repugnantis, proinde moraliter mali C. ſi reddatur talis cauſa N. una cum Illatione facta. Jam vero Deus, tametſi ut cauſa univerſalis prædeterminaret ad materiale, quia nihilominus hoc ipſo (ut alias arguimus) prædeterminaret ad formale, fieret univerſalis ſaltem cauſa moralis ac electiva peccati; certe autem non minus repugnat Deum eſſe univerſalem id genus cauſam, ac cauſam ſpecialem. Sed nimirum adverſus hæc

34 Urgeri poteſt argumentum ex eo, quod (ut Thomiſtæ contendunt) perperam aſſeratur: Deum peccati materiale prædeterminantem, hoc ipſo prædeterminare, aut æquivalenter velle & intendere etiam formale. Etenim

I. Deus vi ſummæ ſuæ perfectionis non eſt capax volendi formalem peccati malitiam, aut ad eam hominem determinandi; non eo ipſo igitur determinat formale peccati, quod creaturam prædeterminet ad materiale.

II. Univerſim ſuſtineri nequit principium, quod hic ſupponitur: non poſſe ſcilicet intendi antecedens aliquod, quin hoc ipſo ſaltem interpretative intendatur conſequens cum illo connexum; tametſi igitur Deus velit ac determinet peccati materiale

Digitized by Google

teriale, non hoc ipſo dicendus eſt ullatenus velle ac determinare etiam formale, quod ad illud deinde conſequitur. Antec. propoſ. declaratur pluribus exemplis. Ita 1*mo*, ad peccandi libertatem infallibiliter conſequitur disjunctive peccatum, vel ejus omiſſio: Deus tamen volens & conferens libertatem peccandi, propterea non vult peccatum, ne disjunctive quidem. 2*do*, licet ad decretum permiſſivum peccati, per ſcientiam mediam præviſi, certo conſequatur peccatum: Deus tamen hoc decretum concipiens, illudque ſaltem exercite volens, non vult peccatum. Quin 3*tio*, tametſi peccati individuum re ipſa ſit idem cum ratione peccati ſpecifica: poteſt nihilominus Deus creaturam determinare ad peccati individuum, quin hoc ipſo determinet ad ejus ſpeciem.

Reſp. ad I. N. illationem. Ac profecto ſi illa valeat, cur non æque poſſint Calvini vindices ita arguere: Deus non eſt capax peccati formalis; ergo licet ſuadeat actum peccaminoſum, ac etiam ad illum neceſſitet, non eſt tamen auctor peccati ſecundum formalem ejus malitiam. Unde, ſi lubet, diſtinctione explica propoſ. Antec. non eſt Deus capax volendi aut determinandi formalem peccati malitiam, ac vel ideo una eſt incapax poſitive determinandi ipſum peccati materiale C. ſecus N. cum enim per Thomiſtas peccati formale ad ejusdem materiale ſequatur neceſſario & ſine nova libertate, aut ſaltem ſequi non poſſit ſine nova Dei prædeterminatione, ut ſupra N. 28. probatum eſt; quis non videat? prorſus eodem ſanctitatis nomine Deum eſſe impotentem volendi & determinandi materiale, quo non poteſt velle & determinare formale.

Reſp. ad II. principium hoc non valere quidem, ſi conſequens cum antecedente connectatur ſolum *per accidens:* valere autem, ſi illud cum hoc aut idem omnino ſit, aut cum eo titulo *cauſæ*

per

Digitized by Google

per ſe connectatur. Ratio 1*mi* eſt: quia hoc ipſo, quod antecedens aliquod *per accidens* tantum connectatur cum conſequente, ac proinde in illud non influat in genere cauſæ moralis, jam verum eſt, ab alia cauſa & libertate poni, aut certe ponendum eſſe conſequens; unde non eſt, cur quis antecedens ejusmodi volens, velle etiam debeat conſequens. Ratio 2*di*: Si enim antecedens omnino ſit idem cum conſequente, aut cum eo titulo *cauſæ per ſe* connectatur, ita nimirum, ut per antecedens determinetur ipſum conſequens, dubitari nequit, aut non eſſe diverſam antecedentis & conſequentis exiſtentiam, aut tametſi diverſa ſit, utramque nihilominus procedere & determinari ab eadem cauſa ac libertate; cum igitur quis idem velle & nolle ſimul nequeat: cumque juxta notum axioma, *qui eſt cauſa cauſæ, ſit etiam cauſa cauſati*, fieri non poteſt, ut quis hujusmodi antecedens velit, nec tamen conſequens velit aut *formaliter*, aut ſaltem *interpretative & virtualiter*. Jam vero prædeterminatio ad materiale peccati hoc altero modo ſe habet reſpectu formalis malitiæ: cum hæc ad illud conſequatur aut citra novam libertatem, aut ſaltem Deus ad materiale prædeterminans debeat etiam dein prædeterminare ipſum formale; vel ideo igitur, quod Deus velit ac prædeterminet peccati materiale, etiam formale vult ac prædeterminat ſaltem *interpretative & virtualiter*.

Atque hinc facile conjicias, diſparem eſſe rationem eorum, quæ in relatis exemplis opponuntur. Nimirum 1*mo*, libertatem peccandi Deum velle & conferre non aliud eſt, quam decreto permiſſivo omnipotentiam ſuam ita indifferenter applicare, ut, quamvis ipſe malit omiſſionem peccati, nolit tamen impedire illud, ſi a creatura libere eligatur; ad quod decretum cum prorſus *per accidens*, ac ex propria creatæ voluntatis determinatione ſequatur peccatum, non eſt, cur Deus,

liber-

libertatem volens, vel interpretative velit disjunctive peccatum. Idem eſt de *2do*: nam decretum permiſſivum peccati (eadem eſt ratio decreti, quo confertur auxilium prævifum inefficax) ſe ſolo ac *per ſe* non connectitur determinate cum peccato, ſed tantum ut ſimul ſumptum cum ſcientia media de peccato conditionate futuro: hæc autem ſcientia non Deo, ſed creaturæ ipſi eſt libera; ergo, dato etiam hoc decreto, in libertate creaturæ eſt electio & determinatio peccati, ſicut in ejusdem libertate eſt, ut Deus per ſcientiam mediam videat peccatum potius, quam omiſſionem illius. De *3tio* notaſſe ſatis fuerit: a Deo facta determinatio ad individuum peccati præſupponit in creatura determinationem ad ſpeciem; præterea, ad ipſum individuum Deus *negative* tantum & *permiſſive* determinat, quatenus ſcilicet decernit ad nullum aliud peccati a creatura libere electi individuum concurrere, quam quod permittit. Conformiter ad hæc de decreto Dei Chriſtum Redemptorem aut Petri pœnitentiam prædefinientis, vel volentis generationem humanam, ad quam conſequitur peccatum originale, aliisque ejusmodi dicendum eſt.

§. IV.

Qua ratione hoc providentiæ ſtatu peccatum ſufferatur ita, ut in ſenſu theologico non amplius exiſtat?

QUando, & quo auctore exiſtat peccatum, ex §. I. & III. ſatis conſtat. Idem vero, tametſi quoad actum phyſicum prætereat, ac idcirco in ſenſu philoſophico exiſtere deſinat: certum nihilominus eſt, eo uſque moraliter & in acceptione theologica perdurare, dum remittatur; cum vi illius, citra remiſſionem, peccator perſeveret dignus offenſi Dei diſplicentia,

odio, & pœna. Ut primum contra peccati antea admiſſi ſit remiſſio, continuo ita ſublatum eſt, ut non amplius moraliter ac in ſenſu theologico exiſtat. Fieri autem poteſt hæc remiſſio vel quoad culpam, vel etiam quoad pœnam culpæ reſpondentem; unde, quo definiatur peccati quoad exiſtentiam abrogatio, generatim hic remiſſionis modus declarandus eſt. Et quoniam diverſa ſunt, diſponi ad peccati remiſſionem, & ipſam (ut dicimus) *formalem* remiſſionem obtinere: utrumque (ſola hujus providentiæ lege ſpectata) ſingillatim expendere juverit.

De diſpoſitione ad remiſſionem peccati obtinendam requiſita.

35 I. OMnes quidem virtutum actus, ſi ſupernaturales ſint, peccatorem diſponunt ad conſequendam veniam: longe propius attamen iſtud fit per actus pœnitentiæ. Quin hoc providentiæ ſtatu adeo in hunc finem neceſſaria eſt univerſim pœnitentia, ut citra illam nullius omnino culpæ, tametſi leviſſimæ, remiſſio obtineri poſſit unquam, proinde ne intra Sacramentum quidem. Generatim nimirum Eccli. 2. dicitur, *ſi pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini;* & in Trident. Seſſ. 14. Cap. 4. *fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius.* Cæterum uti pœnitentiæ actus ſunt diverſi, ita non eſt una ac eadem ratio illorum comparate ad peccatum mortale, & veniale. Nempe

36 II. Ut peccati mortalis obtineatur remiſſio, *regulariter* requiritur actus pœnitentiæ *formalis*, ſeu dolor & deteſtatio: tum quod Scriptura, pœnitentiæ neceſſitatem inculcans, ſenſu proprio accepta de id genus pœnitentia intelligi debeat; tum quod de illa Scripturam loqui communiter exiſtiment PP.

a Sua-

Digitized by Google

a Suarezio de Pœnit. Diſp. 9. Sect. 1. laudati, hoſque inter nominatim Auguſtinus L. de Pœnit. medicina C. 5. ubi, *non ſatis eſt*, inquit, *mores in melius mutare*, *ſed oportet ſatisfacere etiam Deo per pœnitentiæ dolorem*; tum denique, quod ipſum Trident. ſupra cit. C. motum contritionis, quovis tempore ad impetrandam veniam neceſſarium, dicat eſſe *animi dolorem*, *ac deteſtationem de peccato commiſſo*, *cum propoſito non peccandi de cætero*. Quæ quidem pro pœnitentia ſaltem de peccato gravi agenda pugnare, ſat certum eſt.

At enim conſulto dictum, *regulariter*: nam non diffiteor, abſolute loquendo poſſe obtineri culpæ etiam mortalis veniam ſubſidio pœnitentiæ *virtualis*, quæ in perfectæ charitatis actu conſiſtat. Id quod aperte colligitur ex divina promiſſione Prov. 8. *ego diligentes me diligo*; & ibid. C. 10. *univerſa delicta operit charitas*. Conſentiunt Patres apud laud. Suarez; vel Auguſtinum audire ſuffecerit, *peccata* (inquit ille L. 2. contra Creſcon. C. 12.) *mundantur ipſa, quæ omnibus ſupereminet, charitate*. Hinc merito a Pio V. & Gregorio XIII. damnata eſt Mich. Baji propoſ. 70. *Homo exiſtens in peccato mortali, ſeu in reatu æternæ damnationis, poteſt habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta poteſt conſiſtere cum reatu æternæ damnationis*.

Ex quibus una conjicias, tantam eſſe charitati perfectæ, jureque potiori contritioni cum charitate eadem conjunctæ efficaciam, ut ad actus hos, etiam extra Sacramentum elicitos, continuo ſequatur remiſſio peccati, quantumlibet gravis. Clara in hanc rem eſt Tridentini Seſſ. 14. Cap. 4. doctrina: eandemque paulo ante laud. Pontifices confirmarunt, ut patet ex damnata Baji cit. propoſ. 70. ac etiam 71. *Per contritionem, etiam cum charitate perfecta & cum voto ſuſcipiendi Sacramentum*

Z z 2 con-

conjunctam, *non remittitur crimen*, *extra caſum neceſſitatis aut Martyrii*, *ſine actuali ſuſceptione Sacramenti.* Hæc interim non officiunt, quo minus contritio & charitas perfecta ſint in genere cauſæ moralis, ſeu meritoriæ, mera diſpoſitio & præparatio ad remiſſionem peccati mortalis, non autem ipſa *formalis* remiſſio. Præterquam quod enim S. Literæ remiſſionem hanc commemorent ceu diſtinctum aliquod a pœnitentia, eique ex liberali divina promiſſione ſuperadditum beneficium, ut Ezech. 33. *ſi impius egerit pœnitentiam*, -- *omnium iniquitatum ejus non recordabor* &c. etiam Trident. Seſſ. 14. Cap. 4. generatim de contritione ait: *præparat ad remiſſionem peccatorum.* Certius fiet iſtud ex infra dicendis N. 39.

37 III. Remiſſio peccati venialis id habet peculiare, quod tametſi ad eam quoque diſpoſitionis inſtar prærequiratur pœnitentia, hancque (abſolute loquendo) etiam *virtualem* eſſe ſufficiat: eam tamen adeo eſſe perfectam neceſſarium non ſit, ac ad remiſſionem mortalium. Ita, ſi de *formali* pœnitentia ſit ſermo, in juſto vel contritio imperfecta (quam attritionem dicimus) ſufficit ad remiſſionem venialium culparum obtinendam, etiam extra Sacramentum: quia Trident. Seſſ. 14. C. 2. aperte docet, *venialia non ſolum per Sacramentum Pœnitentiæ*, *ſed etiam multis aliis remediis expiari poſſe;* ſi multis aliis: non ſola igitur contritione perfecta, ſed alio etiam pœnitentiæ *formalis* actu, qualis eſt attritio. Si porro de *virtuali* pœnitentia quæras: probabile eſt vel eam ſufficere, quæ continetur in quolibet juſti hominis actu bono ſupernaturali ejusmodi, qui pugnet cum peccatis venialibus, affectumque actualem ad illa excludat. Doctrinæ hujus probabilitas fundatur in auctoritate D. Thomæ in 4. qu. 87. Ar. 1. ac etiam communiore Doctorum ſenſu apud Suarez de Pœnit. Diſp. 11. Sect. 3. Accedit ratio: nam, ſi ſola charitas perfecta eſſet *virtualis* pœnitentia ſufficiens ad remiſſionem venialium, per pœ-

Digitized by Google

pœnitentiam *virtualem* longe difficilius obtineretur remiſſio venialium, quam mortalium; cur ita? quia difficilior eſt actus amoris Dei excludens affectum ad venialia, quam ad ſola mortalia.

IV. At qua ratione, inquies, diſponit pœnitentia ad remiſſionem venialium? variant Doctores; quod communius exiſtimant, referam. 38

Contritio & charitas perfecta hominis juſti videntur habere rationem condignæ ſatisfactionis pro culpa veniali, ejus nimirum, cujus ſunt retractatio ſaltem *virtualis*. Ratio eſt: quia inprimis per hos actus, a gratia dignificatos, probabiliter integre compenſatur injuria Deo illata per peccatum veniale; cum enim hoc ſit levis tantum offenſa, actus autem illi in conſortio præſertim gratiæ ſint præſtantiſſimi, tantum honoris per eos videtur reddi Deo, quantum peccato veniali ademptum eſt; ſecundum ſe igitur memorati actus tantundem ſunt in ratione ſatisfactionis, quantum venialis culpa in genere offenſæ & injuriæ. Sed & actus iidem, tametſi aliis quoque titulis exigi poſſint, a Deo nihilominus acceptantur in ſatisfactionem: nam in hac providentia univerſim opera noſtra bona Deus acceptat nomine ſatisfactionis, ut conſtat ex S. Literis, ac nominatim illo 1. Joan. 1. *ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra.* Cum igitur ad condignam pro veniali ſatisfactionem non plus requiratur, quam ut actus in linea ſatisfactionis ſit tantus, quantum eſt veniale in linea offenſæ: idemque præterea a Deo acceptetur titulo ſatisfactionis; nihil ad condignam pro culpa veniali ſatisfactionem deeſſe videtur charitati & contritioni perfectæ. Atque in hac ſententia actus memorati, licet aliqua ratione diſponant ad remiſſionem venialium, non ſunt tamen mera diſpoſitio: ut cuique facile patebit, ſi condignæ ſatisfactionis efficaciam expendat.

Attritio (idem dic de quovis alio juſti hominis actu bono ac ſupernaturali, qui affectum ad venialia excludat) eſt ſaltem proxima & ultima diſpoſitio ad venialium remiſſionem: imo etiam ejus cauſa moralis, ſeu meritoria de congruo ut minimum; id quod vel inde ſatis colligitur, quod ad actus hujusmodi a juſto elicitos ſemper conſequatur remiſſio venialis culpæ: ac univerſim opera noſtra bona rationem meriti habeant. Plura de his legere eſt apud Suarez de Pœnit. Diſp. 11. Sect. 3. & de Incarn. Diſp. 4. Sect. 11.

De formali remiſſione peccati.

39 I. PEccati mortalis *formalem remiſſionem* haberi per condonationem intrinſecam, eamque in gratiæ ſanctificantis infuſione conſiſtentem, aperte docemur ex Tridentini Seſſ. 6. Cap. 7. declaratione; poſtquam enim priore Cap. egit de modo præparationis ad juſtificationem per actus pœnitentis, dein hoc Cap. ita doctrinam ſuam proſequitur. *Hanc diſpoſitionem, ſeu præparationem juſtificatio ipſa conſequitur; quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum, unde homo ex injuſto fit juſtus* &c. Cauſas ſubinde *juſtificationis* varias exponens, concludit: *demum unica formalis cauſa eſt juſtitia Dei, non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit, -- juſtitiam in nobis recipientes unaſquisque ſuam &c.* Mox vero: *unde in ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo -- fidem, ſpem, & charitatem.* Ex mente igitur Tridentini juſtificatio eſt *partialiter* ſaltem remiſſio peccatorum; atqui per idem Trident. unica formalis cauſa juſtificationis eſt juſtitia in nobis recepta, id eſt, habitualis & ſanctificans gratia; hæc eadem ergo eſt unica formalis remiſſio peccati mortalis, quod in juſtificatione condonatur.

Ex

Digitized by Google

Ex quo colligitur *1mo*, ſuſtineri non poſſe Vaſquezii & Hurtadi opinionem, qua aſſeritur, contritionem natura ſua & in genere *cauſæ formalis* abolere peccatum mortale. *2do*, in hac providentia nunquam remitti unum mortale ſine alio: cum gratia ſanctificans cum nullo penitus gravi peccato componi poſſit.

II. De peccati venialis *remiſſione formali* non eſt una ac 40
conſentiens Doctorum ſententia.

Plurimi equidem cum D. Thoma contra Scotum & Durandum exiſtimant, veniale peccatum non remitti unquam niſi præſente gratia habituali: quamvis enim eam remiſſioni huic neceſſum non ſit præexiſtere, longe probabilius eſt tamen non remitti unquam veniale, quin vel infundatur, vel augeatur gratia. Porro aſſerti hujus ratio inde repetitur: nam vel peccatum veniale remittitur ſimul cum mortali; ac tum quidem infundi gratiam, ut pote ad remiſſionem mortalis neceſſariam, controverti non poteſt: vel remittitur ſolum veniale hominis juſti; quo caſu neceſſe eſt augeri gratiam, quia hæc remiſſio non fit ſine prævio aliquo pœnitentiæ actu, qui, cum dignificetur a præexiſtente gratia, habet omnia requiſita ad merendum ejuſdem augmentum. Unde in hac ſententia ut certum ſtatuitur, veniale ſine mortali non remitti in eo, qui utroque eſt obſtrictus. Id vero propterea, quod iſtud fieri oporteret medio attritionis a non juſto elicitæ, cui tamen hæc virtus attribui non poteſt: cum ejuſmodi attritio, ut pote non dignificata a gratia, nec ſit ſatisfactio condigna, nec meritum condignum; quin eadem nec alio titulo dici poteſt eſſe proxima diſpoſitio ad remiſſionem venialium, cum nullum ſit fundamentum aſſerendi, Deum id genus attritioni promiſiſſe eam remiſſionem.

Neque tamen ex his quiſquam intulerit, peccata venialia

for-

formaliter remitti ac deleri per gratiam habitualem : quamcumque enim intenſa ſit, hoc providentiæ ſtatu componi poteſt cum venialibus; eorum igitur *cauſa formalis remiſſiva* eſſe nequit. At enim, quamvis in hoc cum D. Thoma communiter DD. contra Alenſem conſpirent, non diſſitentur tamen difficile eſſe nominatim deſignare id, quo nunc hæc *formalis remiſſio* perficiatur. Mihi cum Viva de Pœnit. Diſp. 2. qu. 7. ſatis fuerit de hoc disjunctive ſtatuere: fieri nimirum iſtud vel per condonationem mere extrinſecam; vel per ſatisfactionem condignam, a juſto per contritionis aut charitatis perfectæ actus præſtitam; vel demum per ſatisfactiones Chriſti medio Sacramentorum aut actuum aliorum ſupernaturalium nobis applicatas. Ratio eſt: quia nomine hujus *cauſæ formalis* id venit, quod ſecundum ſe componi nequit cum peccato veniali; quidvis autem horum eſt ejusmodi, ut patet, ergo &c.

41 III. Magis arduum eſt definire, qua ratione venialia remittantur poſt hanc vitam. Certe remitti illa communis eſt Theologorum ſententia, ſi Hug. Victorinum & paucos ei adhærentes demas, quibus viſum, neminem unquam decedere cum ſolis venialibus: item Alenſem, cujus opinione venialia remittuntur ante mortem per gratiam finalem citra ullum hominis actum. Præcipua itaque inter DD. controverſia eſt in deſignando modo, quo juſtis poſt obitum veniales culpæ remittantur. Quidam id fieri putant in primo inſtanti ſeparationis animæ a corpore propter aliquem actum in vita elicitum, & in hunc finem a Deo acceptatum: alii per ſatisfactionem in purgatorio ab anima præſtitam: alii adferunt alia, ut videre eſt apud Suarez de Pœnit. Diſp. 11. Sect. 4.

Reliquis attamen probabilior eſt opinio eorum, qui exiſtimant, peccata venialia remitti juſtis poſt hanc vitam per charitatis

Digitized by Google

tatis & contritionis perfectæ actum, quem anima in primo ſuæ ſeparationis inſtanti elicit. Iſtud certe quoad ſubſtantiam diſertis verbis docet Doctor Ang. Qu. 7. de Malo, Art. 11. ubi, *Venialia*, inquit, *remittuntur poſt hanc vitam, quantum ad culpam, eo modo, quo remittuntur in hac vita: ſcilicet per actum charitatis in Deum repugnantem venialibus in hac vita commiſſis.* Quid autem vetat hunc actum ab anima primo illo ſeparationis momento elici? profecto cum eo tempore ſtatim conditionem ſuam clare cognoſcat, ſimulque ei non deſint divinæ gratiæ auxilia, prorſus expedita redditur ad amandum Deum, & deteſtandas culpas antea admiſſas.

At enim, inquies, nullus in altera vita actus eſt meritorius aut ſatisfactorius; qui ergo memorata contritio aut charitas ad delendum veniale peccatum conferre poſſit? Id ipſum ſibi opponens D. Thom. in 4. Diſt. 21. qu. 1. Ar. 3. dein ad 4. ita reſpondet. *Dicendum, quod poſt hanc vitam non poteſt eſſe meritum reſpectu præmii eſſentialis: ſed reſpectu alicujus accidentalis eſſe poteſt, quamdiu manet homo in ſtatu viæ aliquo modo; & ideo in purgatorio poteſt eſſe actus meritorius, quantum ad remiſſionem culpæ venialis.* Conformiter ad quæ graviſſimi Theologi exiſtimant, nullum quidem alterius vitæ actum eſſe meritorium præmii ſubſtantialis; poſſe tamen eſſe meritorium præmii accidentalis, ejusque ad præmium ſubſtantiale obtinendum neceſſarii, qualis foret venialium remiſſio: præſertim cum in ordine ad hanc anima juſti a corpore ſeparata nondum ſit integre in termino, ſed potius in ſtatu viæ aliquo modo. Similiter, ex eorumdem DD. ſententia, quamvis actus vitæ alterius nequeat eſſe ſatisfactorius pro mortali peccato: poteſt tamen eſſe pro venialibus, cum eorum remiſſio ad conſequendum beatitudinis præmium ſit neceſſaria, fiatque prorſus con-

grue per ſatisfactionem. Quod ſi hæc non placeant, dic: actus memoratos in illo ſeparationis momento a juſto elicitos eſſe ſaltem conditionem, qua impleta per condonationem mere extrinſecam aboleantur culpæ veniales.

Corollarium

De peccati remiſſione in ſtatu alterius providentiæ.

HActenus de peccati remiſſione, quæ fit ſecundum leges hujus providentiæ. Certum interim eſt, haud deeſſe plures modos alios, quibus in altera providentia, aut etiam in hac per legem extraordinariam peccata remitti poſſint. At enim qua id nominatim ratione Deus faceret, quis divinare audeat? nihil ſane de hoc certi, quin nec ſatis probabile; unde tota diſceptatio, quæ iſthic a quibuſdam inſtituitur, eo recidit: quomodo in alia providentia Deus peccata poſſit remittere? Sed fatendum, curas has plus nimio eſſe anxias, ac parum utiles: quid enim opus ſtudiis adeo ſolicitis rimari illa, quæ eventura ſunt nunquam, ac in quorum notitiam (tametſi eveniant aliquando) devenire omnino non poſſis? ſatis (opinor) recondita hujus providentiæ myſteria Theologo dant negotii. Verum de illis quoque collibitum eſt diſceptare quibuſdam: ne igitur hi Theologiæ ſtudioſo peregrinam loqui videantur linguam, ſtrictim quædam de providentiæ alterius litibus adnotare juverit.

42 Quærunt I. an peccatum mortale in alia providentia Deus poſſit remittere per condonationem mere extrinſecam? ac etiam per eandem unum abſque alio? Affirma utrumque liberaliter. Ratio 1*mi* eſt: quia iſtud nulli adverſatur perfectioni divinæ, neque excedit Dei potentiam: cur enim, ceu abſolutus Dominus, nequeat juri ſuo ad odio habendum & puniendum pecca-

catorem libere cedere per decretum mere extrinſecum abſque infuſione gratiæ, aut doni alterius ſimilis? Ratio 2di: quia ſicut unum peccatum mortale eſt diſtinctum ab altero, ita diſtinctum quoque jus ex uno & altero reſultat in Deo; nihil igitur eſt, cur non poſſit cedere juri uni, non alteri: hoc eſt, cur non poſſit cedere juri ad odio habendum & puniendum hominem ratione peccati unius, retinere contra jus odio habendi & puniendi ratione alterius. Certe nunc etiam veniale unum ſæpe remittitur ſine alio; cur non igitur perinde &c. Pro utroque præterea rite arguitur a remiſſione offenſæ in humanis.

Quærunt II. num mortale habituale abſolute loquendo remitti poſſit citra præviam peccatoris retractationem? Affirma rurſum. Cur enim Deus abſque ullo prævio peccatoris actu & diſpoſitione non poſſit cedere juri ſuo ad odio habendum illum & puniendum? Nihil profecto in hoc videtur repugnantiæ: præſertim cum & hoc providentiæ ſtatu parvulis, nullius diſpoſitionis capacibus, condonetur culpa originalis. Adde rurſum ab humanis exemplum: certum quippe eſt, poſſe hominem offenſum condonare injuriam abſque omni prævio actu offendentis. 43

Quærunt III. an etiam peccatum, dum actu fit, aut priuſquam fiat, per condonationem extrinſecam remitti poſſit quoad jus proximum odio habendi & puniendi peccatorem? Et illud denique affirma. Ad ſupremum nempe Dei dominium & libertatem pertinet, ut titulum ex peccato, quod actu fit, ſibi oblatum ad proxime odio habendum & puniendum poſſit eodem momento non acceptare; id quod ſi faceret, fieret utique peccati condonatio, de qua quæritur. Ita poteſt Deus eodem inſtanti, quo votum concipitur, non acceptare jus ex 44

eo ſibi oblatum, atque hoc ſenſu votum remittere; ergo etiam &c.

At hæc jam ſufficiant: quando tricis his diſtineri amplius nec vacat, nec expedit. Si de illis plura noſſe lubet, reperies apud Scotum, Soto, Suarez, Maſtrium, Amicum, Lugo, pluresque alios.

DISSERTATIO II.

DE PECCATO PERSONALI.

§. I.

Quid ſit commiſſionis peccatum, & in quo reponenda ejus malitia?

DE peccato Perſonali acturi ab eo, quod *commiſſionis* dicitur, initium facimus. Eſt autem (ut jam priore Diſſert. §. II. inſinuavimus) peccatum *perſonale*, quod quis voluntate ſibi phyſice propria admittit: idemque tum, dum actu fit, *actuale* dici ſolet. Porro modus, quo illud incurritur, conſiſtit vel in commiſſione, vel omiſſione; hinc Theologis aliud eſt *commiſſionis*, aliud *omiſſionis* peccatum: utrumque ad hæc ſemper vel *mortale*, vel *veniale*: ac etiam *habituale*, ſi poſt actum phyſice præteritum in æſtimatione morali perſeveret. Unde, quo peccati perſonalis natura integre explicetur, de his omnibus ſeorſim agendum erit: id quod hujus Diſſertationis progreſſu præſtabimus, hoc §. ſolum commiſſionis peccatum in examen vocaturi.

Natura peccati commiſſionis, & Scholæ opiniones de ejus malitia.

45 I. PEccatum commiſſionis eſt transgreſſio legis negativæ, qua ſcilicet prohibetur actus aliquis, e. g. furtum, mendacium

Digitized by Google

cium &c. Unde, cum ejuſmodi lex violari nequeat, niſi po-
natur actus a lege prohibitus, clarum eſt peccatum commiſ-
ſionis eſſe ipſum actum *poſitivum* legi prohibenti contrarium,
e. g. *actum furti* contra legem, *Non furtum facies.* Neque
ullus dubitat id genus actum, ſi libere ponatur, non poſſe
non eſſe in genere morali *formaliter* malum; hinc (ſi forum
theologicum non excedat diſceptatio) æque dubitari non po-
teſt, per hunc ipſum actum haberi *formalem* malitiam peccati
commiſſionis: cur enim commiſſio in genere hujus peccati eſt
moraliter mala, niſi quia actus eſt libere poſitus contra legem
prohibentem? Atque in his quoad rem conſentiunt omnes.
Nihilominus

II. Quidam, cauſas theologicas tribunali Metaphyſicæ ſub- 46
mittere aſſueti, ultro quæſtionem proferunt. Obſervant nimi-
rum in peccato commiſſionis, præter *actum poſitivum*, quid-
piam etiam *negativi*, rectitudinis nempe, ſeu conformitatis
cum lege carentiam, quæ ex actu illo reſultat. Hinc contro-
vertendum putant: num peccati hujus malitia *formaliter* conſti-
tuatur per poſitivum, an negativum? ac alii quidem in primo, alii
in ſecundo, in utroque ſimul alii eam conſtituunt. Sed & hi
rurſum in varias abeunt partes, ut videre eſt apud Suarez,
Vaſquez, aliosque a Platelio Syn. Theol. Par. 2. C. 3. §. 3.
laudatos. Certe, qui commiſſionis malitiam in negativo con-
ſtituendam exiſtimant, nominatim in eo diſſident, quod aliqui
hoc negativum eſſe velint carentiam rectitudinis debitæ actui:
alii carentiam rectitudinis debitæ potentiæ, ſeu voluntati actum
ponenti. Quæ controverſia cum ſit (ut vides) mere metaphy-
ſica, quoad licet, ab ea abſtraham: contentus de quæſtio-
ne propoſita pronuntiare ita, ut pateat, per quid revera habea-
tur peccati commiſſionis malitia, ut ut demum ſit de eo, quod
illam juxta Metaphyſicæ principia *formaliter* conſtituit.

Digitized by Google

ASSERTIO.

Malitia peccato commiſſionis propria habetur per ipſum actum, ut libere poſitum contra legem prohibentem.

47 FAtemur equidem in peccato commiſſione admiſſo dari formam negativam, quæ ſit carentia rectitudinis, ſeu diſſormitas cum lege; at negamus ad hanc neceſſum eſſe recurrere, quo explicetur malitia peccato huic propria, cum ea ſufficienter habeatur, ac etiam ſatis intelligatur per actum legi prohibenti contrarium, eumque libere poſitum: tametſi a forma illa abſtracta mentem avoces, ſi tamen, hujusmodi actu ut tali cognito, avocare poſſis.

Nimirum (ut ratione primum firmetur Aſſertio) cum tota peccati commiſſionis natura conſiſtat in libera transgreſſione legis prohibentis, in eo utique propria ac completa ejus malitia reponi debet, quo lex prohibens directe ac *formaliter* violatur ita, ut violatio hæc imputetur *in peccatum*; atqui iſtud fit per actum legi prohibenti contrarium, eumque libere, atque adeo cum prævia legis notitia poſitum: quid enim amplius deſideres ad memoratam legis prohibentis violationem? ergo propria ac completa peccati commiſſionis malitia reponi debet in ipſo actu contra legem prohibentem libere poſito. Si vero iſtud: ergo jam pro priori ad formam illam negativam & ſufficienter habetur, & ſatis intelligitur malitia; quodque hinc ſequitur, ad conſtituendam illam, aut etiam explicandam fruſtra in ſubſidium vocatur cujuscunque rectitudinis privatio; tametſi ea ex poſitivo ejusmodi actu ultro reſultet.

Rationi accedat auctoritas D. Thomæ, qui ipſe hoc uno peccati poſitivi malitiam abſolvi cenſuit Qu. 1. de Malo Art. 1. cum ad 4. diceret: *actus voluntatis, in quantum fertur in malum,* re-

recipit rationem & nomen mali; certe autem fertur in malum, in quantum libere ponitur contra legem prohibentem, eſtque ei difformis. Huc facit & illud, quod 1. 2. qu. 88. Art. 4. in ⊙ dicat, *peccatum principaliter in voluntate* (ejus utique actu) conſiſtere; & rurſum ad Anibal. qu. un. Ar. 1. *eum, qui punitur pro malo, non puniri pro nihilo, ſed propter opus.*

Diluuntur Objecta.

OBjicitur ante omnia Patrum ſenſus. Nempe I. ſunt eorum non pauci, qui generatim peccatum ajunt eſſe nihilum, non ens, privationem & abſentiam boni. Ita Dionyſius L. de Divin. Nomin. C. 4. *peccatum non eſt aliquid, niſi privatio boni,* Auguſtin. Tract. 1. in Joan. *peccatum non per Deum factum eſt, quia nihil eſt.* Damaſcenus L. 2. de Fide, *peccatum nihil aliud eſt, quam privatio & abſentia boni.* His ſimilia legere eſt apud Gregorium Naz. Chryſoſtomum, Anſelmum &c. Malitiam igitur peccati non cenſuerunt reponendam in actu poſitivo. 48

II. Doctor Ang. pluribus locis in ſola rectitudinis & boni privatione docet conſiſtere rationem peccati. Præterquam quod enim Qu. 1. de Malo Ar. 1. generatim dicat, *malum nihil eſſe aliud, quam privationem ejus, quod quis nactus eſt, & debet habere;* inſuper 2. 2. qu. 162. Art. 6. in ⊙ *in peccato*, inquit, *duo attenduntur, ſcilicet converſio ad commutabile bonum, quæ materialiter ſe habet in peccato: & averſio a bono incommutabili, quæ eſt formalis & completiva ratio peccati;* quid autem hæc averſio? niſi debitæ ad Deum converſionis privatio: unde jam ante ibid. qu. 118. Art. 5. in ⊙ dixerat, *privationem boni formaliter ſe habere in peccato.*

Reſp.

Reſp. ad I. ex Patribus adverſum nos argui non poſſe: neque enim curæ illis erat, ut ex propoſito explicarent, in quo nominatim reponenda ſit peccati commiſſionis malitia; ſad exaggerandam in genere peccati gravitatem ſatis habebant dicere, quid propter ſuam malitiam peccatum ſit, ſeu demum proprio, ſeu latiore duntaxat ſenſu. Ac ſane, ſi ex laudatis Patrum verbis ad literam acceptis arguendum foret, ſequeretur, in peccato nihil poſitivi omnino reperiri; id vero nec Adverſarius volet, cum fateatur in peccato commiſſionis actum poſitivum eſſe *materiale* quoddam, cujus forma ſit carentia rectitudinis. Recte proinde jam D. Hieronymus in C. 2. Micheæ adnotavit, eos, qui peccatum nihil eſſe dicunt, rhetorice magis, quam vere & proprie loqui. Cæterum, quo Patrum in præſenti argumento ſenſa penitius aſſequaris,

Obſerva I. aliquos eorum ſpeciatim egiſſe contra Manichæos: qui cum docerent ſubſtantias dari alias quidem natura ſua bonas, alias natura malas, duo pariter ſtatuebant rerum principia, unum ſcilicet Deum bonum, alterum Deum malum. Atque hi Patres, dum dicunt peccatum eſſe *nihil*, *non ens*, *privationem* &c. argumento ad hominem ducto id ſolum contendunt, peccatum non eſſe ſubſtantiam quandam natura malam, quæ producenda eſſet a Deo malo: minime autem non eſſe actum poſitivum, eumque propterea moraliter malum, quia eſt libere poſitus contra legem. Satis iſtud colligitur vel ex Auguſtino, acerrimo Manichæorum hoſte, qui ad eorum quæſtionem, *unde ſit malum?* contra Julian. L. 1. ita reſpondet: *licet mala intelligamus non eſſe naturas, ſed vitia naturarum; ſimul tamen intelligimus, ea niſi ex aliquibus, & in aliquibus naturis eſſe non poſſe.* Idemque rurſum L. de perfect. Juſtit. C. 2. Cœleſtio quærenti, *peccatum ſitne actus, an res?* hæc reponit: *ſi res eſt, ſeu ſubſtantia, neceſſe eſt habeat auctorem; & ſi auctorem habet, jam alter erit auctor alicujus rei, quam Deus: quod cum impium ſit, neceſſe eſt dicere, peccatum eſſe actum, non rem.* Ob-

Digitized by Google

Obſerva II. ab aliis Patribus univerſim peccatum dici *nihilum* vel *non ens* in ſenſu duntaxat aliquo morali, ac mere improprio, quo ipſo 1. Cor. 8. Paulus ait, *idolum nihil eſſe in mundo.* Conformiter ad id, ac eodem plane ſenſu ipſe Auguſtinus Tract. 1. in Joan. *peccatum*, inquit, *non per verbum factum eſt*, *quia peccatum nihil eſt*, & *nihil fiunt homines*, *cum peccant;* & *idolum non per verbum factum eſt*, *cum ſcriptum ſit: ſcimus*, *quia nihil eſt idolum in mundo.* Quomodo autem idolum & peccator ſunt *nihil?* niſi quia idolum non eſt res ea, quam credebant gentiles, nempe Divinitas; & peccator non eſt is homo, quem vult eſſe Deus: tametſi tam idolum quam peccator in re ſint aliquid poſitivum. Perinde igitur peccatum, ejusque malitia ex mente Patrum eſt *nihil* & *non ens*, hoc eſt, non eſt actus homine dignus, quique eum felicem poſſit reddere: quamvis idem ſit vero ſenſu actus hominis poſitivus. Denique dici poteſt, Patres nomine carentiæ & privationis intellexiſſe non *formalem*, ſed *fundamentalem* duntaxat: hæc vero eſt ipſe actus legi difformis, ex quo, ceu fundamento, debitæ rectitudinis carentia ultro reſultat.

Reſp. ad II. Multi etiam eorum, qui in D. Thomæ verba jurant, dubiam eſſe illius in re præſenti mentem fatentur; hinc ne ipſi quidem inter ſe conſentiunt, dum alii in *negativo*, in *poſitivo* alii conſtituunt peccati malitiam. Neque abs re iſtud: cum S. Doctor aliis locis opinioni noſtræ favere videatur, ut patet ex eiusdem verbis ſupra N. 47. relatis. Facile interim nobis integre vindicari poteſt, ſi, ad ſententias ejus invicem conciliandas, dicere velis: dum malitiam peccati in privatione reponit, intelligi ab eo privationem *fundamentalem*, non *formalem*. Quam in rem facit illud, quod 1. 2. qu. 71.

Ar. 6. poſtquam in ☉ aſſeruit, *habere actum humanum*, *quod ſit malus ex eo*, *quod caret debita commenſuratione* : ibid. ſe explicans, ita concludat. *Et ideo Auguſtin. in diffinitione peccati poſuit duo: unum*, *quod pertinet ad ſubſtantiam actus humani*, *quod eſt quaſi materiale in peccato*, *cum dixit*, dictum, vel factum, vel concupitum; *aliud autem*, *quod pertinet ad rationem mali*, *quod eſt quaſi formale in peccato*, *cum dixit*, contra legem æternam. Igitur ex mente S. Doctoris hæc debitæ commenſurationis carentia, in qua formalem peccati rationem conſtituit, eſt in eo, quod actus humanus ſit *contra legem æternam*; id quod a noſtra ſententia in re nihil diverſum habet: de voce autem tricari non eſt nobis propoſitum.

49 Ex ratione theologica pluribus urgeri poteſt argumentum, præſertim quod in hac ſententia videatur Deus dicendus peccati auctor. At iſtud, huicque ſimilia alia jam occupata ſunt Diſſert. I. N. 31. in Reſp. ad Obj. ſatis proinde nunc fuerit tria præcipua Adverſariorum momenta retuliſſe.

I. Bonitas actus moralis opponitur malitiæ peccati; cum igitur illa habeatur per actum poſitivum, hæc univerſim conſiſtet in negativo, ſeu in carentia actus boni. Ac revera peccatum non alia cauſa eſt malum morale, quam quia non habet id, quod eſt ſecundum legem, ſeu conformitatem cum lege actui bono propriam; hinc ideo quis commiſſione etiam peccat, quia non ponit actum bonum, hoc eſt conformem legi.

II. Si peccati commiſſionis malitia in actu poſitivo conſiſtat, non erit, cur eam Deus non poſſit velle. Cur ita vero? quia, uti quodvis aliud ens poſitivum, ita peccati quoque malitia hoc ipſo eſt participatio naturæ divinæ, ac vel ideo medium ad Dei perfectiones manifeſtandas oportunum; perinde igitur

ac

Digitized by Google

ac aliud ens poſitivum, etiam peccati malitiam poſſe Deum velle ac intendere concedendum erit. Aut ſaltem

III. Si hæc malitia habeatur per actum ut poſitum contra legem, ſequetur, Deum non poſſe odiſſe totam peccati malitiam; neque enim poteſt odiſſe legem, quæ tamen in hac ſententia peccati malitiam ex parte ſaltem conſtituit.

Reſp. ad I. nominatim peccati commiſſionis malitiam opponi ſolum *contrarie* bonitati actus morali; hinc neganda eſt illatio, ut ipſa oppoſitionis hujus natura docet. Sic & *velle* ac *nolle*, opponuntur ſibi contrarie: uterque nihilominus actus in poſitivo conſiſtit. Unde etiam idem peccatum idcirco eſt proprie commiſſionis malum morale, quia id, quod eſt ſecundum legem, non habet *poſitive*: ſeu quod idem eſt, quia habet id, quod eſt, contra legem. Falſum proinde eſt, quod poſtremo additur: cum enim ſecundum ſe legi prohibenti ſatisfiat etiam per puram liberam omiſſionem actus prohibiti, dubitari nequit, propterea peccari commiſſione, quia libere ponitur actus prohibitus.

Reſp. ad II. N. aſſertum: quia actum peccati in ratione entis poſitivi eſſe participationem naturæ divinæ, non aliud eſt, quam habere illum exiſtentiam phyſicam, quam & Deus habet; item non exiſtere illum, niſi Deo ad hanc ipſam exiſtentiam phyſice concurrente. At hinc non continuo ſequitur, poſſe Deum velle hanc actus peccaminoſi exiſtentiam: nam ut talis non habetur niſi ex libera electione creaturæ, ultro ſe determinantis ad agendum contra legem divinam; quæ libera creaturæ determinatio cum voluntati & ſanctitati divinæ hoc ipſo adverſetur, non poteſt illam Deus velle, proinde nec peccati exiſtentiam. Ex quo una clarum fit, non poſſe Deum velle peccatum ad manifeſtandas ſuas perfectiones; cum vi ſuæ ſan-

ctitatis non poſſit velle malum morale etiam ex fine boni obtinendi; tametſi in hunc finem poſſit illud permittere, aut jam commiſſo uti. Diſpar eſt ratio cujuslibet alterius entis poſitivi, quod malitiam moralem non habet annexam.

Reſp. ad III. argumentum hoc fundari in eo, quod *eſſe actum libere poſitum contra legem*, quæ eſt ipſa peccati malitia, ſit denominatio relativa; quælibet autem relatio conſtet tam *fundamento*, quale in præſenti foret actus liber: quam *termino*, qui in hac denominatione eſt lex divina. Quo prinde Adverſario reſpondeas, ex Metaphyſicæ principiis revocanda ſunt in memoriam relationis conſtitutiva. Ac ſi quidem ſupponas relationem intrinſece conſtitui etiam per terminum, illationem in objectione factam hac diſtinctione expedi: ſequitur non poſſe Deum odiſſe totam peccati malitiam *quidditative* ſumptam, hoc eſt, ſecundum omnia hujus relationis conſtitutiva, fundamentum nempe ſimul & terminum C. non etiam totam malitiam ſolum *denominative* ſumptam, ſive ſecundum id, quod in hac relatione habet rationem fundamenti N. Quod ſi autem relationem dicas conſtitui per ſolum fundamentum, penitus neganda erit illatio, ut ex hujus ſententiæ principiis clarum eſt.

§. II.

Quid ſit omiſſionis peccatum, & quis actus ejus malitiam contrahat?

MOdus alter, quo perſonale peccatum admittitur, eſt actus per legem præcepti omiſſio: unde altera legum transgreſſionis ſpecies *peccatum omiſſionis* dicitur. Atque hujus nobis primum natura iſthic eſt exponenda; præcipuam deinde circa illud ex propoſito reſolvemus controverſiam: eam videlicet,

Digitized by Google

cet, quæ ex Theologia Morum petitur, ac in regendis fidelium conſcientiis ſacri Pœnitentiæ tribunalis Miniſtros haud parum adjuvat.

Natura peccati omiſſionis, & de eo Theologorum Moralium controverſia.

I. Legis affirmativæ transgreſſio eſt ipſum *omiſſionis peccatum*, quale foret e. g. omiſſio charitatis actus, qui lege poſitiva, *Diliges Dom. Deum tuum*, præcipitur. Cæterum uti hujusmodi legum tendendi modus eſt varius: ita earumdem transgreſſionis, ipſiusque adeo omiſſionis peccati ratio varie conſideratur a Theologis. Lex nimirum quælibet affirmativa primum quidem *directe* ac *immediate* eum præcipit actum poſitivum, quem vi modi ſui tendendi expliciti pro objecto habet: ut eſt dilectio Dei reſpectu legis paulo ante memoratæ. Præterea *virtualiter* ac *implicite* ſimul prohibet actus, qui cum actu præcepto componi nequeant, ac idcirco ejus poſitionem impediant; ut eſt e. g. odium Dei reſpectu actus charitatis; unde lex affirmativa quælibet ſimul eſt virtualiter negativa, & viciſſim. Ex quibus ultro conſequitur, legis affirmativæ *formalem* & *immediatam* transgreſſionem conſiſtere in omiſſione actus directe præcepti: *mediatam* vero & *cauſalem* haberi per actus illos, qui cum actu directe præcepto componi nequeunt, ac propterea ejus omiſſionem inducunt. 50

II. Neque ulli dubium eſt, primi generis transgreſſionem, quæ ſcilicet fiat per liberam omiſſionem actus præcepti, eſſe vero ſenſu omiſſionis peccatum; de ſola transgreſſione altera, quæ cauſalis & mediata dicitur, complura a Theologis Moralibus in controverſiam vocantur. Præcipuum, & ad quod reliqua facile reduxeris, in eo eſt: an omnis actus, qui com- 51

poni nequit cum actu præcepto, quique ſimul cum ejus omiſſione conjungitur, contrahat malitiam peccati omiſſionis? e. g. num is, qui, urgente præcepto de audienda Miſſa, ſtudio aut luſu ſe occupat, hac ipſa occupatione peccet contra legem affirmativam, ex cujus præſcripto Miſſa audienda foret? Atque de hoc primum, quod generalis inſtar principii deſerviat, peculiari Aſſertione ſtatuemus: tum ex hac ipſa deducemus Animadverſiones practicas, quo de particularibus etiam hujus argumenti controverſiis judicari poſſit.

ASSERTIO.

Ex actibus, qui cum omiſſione peccaminoſa conjunguntur, & cum actu præcepto componi nequeunt, is duntaxat peccati omiſſionis malitiam contrahit, qui eſt vero ſenſu cauſa omiſſionis.

52 Principii hujus veritas vel uno hoc ratiocinio evincitur. In æſtimatione morali ille duntaxat actus peccati omiſſionis malitiam contrahit, qui eſt contra eamdem affirmativam legem, cui opponitur omiſſio; atqui contra hanc legem non eſt ullus actus alius, niſi qui vero ſenſu eſt cauſa omiſſionis; hic igitur ſolum actus contrahit peccati omiſſionis malitiam. Maj. propoſ. controverti non poteſt: cum enim in genere peccatum ſit transgreſſio legis, nominatim peccati omiſſionis rationem id habet unum, quod aliquo modo eſt contra legem affirmativam. Sed & propoſ. Min. videtur certa: nam lex affirmativa, præcipiens aliquem actum, id ſolum *virtualiter* prohibet, ne ponatur actus, qui vero ſenſu impediat actus præcepti poſitionem; ſic autem impedit actus, qui eſt cauſa omiſſionis: non item etiam ille, qui non eſt cauſa, cum potius aliunde impeditum ſupponat; ergo contra legem affirmativam, cui omiſſio opponitur, is duntaxat eſt actus, qui vero ſenſu eſt cauſa omiſſionis. Idem dicendum de actu, qui ſit omiſſionis occaſio voluntaria: vel ideo enim æquivalet cauſæ omiſſionis. Ani-

Digitized by Google

Animadverſiones practicæ ex nunc dato generali principio deductæ.

I. Quamvis actus aliquis componi nequeat cum actu præcepto, ſi tamen omiſſionem ejus comitetur tantum vel ſequatur, non contrahit malitiam peccati omiſſionis. Vel ideo nimirum hic actus, quod ſequatur duntaxat vel comitetur omiſſionem, eſt illa tempore vel ſaltem natura poſterior; ergo nequit eſſe vero ſenſu cauſa omiſſionis: non influit in illam ullatenus: nec impedit actum præceptum, ſed potius jam aliunde impeditum ſupponit; ergo idem actus non prohibetur lege affirmativa, cui opponitur omiſſio. Quod ſi vero iſtud: actus hic igitur non eſt contra eam legem affirmativam; quo autem nomine alio peccati omiſſionis malitiam contrahat? Ac profecto arduum eſt credere id, quod ex oppoſita ſententia ultro ſequitur: eum ſcilicet, qui e. g. urgente præcepto Miſſam audire omittit, peccare omni facto, quod interea extra templum committit. 53

II. Actus internus, quo voluntas decernit omittere actum præceptum, quamvis *phyſice* ſit commiſſio, ita nihilominus peccati omiſſionis malitiam contrahit, ut in æſtimatione theologica & *moraliter* idem omnino ſpecie ac numero peccatum evadat cum omiſſione. Qui proinde habuit voluntatem omittendi actum præceptum, regulariter ſatisfacit in Confeſſione dicens: *omiſi actum præceptum* e. g. *Miſſæ auditionem.* Dico *regulariter*: quod ſi enim hic voluntatis actus fuiſſet repetitus, aut ex pravo alio fine conceptus, de hoc ipſo indubie inſtituenda foret expreſſa accuſatio ad explicandam peccati quoad ſpeciem & numerum differentiam. Idem eſto cum proportione judicium de quovis actu alio, qui componi nequeat cum actu præcepto, ſitque ejus omiſſionis cauſa; in quo rurſus obſer- 54

van-

vandum: an non, præter omiſſionis malitiam, aliam quoque ſpecie diverſam contineat, ut eſſet e. g. actus furti tum commiſſus, dum urget præceptum de Miſſa audienda.

55 III. Ut primum quis libere ponit actum, quem novit conjungi non poſſe cum actu præcepto, ac proinde advertit eſſe cauſam omiſſionis peccaminoſæ, jam tum admittit peccatum omiſſionis malitiam continens, tametſi ipſa omiſſio nondum habeatur, ſed futura ſit tantum: imo licet deinde non ſequatur. Ratio ex jam dictis eruitur: quia nimirum ita ponere memoratum actum, eſt interpretative ſaltem velle omiſſionem actus præcepti; iſtud vero ad malitiam omiſſionis contrahendam ſatis eſt. Neque interim jam tum actus ejusmodi poteſt dici abſolute peccatum omiſſionis: hoc enim nomine abſolute prolato deſignatur ipſa omiſſio in re admiſſa, ſeu peccatum omiſſionis completum.

56 IV. Actus præcepti omiſſio, quæ neceſſario ſequitur ex cauſa prius libere poſita, non eſt peccatum in ſe ipſa, ſed tantum in cauſa præterita: in ſe ipſa vero eſt merum extrinſecum peccati omiſſionis complementum. Sententiam hanc, poſt D. Bonaventuram & Alenſem, ex propoſito tuetur Vaſquez cum Layman, multisque aliis contra communem Thomiſtarum doctrinam. Neque omnino improbabiliter: nihil enim eſt actu in ſe ipſo peccatum, quod non ſit actu *immediate* aut ſaltem *mediate* liberum vel in ſe, vel in cauſa præſente; at hujusmodi omiſſio nec eſt libera actu in ſe, nec in cauſa præſente, uti iſtud utrumque ſupponit caſus, ergo &c. Secundum hanc proinde ſententiam is, qui e. g. ſciens ſe nondum recitaſſe Horas Canonicas, circa medium noctis nihilominus ad ſomnum ſe componit, in cauſa quidem peccat contra præceptum recitandi divinum officium, cum libere ponat cauſam ſecuturæ omiſſionis; at, dum

dum deinde jam dormiens re ipſa omittit recitationem, omiſſio hæc in ſe ipſa non eſt peccatum: quis enim id in ſe ipſo eſſe peccatum dixerit, quod in ſomno, ac proinde citra actualem rationis uſum admittitur?

Oppoſitum ſentientium momenta reſolvuntur.

Contra ipſam Aſſertionem illud facere videtur I. quod ex hoc generali principio ſequatur, duplex peccatum incurri ab eo, qui e. g. ſtudii cauſa omittit audire Miſſam: contra virtutem ſcilicet religionis unum, quod peccati omiſſionis malitiam habeat; alterum contra virtutem, quam Theologi cum D. Thoma vocant *ſtudioſitatem*, cui oppoſitum vitium eſt ſtudii inordinatio. Aut ſaltem 57

II. Perinde ſequitur, omnem actum, qui componi nequeat cum actu præcepto, quamvis omiſſionem comitetur tantum vel ſequatur, contrahere omiſſionis malitiam: nam & talis actus eſt contra idem præceptum, cui opponitur omiſſio. An non enim præceptum e. g. de Miſſa audienda ſimul *virtualiter* prohibet, ne præcepti hujus urgentis tempore ullus ponatur actus, cum quo Miſſæ auditio conjungi non poſſit?

Reſp. ad I. N. aſſertum: quia ex mente Theologorum *ſtudioſitatis* virtuti oppoſita ſtudii inordinatio conſiſtit duntaxat in eo, quod quis rebus noxiis aut inutilibus ſtudeat; non vero in hoc, quod ſtudio ex ſe honeſto ac utili hoc aut illo tempore vacet. Unde, quod in præſenti caſu ſtudium temporis indebiti ſit inordinatum, id non habetur vi præcepti ad *ſtudioſitatis* virtutem pertinentis: ſed tantum vi præcepti, quo Eccleſia auditionem Miſſæ imperans ſimul *virtualiter* prohibet, ne

hoc tempore ponatur actio, quæ auditionem illam impediat, ejusque omiſſionem cauſet.

Reſp. ad II. rurſum N. aſſertum, una cum adjecta ratione. Nimirum præcepto de audienda Miſſa (ut ſupra N. 53. dictum eſt) non prohibetur alius actus, quam qui ſit cauſa omittendi auditionem præceptam; ejusmodi autem cauſa non eſt actus, qui omiſſionem jam aliunde inductam comitatur tantum, aut ſequitur. Certe niſi iſtud admittatur, dicendum erit: ex præcepto memorato oriri obligationem ad omnem actum, quamvis honeſtiſſimum, ſuſpendendum eo tempore, quo quis ex prævia determinatione Miſſam audire negligit urgente præcepto. Quis autem non videat, id eſſe a mente Eccleſiæ præcipientis alienum, imo ridiculum?

58 Urgebis attamen I. Quamvis hujusmodi actus omiſſionem comitans eam jam aliunde inductam ſupponat, vel ideo tamen, quod cum actu præcepto componi nequeat, ex ſe eſt ſufficiens cauſa omiſſionis: imo eſt actualis cauſa ſaltem continuatæ omiſſionis; fieri igitur nequit, ut quis ponat actum talem, quin hoc ipſo *virtualiter* velit omiſſionem actus præcepti, ac idcirco per ejusmodi actum omiſſionis malitiam contrahat. Certe

II. Quo minus iſtud fiat, non obeſt jam aliunde præceſſiſſe determinationem ad omittendum actum præceptum; id quod duobus exemplis illuſtratur. *1mo*, vel tali, qui jam antea efficaciter decrevit furtum committere, furandi conſilium ſuggerens, aut ad id operam addicens, actu hoc indubie furti malitiam contrahit. *2do*, licet Sacerdos aliquis jam antea conſtituerit nunquam recitare Horas Canonicas, ſi tamen deinde Breviarium etiam abjiciat, abjectio hæc continet malitiam omiſſionis nominatim illius, quæ opponitur præcepto de recitandis Horis. Igitur antecedens illa determinatio univerſim non

Digitized by Google

non efficit, ne per actum etiam alium alicujus peccati malitia contrahatur.

Reſp. ad I. D. aſſerti utrumque membrum. Primum quidem: ejusmodi actus ex ſe eſt *in actu primo* cauſa ſufficiens omiſſionis C. eſt etiam *in actu ſecundo* cauſa N. hoc ipſo enim, quod actus comitetur tantum omiſſionem, jam ea antecedenter eſt inducta, & moraliter cauſata. Item alterum: eſt ſaltem continuatæ omiſſionis cauſa, attamen ſolum *logice & improprie talis* C. eſt cauſa *moralis & proprie talis* N. ſupponitur quippe jam aliunde efficaciter decreta omiſſio; ergo, tametſi actus hic comitans abeſſet, vi illius tamen præviæ efficacis volitionis penitus omitteretur actus præceptus: cum igitur actus, de quo agimus, tantum comitetur vel ſequatur efficacem cauſam omiſſionis etiam continuandæ & complendæ, ejusdem *cauſa moralis & propria* eſſe nequit. Dicitur interim hic actus *logice & improprie* cauſare omiſſionis continuationem, quatenus ſcilicet idem actus componi non poteſt cum actu præcepto, ac vel ideo valet hæc logica illatio: *ponitur actus ejusmodi, cum quo conjungi nequit actus præceptus; ergo omittitur actus præceptus.* Ex his autem ultro patet, negandam eſſe Conſecutionem in hac Object. factam; tum enim ſolum volens actum, cum actu præcepto incomponibilem, cenſendus eſt velle ſimul *virtualiter* omiſſionem, quando ea nondum eſt prius tempore vel natura aliunde efficaciter determinata: ſecus ſi jam ita ſit determinata.

Reſp. ad II. N. aſſertum: nec pro illo argui poteſt ab adductis exemplis.

Non a 1*mo*: nam vel hoc conſilium aut auxilium furi præſtitum eſt ipſius furti volitio *formalis* aut ſaltem *virtualis*, ſuapte enim furem in propoſito confirmat, imo ad exequendum etiam

 fur-

ſurtum adjuvat; eſt igitur vero ſenſu moralis cauſa furti, illoque, ſaltem quoad executionem ſumpto, natura prior. Contra actus præciſe comitans omiſſionem non eſt natura prior eadem omiſſione, ut patet; idem præterea ne *interpretative* quidem dici poteſt omiſſionis volitio, cum actum ejusmodi ponens hac fere ratione tendat: cum alioquin Miſſam non ſim auditurus, ac interea mihi aliquid agendum ſit, ſtudiis vacabo, vel amicum adibo &c.

Non etiam a *2do*: quia memoratus Sacerdos hoc ſuum, tametſi efficax, propoſitum mutare poteſt; quin, cum illud mutare etiam obligetur vi præcepti, quo tenetur recitare divinum officium, ſimul utique eodem præcepto obligatur ad non reddendam ſibi impoſſibilem recitationem. Cum igitur illa, etiam pro caſu mutati propoſiti, impoſſibilis reddatur per Breviarii abjectionem, ſicut abjectio hæc omiſſionem neceſſario ſecuturam antecedit tempore, ita & natura: ac proinde eſt illius vera moralis cauſa, quod ad contrahendam omiſſionis malitiam ſufficit. Secus res habet in caſu noſtro; ſupponimus enim actum, qui omiſſionem comitatur, eſſe ejusmodi, ut agens libere poſſit ab illo deſiſtere: atque adeo non reddatur penitus incapax actus præcepti, ſi forte, mutato conſilio, implere velit præceptum.

Corollarium

De peccato, quod fieret per omiſſionem puram liberam.

59 I. Quod præterea complures Scholaſtici de omiſſionis peccato in controverſiam vocant, eſt pura ac libera actus præcepti omiſſio. Quærunt ſcilicet: an omiſſionis peccatum dari poſſit abſque omni actu poſitivo, qui ſit cauſa vel occaſio omiſſionis liberæ, ejusque peccaminoſæ? Quamvis autem communis ac certa ſit ſententia, nunquam re ipſa dari, imo nec mora-

moraliter dari poſſe ullam liberam omiſſionem puram, quæ nimirum fiat ſine ullo voluntatis actu: abſolute tamen ac potentia phyſica eandem poſſe dari, admittunt plurimi. Quæ proinde iſthic quæſtio eſt reliqua, eo duntaxat recidit: an ex hypotheſi, quod non repugnet ejusmodi omiſſio, ac re ipſa etiam pure libere omitteretur actus præceptus, hæc omiſſio foret peccatum? Ac de hoc quidem paſſim apud DD. Scholaſticos partim in Tract. de Actibus Hum. partim hoc loco de Pecc. omiſſ. legere eſt varias opiniones: nos, quia controverſiæ huic, ut pote minus neceſſariæ, immorandum non cenſemus, paucis duntaxat de ea ſenſum noſtrum dabimus. Itaque

II. Data hypotheſi, quod actus præceptus omittatur pure ac libere, dicendum omnino videtur, omiſſionem hanc fore peccatum. Univerſim nimirum libera legis divinæ transgreſſio non poteſt non eſſe peccatum; at hæc ipſa omiſſio pura foret legis divinæ affirmativæ transgreſſio libera, ut clarum eſt; foret igitur peccatum. Favet huic opinioni ipſe D. Thomas pluribus locis, præſertim 1. 2. qu. 71. Ar. 5. ubi in ⊙ *verius*, inquit, *dici poteſt, quod aliquod peccatum poſſit eſſe abſque omni actu.* Ac profecto ſi ea omiſſio ſit libera, ſit utique cum prævia legis præcipientis notitia, ſit ex voluntatis determinatione; quid autem amplius ad rationem peccati requiras? 60

III. Momenta, quibus contra hanc opinionem pugnatur, fere eo pertinent: ut probetur, hujusmodi omiſſionem futuram citra libertatis exercitium; aut certe, ſi dependenter ab hoc fiat, eo ipſo illam conjungi oportere cum actu poſitivo, qui ſit omiſſionis cauſa, aut ſaltem occaſio. Verum hæc nos prorſus non urgent: cum actus præcepti omiſſionem puram non dicamus eſſe peccatum niſi ex hypotheſi, qua omiſſio hæc pura ſimul ſupponitur eſſe libera; ſi autem libera, quomodo citra libertatis exercitium? Id verum eſt, exercitium hoc non 61

Digitized by Google

ſore poſitivum, ſed negativum duntaxat in eo conſiſtens: quod voluntas actum præceptum non eliciat, tametſi & poſſet vi libertatis proxime expeditæ, & deberet vi urgentis præcepti. Nec obeſt, meritum ſupernaturale haberi non poſſe per libertatis exercitium mere negativum, ac proinde per omiſſionem puram, quamvis ea foret libera: nam inprimis ſaltem meritum præmii naturalis poteſt haberi per id genus omiſſionem, cur non igitur etiam demeritum pœnæ, ſeu peccatum? deinde ad meritum ſupernaturale (ut hic ex Tract. de Grat. ſuppono) requiritur actus poſitivus ex aliis cauſis, quæ non perinde urgent pro peccato.

Reliquis demum, quæ hic objici poſſunt, facile occurres hoc uno obſervato. Ejusmodi omiſſio pura, tametſi a voluntate & motivo pravo non procederet *phyſice* ac *formaliter*: procederet tamen *interpretative* & *moraliter*; quatenus ſcilicet hoc ipſo, quod cum prævia legis præcipientis notitia & per libertatis exercitium ſaltem negativum fieret, in æſtimatione morali his actibus, *volo omittere*, *nolo agere*, æquivaleret ita, ut prudentum judicio perinde imputaretur voluntati, ac hi poſitivi actus.

§. III.

Quid ſit peccatum mortale? an detur? & quæ attributa illi propria?

SI peccatum perſonale, ſeu commiſſione ſeu omiſſione admiſſum, quoad malitiæ ſibi propriæ quantitatem ſpectetur, aliud eſſe mortale, aliud veniale fides docet, ut partim ex hoc, partim ex §. V. patebit. Hic de ſolo peccato mortali agemus, nominatim de ejus natura, exiſtentia, & proprietatibus.

Na-

Digitized by Google

Natura peccati mortalis.

I. Mortale peccatum dicitur, quod mortem animæ afferat, 62
privando ſcilicet illam ſanctificante gratia, quæ eſt ſupernaturalis vita animæ. Tum autem id genus peccatum incurritur, dum fit transgreſſio legis graviter obligantis; hæc quippe transgreſſio ex ſe eſt ſufficiens ad reſcindendam Dei cum homine amicitiam, eumque reddendum odio Dei & pœna æterna dignum. Id quod potiſſimum inde repetitur: quia legem Dei graviter obligantem tranſgrediens hoc ipſo avertitur a Deo, præque illo potius convertitur ad aliquid creatum; quod utique fieri nequit ſine contemptu Dei ſaltem interpretativo, ac vel ideo ſine illius offenſa proprie tali.

II. Ut porro actus aliquis ſit *formalis* transgreſſio legis gra- 63
viter obligantis, ipſumque proin *in actu ſecundo* peccatum mortale, communiter DD. tria hæc adeſſe oportere notant. 1*mo*, plenam intellectus advertentiam ad mali gravitatem; cum enim juxta tritum illud, *nihil ſit volitum niſi præcognitum*, nequit utique voluntas ferri in gravem peccati malitiam, niſi ad eam plene advertat. 2*do* requiritur perfectus ac plene deliberatus voluntatis conſenſus in objectum graviter prohibitum; eſt quippe divinæ bonitati prorſus conveniens, ut æternum non puniat conſenſu mere imperfecto delinquentem. At quæ (inquies) illa deliberatio plena? complures graviſſimi Theologi cenſent tantam eſſe debere, quanta vel ad gravioris momenti negotia ſufficiat; juxta hos proinde ſemiſopiti & ſemiebrii carent deliberatione ſufficienti ad peccatum grave: imo ſobrii etiam ac vigilantes quandoque, ſi forte ſubita paſſionis vehementia, aut cogitatione in aliud objectum potentius defixa ſibi ipſis veluti eripiantur. 3*tio* demum requiritur materiæ gravitas; atque hæc colligi debet partim ex materia ſecundum ſe conſiderata:

par-

partim ex circumſtantiis, præſertim ex fine, quem præcepto ſuo Legislator intendit. Plura de his paſſim apud Theologos Morales reperies.

Exiſtentia peccati mortalis.

64 I. PEccatum, quod ex genere ſuo ſit mortale, dari, tam conſenſu omnium, quam claro Divini Verbi teſtimonio certum eſt. Scilicet hoc nomine illud peccatum venit, quod mortem animæ afferat, Dei amicitiam diſſolvat, hominemque pœnæ æternæ reum conſtituat; an non vero S. Literæ id genus peccati ſæpe meminerunt? De hoc certe agit Apoſtolus, cum ad Rom. 6. *ſtipendia peccati* ait eſſe *mortem*, cui ibid. opponit *gratiam*, quæ ſit *vita æterna in Chriſto JESU*. Et rurſum ad Rom. 8. ubi poſtquam dixit *nihil eſſe damnationis in iis*, - - *qui non ſecundum carnem ambulant*, peccati ſubinde fugam commendans, adjicit: *ſi enim ſecundum carnem vixeritis*, *moriemini*, ea nimirum morte, quæ damnationem inducat. Clariſſime demum ad Gal. 5. cum a V. 19. recenſens *manifeſta opera carnis*, ut ſunt, *fornicatio*, *immunditia* &c. concludit: *quæ prædico vobis*, *ſicut prædixi*, *quoniam qui talia agunt*, *regnum Dei non conſequentur*. Interim

65 II. Quamvis certa ſit peccati mortalis ſecundum ſe exiſtentia, cum tamen in particulari de aliquo peccato quæritur: num re ipſa ac *in actu ſecundo* ſit mortale? id quidem *difficillimum eſſe invenire*, *& definire periculoſiſſimum*, recte notat Auguſtin. L. 21. de Civ. Dei C. ult. Hinc idem in Enchir. C. 77. *quæ ſint autem levia*, inquit, *& quæ gravia peccata*, *non humano*, *ſed divino ſunt penſanda judicio*; quia nimirum (ut in eod. Enchir. C. 80. obſervat) facile *accidit*, *quod peccata*, *cum in conſuetudinem venerint*, *aut parva aut nulla eſſe creduntur*. At enim quan-

Digitized by Google

quantacunque ſit hæc difficultas, in praxi nihilominus, ne unquam in incertum feramur, ſemper definienda eſt peccati admiſſi malitia. Id quod ut tam a pœnitentibus, quam a ſacris Pœnitentiæ miniſtris (quoad licet) præſtari queat, ſubſidio eſſe poſſunt ſeqq. Regulæ, communiter a Theologis probatæ.

Regula I.

Attendenda eſt legis præcipientis aut prohibentis materia; quod ſi enim hæc aut ſecundum ſe, aut ſpectatis circumſtantiis ſit gravis, peccatum quoque grave cenſendum eſt: modo tamen adſit ſufficiens advertentia & deliberatio. Quam in rem ſpeciatim obſervandum: an virtus, cui actus prohibitus opponitur, per quamlibet materiæ quantitatem graviter lædatur; ex hoc enim capite peccata quædam materiæ levitatem non admittunt, ut eſt e. g. idololatria, commercium cum dæmone, adulterium &c.

Regula II.

Ad hanc ipſam materiæ gravitatem certius cognoſcendam multum confert, imo ſæpe neceſſum eſt verba legis rite expendere. Sic enim ſi lex divina, in S. Literis expreſſa, prohibitioni gravem comminationem adjiciat, e. g. transgreſſoribus *Væ* intentet, actionem prohibitam vocet abominationem, dicat morte dignam, a regno Dei excludentem &c. judicandum eſt, actionem id genus eſſe peccatum mortale, niſi excuſet defectus deliberationis. Idem eſto judicium de lege humana, cum aliquid præcipit ſub excommunicatione, aliave ſimili cenſura, ipſo facto incurrenda.

Regula III.

Quod ſi ad expediendum dubium neutra e datis Regulis ſufficiat, conſulenda eſt vel Eccleſiæ definitio, vel doctrina a Patribus tradita, vel communior Doctorum opinio, aut etiam Fidelium ſenſus. His etiam deficientibus, demum in ſubſidium vocanda eſt ratio intrinſeca, ſic tamen, ut (quoad fieri poteſt) ad duas priores Regulas exigatur.

Proprietates mortalis peccati.

66 Complura ſunt attributa peccato mortali propria; nobis, ad naturam ejus penitius cognoſcendam, tria præcipua retuliſſe ſuffecerit. Primum eſt ratio *malitiæ gravis*: hæc vero tota habetur a difformitate actus cum lege graviter obligante; nam cum univerſim (ut ex prioribus §§. conſtat) peccati malitia conſiſtat in actu ipſo, ut libere contra legem poſito, nominatim actus illius, qui legi graviter obliganti difformis eſt, gravem malitiam eſſe oportet. Alterum eſt ratio *Dei offenſæ ſtricte talis*, quæ ſita eſt in Dei contemptu, ſaltem virtuali & interpretativo. Vel ideo enim, quod quis legem, graviter, ac proinde ſub interminatione gratiæ & amicitiæ divinæ amittendæ obligantem, ſciens ac volens propter creatum aliquod commodum aut ſolatium violet, quodammodo ſe avertit a Deo, & præ illo in creatura finem ſuum conſtituit, ipſi ſcilicet Dei amicitiæ & poſſeſſioni creatum aliquid præferens; id quod indubie fieri nequit citra aliquem, ſaltem virtualem Dei contemptum. Tertium eſt ratio *demeriti*, in eo conſiſtentis, quod quis propter gravem peccati mortalis malitiam, eique adnexam Dei offenſam proprie talem omnino mereatur excidere amicitia Dei, ejus odium incurrere, atque æternis damni & ſenſus addici ſuppliciis. Unde videas, hæc omnia fundari in libera

Digitized by Google

bera legis divinæ graviter obligantis transgreſſione ; hinc enim eſt peccati malitia gravis: ex hac ultro profluit ratio offenſæ: ex utraque autem ratio demeriti.

§. IV.

An, & quo ſenſu, peccatum mortale in ratione alicujus attributi ſibi proprii ſit infinitum?

QUo amplius expendatur mortalis peccati gravitas, ſolent Theologi quærere : quanta nominatim ſit illa ? quibus ſcilicet definita limitibus ? an tanta etiam, ut nullos admittat, hoc eſt, an ſit infinita ? Qua in re, ſi S. Literæ duntaxat & Patrum ſenſa attendantur, haud difficile eſt ferre ſententiam ; at quoniam Scholarum lis ultra ſe ſe porrigit, magnamque partem ad Metaphyſices principia exigitur quæſtio, ſat jam implexa eſt reddita : ut conjici poteſt vel ex controverſiæ ſtatu & opinionum varietate, de quibus ante omnia dicendum.

Status controverſiæ, & DD. opiniones

I. SIcut infiniti ratio in ſenſu Theologis uſitato eſt duplex : ita ab iisdem præſentis quoque argumenti controverſia bifariam dividi ſolet. 67

Eſt ſcilicet infinitum in communi & propria acceptione illud, quod in omni, aut in aliquo ſaltem genere ita actu excedit, ut in eo majus aliquid dari nequeat : exceſſus proinde hic omni careat termino tam intrinſeco, quam extrinſeco : ac vel ideo gradus, quos in ſuo genere complectitur, ne mens quidem ulla, ſucceſſive eos diſtinguens ac numerans, pertranſire poſſit omnes, minus ad ultimum pertingere, eum-

que deſignare. Atque hoc dicitur *ſimpliciter infinitum* : quale eſt Deus in omni perfectionis genere, imo in qualibet etiam ſpeciatim, ut potentia, ſapientia &c. Altera infiniti, latiore & improprio ſenſu accepti, ſpecies non eſt aliud, quam *ordinis ſuperioritas* ; hæc vero tum habetur, dum ens unum quoad attributum aliquod ſibi proprium (tametſi hoc finitis tantum conſtet gradibus) ita eminet, ut ab aliis ejusdem aut diverſæ ſpeciei inferioribus, etiam in infinitum auctis, penitus æquari non poſſit. Quod hoc ſenſu eſt ordine ſuperius, vocari ſolet *infinitum ſecundum quid* ; ut eſt e. g. actus charitatis theologicæ quoad virtutis excellentiam comparate ad virtutum reliquarum actus : meritum ſupernaturale reſpectu quorumlibet naturalium meritorum &c.

De hac jam utraque infiniti ratione præſens quæſtio inſtituitur : an ſcilicet peccatum mortale tantam contineat gravitatem, ut in ratione alicujus attributi ſibi proprii, malitiæ nimirum, vel offenſæ, aut demeriti, evadat *ſimpliciter infinitum* ? aut ſaltem *infinitum ſecundum quid?*

68 II. Quo in argumento prima controverſiæ pars potiſſimum DD. in varia diſtrahit. Præterquam quod enim alii cum Scotiſtis & plurimis Societatis noſtræ Theologis negent, peccatum mortale quoad ullam attributi ſui rationem eſſe *ſimpliciter infinitum* : alii contra affirment cum communiore Thomiſtarum ſententia ; poſtremi hi inſuper ab invicem mirum diſſident. Sunt quippe eorum complures, qui contendant eſſe hoc ſenſu infinitum in ratione malitiæ duntaxat & offenſæ : nec pauciores alii in ratione tantum offenſæ & demeriti : alii quoad ſolam offenſam: demum alii quoad ſolum demeritum ; quarum omnium opinionum Patronos copioſe laudari reperies apud Martin Tract. 11. de Pecc. Diſp. 3. Sect. 1. Quoad alteram præſentis con-

troverſiæ partem, quæ una (ut ego quidem exiſtimo) ad veram & Theologo dignam de peccati gravitate notitiam pertinet, omnes in eo conſentiunt: quod peccatum mortale ſit in ſuperiori ordine, ac proinde *ſecundum quid infinitum*, relate ſcilicet ad omnes offenſas contra quamvis creatam dignitatem admiſſas; quin etiam communiter Theologi eandem ordinis ſuperioritatem extendunt reſpectu culparum venialium omnium, omnis ſatisfactionis creatæ, ac etiam pœnæ cujusvis temporalis. Quæ noſtra ſit de utroque hoc controverſiæ membro ſententia, ſeqq. duæ Aſſertiones dabunt.

ASSERTIO I.

Peccatum mortale non eſt ſimpliciter infinitum quoad ullam attributi ſibi proprii rationem.

CUm tria ſint præcipua mortalis peccati attributa, de quibus præ aliis controverti poteſt, ratio ſcilicet malitiæ, ratio offenſæ, & ratio demeriti, quoad hæc nominatim, hocque ipſo ordine peculiaribus agendum eſt momentis, quo Aſſertio generatim facta etiam ſpeciatim comprobetur. Itaque

Prob. I. quoad *malitiæ* attributum, & quidem triplici argumento, negativo videlicet, poſitivo, & a ſimili. 69

Primum petitur inde, quod in peccato mortali nihil ſit, quod ejus malitiam reddat infinitam. Non enim actus legi difformis: quia hæc difformitas in æſtimatione morali poteſt creſcere in ordine ad id, ut magis imputetur, ſi clarior ſit legis graviter prohibentis cognitio. Non etiam actus ut libere poſitus: rurſum quippe libertas major aut minor eſſe poteſt ex pluribus circumſtantiis, ut certum eſt. Non denique ipſa Dei lex:

lex: cum non niſi ut cognita in peccatum refundat malitiam, cognitio autem ejus ſit finita.

Alterum deſumitur ex peccatorum etiam mortalium inæquali malitia. Eſſe quippe unum quoad malitiam gravius altero, vel ipſum rationis lumen dictat; ita cuique eſt evidens, in genere moris majus eſſe malum e. g. blaſphæmiam quam furtum, injuſtam occiſionem quam percuſſionem &c. Idem innuunt S. Literæ pluribus locis, ut Gen. 13. *Sodomitæ peſſimi erant, & peccatores coram Deo nimis;* Ezech. 16. *viciſti ſorores tuas peccatis tuis, ſceleratius agens ab eis;* Joan. 19. ipſe Chriſtus ad Pilatum, *qui me*, inquit, *tradidit tibi, majus peccatum habet.* Conſentiunt præterea communiter Theologi; quin & complura notant capita, ex quibus hæc inæqualitas deſumi poſſit, ut eſt e. g. major vel minor diſſormitas cum recta ratione: oppoſitio cum virtute digniore vel inferiore, aut cum pluribus vel paucioribus: major vel minor advertentia ad malitiam: idem eſt de majore vel minori actus intenſione, duratione, damni illati quantitate, aliiſque id genus circumſtantiis. Quod ſi autem hæc detur peccatorum inæqualitas, atque adeo unius malitia excedat alteram, hoc ipſo jam peccati mortalis malitia non eſt ſimpliciter infinita: nam (ut iſthic ex Metaphyſica ſupponitur) ratio infiniti proprie talis id peculiare habet, ut excedi non poſſit in eo genere, in quo eſt infinitum; hinc vel ideo, quod Deus e. g. in ſapientia ſit ſimpliciter infinitus, nihil illo ſapientius dari poteſt.

Poſtremum eſt a comparatione peccati cum actu bono. Nemo ſcilicet dixerit in ratione bonitatis moralis ullum creaturæ actum eſſe proprie infinitum: quovis namque, quantumvis ſit perfectus, dari poteſt melior alius; igitur nec peccati mortalis ullius malitia eſſe poteſt infinita. Illatio hæc videtur firma

Digitized by Google

ma: perinde enim ac bonitas moralis actus habetur a conformitate actus cum lege, ita & mortalis peccati malitia a difformitate actus cum lege; at propterea, quod actus creaturæ bonus ſit conformis legi divinæ, ejus moralis bonitas non evadit infinita; ergo nec malitia peccati mortalis, quamvis hoc ſit difforme legi divinæ.

Prob. II. quoad *offenſæ* attributum, de quo potiſſimum 70
controvertitur; quam in rem ſatis fuerit pugnare argumento negativo. Nimirum nihil proferri poteſt, unde mortale peccatum in ratione offenſæ ſit proprie infinitum; vel enim id foret Dei contemptus ſecundum ſe ſpectatus, in quo præcipua conſiſtit offenſæ ratio: vel certe ipſa Dei offenſi dignitas infinita, quod plures volunt; atqui neutrum horum eſt ejusmodi, ut mox patebit.

Non Dei contemptus: nam ut hic offenſam reddat infinitam, & ipſum in ſuo genere oportet eſſe infinitum; at non eſt, cum peccatum in ratione contemptus poſſit creſcere; ergo nec offenſam reddit infinitam. Poſſe autem Dei contemptum in peccato creſcere, quis dubitet? quando vel rationis naturalis ductu certum eſt, eo magis contemni Deum, quo magis cognoſcitur ejus dignitas; magis item per peccatum, quo *formaliter* ac *explicite* contemnitur, ut eſt e. g. formale Dei odium: quam peccato, quo *virtualiter* tantum & *implicite* contemnitur, ut e. g. per furtum. Id ipſum aperte docet D. Thomas Qu. 2. de Malo, Ar. 9. ubi ad 11. *nihil prohibet*, inquit, *quod per unum peccatum magis contemnatur Deus, quam per aliud;* quia nimirum (ut ibid. ad 19. ait) *quantitas contemptus non ſolum menſuratur ex parte ejus, qui offenditur, ſed etiam ex parte actus per quem contemnitur.* Huc faciunt & Scripturæ loca ſup. N. laudata, cum generatim innuant unum peccatum eſſe altero majus, proinde etiam in ratione contemptus & offenſæ.

Non

Non offenſi Dei dignitas: quamvis enim hæc ſit infinita, ex ea tamen gravitas offenſæ (ut vocabulis utar apud Scholaſticos receptis) non creſcit *arithmetice*, ſed *geometrice* tantum; hoc eſt, non creſcit ad æqualitatem cum dignitate offenſi Dei, ut is eſt in ſe: verum cum proportione duntaxat aliqua, ſecundum menſuram ſcilicet cognitionis, qua Deus a peccatore cognoſcitur. Vixque omnino iſtud negari poteſt: quando in æſtimatione morali non eſt *formalis* offenſa, ſi prorſus non cognoſcatur Deus; minor item eſt offenſa, ſi hæc cognitio ſit admodum imperfecta: uti ex adverſo major, ſi (cæteris paribus) cognitio ſit perfectior. Quorum ratio inde repetitur, quod infinita Dei dignitas eatenus ſolum ad gravitatem offenſæ conferat, quatenus peccatum terminatur ad Deum, hoc eſt, quatenus is, qui peccato offenditur, eſt Deus; ergo peccatum etiam in ratione offenſæ gravificatur a Deo ſolum ut termino & objecto: atqui univerſim objectum non gravificat, ut eſt in ſe, ſed tantum ut eſt in cognitione; ergo & peccatum non gravificatur a perſona Dei, ut is eſt in ſe, ſed tantum prout eſt in peccatoris cognitione: at in hac Deus eſt modo duntaxat finito, cum cognitio in ſe ſit finita; igitur & peccatum etiam in ratione offenſæ a perſona Dei gravificatur ſolum finite. Argumentum hoc ſi illuſtratum cupias, utere exemplo actus charitatis theologicæ, qui perinde terminatur ad Deum, ab eo tamen non dignificatur niſi finite, idque ex eadem prorſus cauſa.

Hæc omnia, ut vides, congruunt cum momentis priore N. adductis: ac omnino cum his collata ſatis evincunt, perinde ac peccati mortalis malitiam, ſic & offenſam (præſertim cum hæc fundetur in illa) non eſſe infinitam. Quoad utrumque porro Aſſertioni robur accedit ex ſatisfactione a Chriſto præſtita pro totius mundi peccatis. Ea eſt ſcilicet ſatisfactionis hujus prærogativa, ut negari non poſſit fuiſſe ſuperabundan-

tem

Digitized by Google

tem ; at profectò non foret, ſi peccati gravitas in ratione malitiæ aut offenſæ ſit proprie infinita ; non eſt igitur, nec talis citra Chriſti injuriam dici poteſt. Aſſertum propoſitionis Maj. certum eſt Theologis ; id ipſum Apoſtolo ad Rom. 5. V. 15. & 17. docente ; Min. autem conficitur ex adverſariorum principio. Qua enim, vel per illos, cauſa alia peccatum ſit ſimpliciter infinitum ? niſi quia gravitatem ſuam accipit ab infinita Dei perſona, ut hæc eſt in ſe ; atqui etiam Chriſti ſatisfactio ſuam dignitatem habet ab infinita Dei perſona, ut illa eſt in ſe ; ergo, cum eadem forma, & quidem eodem modo ſumpta, tam peccato tribuat ſuam gravitatem, quam Chriſti ſatisfactioni dignitatem, non eſt, cur hæc in ſuo genere ſit major quam illud : quod ſi autem illud ita ſe habeat, ultro ſequitur, ſatisfactionem a Chriſto pro peccatis præſtitam non eſſe ſuperabundantem.

Prob. III. quoad *demeriti* attributum. Ac de hoc quidem 71
vix jam ulla poteſt eſſe difficultas reliqua : cum tota demeriti ratio repeti debeat a peccati malitia & offenſa ; ſi igitur hæc (ut probatum eſt) non ſint ſimpliciter infinita, neque illud.

Profectò vel hoc argumentum (ut opinor) rem conficit ; quo interim clarius pateat aſſerti veritas, libet inſuper in hunc modum arguere. Si peccatum mortale in ratione demeriti ſit proprie infinitum, nullum eſt, quod non mereatur omnem pœnam, proinde tantam, qua major dari nequeat ; iſtud admitti non poteſt ; ergo nec illud. Primæ propoſ. illatio videtur certa : nam demerito ſimpliciter infinito reſpondet pœna perinde infinita ; talis autem non foret, ſi ultra eam major alia dari poſſet. Sed & prop. altera negari nequit : ſecus enim omnia mortalia mererentur pœnam æqualem, eamque non

modo extenſive, ſed & intenſive infinitam; imo ſingula mererentur pœnam tantam, quantam omnium peccatorum collectio, ut quoad utrumque recte arguitur a meritis Chriſti valorem infinitum habentibus. At iſtud, præterquam quod ſit contra communem ſenſum, etiam non ſatis cohæret cum verbis Scripturæ, ſecundum quam *pro menſura peccati erit & plagarum modus*, Deuter. 25. hinc Apoc. 18. dicitur, *quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.*

ASSERTIO II.

Quodlibet peccatum mortale quoad omnia attributa ſibi peculiaria habet quandam ſenſu minus proprio ſumptam infinitatem; eſt proinde infinitum ſecundum qu[illegible].

72 Aſſertione hac non aliud volumus, quam peccatum mortale in
1 ratione malitiæ & offenſæ eſſe in ordine ſuperiori ad omnes offenſas in dignitatem quamlibet creatam admiſſas, omnia item peccata venialia, ac etiam ſatisfactiones puræ creaturæ: in ratione autem demeriti ad omnem pœnam temporalem. Quorum omnium generatim ratio eſt: quia id eſt ſuperioris ordinis ad alia, quod ab his, etiam infinite auctis, in ſuo genere æquari non poteſt; nihil autem horum eſt, quod pecc[illegible] mortalis in ulla ratione gravitatem æquet, ut ex dicendis patebit. Quo enim peccati mortalis quoad ſua attributa gravitas ſit tanta, ut hoc ſenſu reddatur ordinis ſuperioris, ſatis eſt, quod illo per contemptum ſaltem virtualem offendatur perſona Dei ſumme & infinite digna: vel ideo quippe neceſſe eſt, offenſam hanc in morali æſtimatione eſſe majorem cujuſvis creatæ dignitatis offenſa, quin & offenſa Dei minus proprie tali; majorem item cujuſvis puræ creaturæ obſequio, quod, qualecunque ſit, non poteſt non eſſe leve reſpectu Dei perſonæ infinite dignæ: cum ex

Digitized by Google

ex adverſo peccatum propter hujus ipſius perſonæ contemptum non poſſit non eſſe grave. Sed hæc generalis duntaxat inſtar principii; jam & ſpeciatim quoad ſingula de hac peccati infinitate dicendum eſt. Itaque

1mo, peccatum mortale quoad malitiam & offenſam eſt in ſuperiori ordine ad omnes offenſas in creaturam admiſſas: ad omnes item culpas veniales: ac etiam ſatisfactiones puræ creaturæ. Primum a nemine controvertitur; ſicut enim nulla dignitas creata, quantumvis infinite aucta, æquare poteſt Dei dignitatem: ita nec actus, quo tantum creatura offenderetur, æquare poteſt malitiam offenſæ in Deum admiſſæ, quod ipſa ratio docet. Alterum perinde certum eſt: cum venialia, quantumcunque multiplicentur, nunquam vel ad unius peccati mortalis gravitatem perveniant, ut hujus Diſſ. §. V. Aſſert. II. comprobabitur. Tertium denique a nobis iſthic ſupponitur ex ea in Tract. de Incarn. ſententia, qua aſſeritur, nullam puram creaturam poſſe condigne ſatisfacere pro peccato gravi, etiam alieno: ad reparandum proinde genus humanum per condignam ſatisfactionem omnino neceſſarium fuiſſe, ut aliqua e Divinis perſonis naturam rationalem creatam aſſumeret, juxta illud ſcilicet Auguſtini in Enchir. C. 108. *neque per ipſum liberaremur - - Hominem Chriſtum JESUM, niſi eſſet Deus.* Secundum quam ſententiam (ut vides) nulla puræ creaturæ ſatisfactio devenire poteſt ad æqualitatem cum peccato mortali, idque propterea: quia ex quo capite peccatum creſcit in ratione offenſæ, ex eo ipſo decreſcit obſequium creaturæ in ratione ſatisfactionis; ſicut enim peccati gravitas creſcit ex dignitate Dei offenſi, & vilitate creaturæ offendentis: ita ex adverſo ſatisfactionis valor decreſcit ex creaturæ ſatisfacientis vilitate, & dignitate Dei, cui præſtatur ſatisfactio.

2*do*, etiam in ratione demeriti peccatum mortale eſt ordine ſuperius ad omnem pœnam temporalem. Aſſertum hoc fundatur in eo, quod peccatum quodlibet grave natura ſua ſit pœna æterna dignum. Eſſe autem dignum, quis in dubium revocet? cum enim tamdiu maneat jus ex parte offenſi contra offendentem, quamdiu hic non ſatisfacit condigne pro offenſa: cumque pura creatura nequeat præſtare ſatisfactionem condignam pro mortali, eo ipſo ex parte Dei natura ſua in æternum durat jus ad odium inimicitiæ erga peccatorem; poteſt igitur illum Deus propter peccatum ſemper tractare ut inimicum, pænis proinde æternum duraturis ſubjicere. Quid vero iſtud eſt aliud, niſi peccatum grave eſſe in ordine ſuperiori ad omnem pœnam temporalem? Quam in rem illud quoque facit, quod certum ſit (ut ex propoſito dicetur L. III. de peccat. Pœnis Diſſert. I.) reprobos puniri æterna pœna; id vero non fieret, niſi illam peccatum mortale mereretur, cum præſertim ex communi Theologorum ſententia Deus nunc infra condignum puniat damnatos.

Reſpondetur Adverſariis.

Ea, quæ contra datam hoc §. de utraque peccati infinitate doctrinam opponuntur, aut connexa ſunt invicem: aut ſi quæ Aſſertioni II. peculiaria ſint ita, ut ad I. nihil prorſus relationis habeant, hæc deſumenda ſunt ex iis locis, ad quæ præc. N. provocavimus. Iſthic proinde ſatis fuerit referre momenta contra Aſſert. I. directe pugnantia; quæ ipſa quia fere ducuntur partim ex natura offenſæ, partim ex vi demeritoria peccati gravis, hæc ſpeciatim ac ex propoſito erunt expedienda.

Obje-

Digitized by Google

Objecta ex natura offenſæ.

OPpon. I. Graviter peccans, ſpectata Dei offenſæ natura, 73
quantum eſt ex parte ſua ſaltem interpretative vult Deum non eſſe omniſcium, juſtum, & finem ultimum; ergo peccatum grave vi offenſæ privat Deum ſuis perfectionibus ſimpliciter infinitis; ergo & ipſum ratione offenſæ eſt perinde infinitum: qui enim id, quod natura ſua ſit finitum, tollat infinitum?

II. Hæc offenſa eſt tanta, ut vi illius peccatum mortale prudenter eligi non poſſit cujuscunque boni etiam infiniti obtinendi cauſa; vi offenſæ igitur peccatum eſt malum majus, quam ſit bonum etiam infinitum: iſtud vero quid aliud eſt? quam peccatum grave in ratione offenſæ eſſe ſimpliciter infinitum.

III. Eadem offenſa eſt tanta, ut pro illa condigne ſatisfieri nequeat per puram creaturam, ſed ad id opus fuerit ſatisfactione Chriſti, proinde ſimpliciter infinita; certe autem infinitam eſſe oportet offenſam, pro qua non poſſit condigna ſatisfactio præſtari alia, quam infinita.

IV. Peccatum grave in ratione offenſæ excedit omnes offenſas, quæ contra creaturam quamlibet admitti poſſunt, tametſi hæ forent graviores & graviores in infinitum; an non autem hoc nomine ſit infinitum? ſicut e. g. Dei cognitio eſt infinite perfecta, quia excedit creatas cognitiones perfectiores & perfectiores in infinitum.

Reſp. ad I. C. Ant. N. Illationem, ſi ea intelligatur Deus *effective*, aut *affective efficaciter* privari ſuis perfectionibus. Quod autem per peccatum grave *affective inefficaciter* privetur, iſtud prorſus non urget: quamvis enim peccans etiam *expreſſe* ac *for-*

maliter velit perfectiones divinas deſinere, propterea tamen non ſuffert ullam earum, prout illæ ſunt Deo intrinſecæ, ac revera proprio ſenſu infinitæ. Quid igitur toto hoc ſuo pravo affectu & peccato præſtat? aufert duntaxat gloriam Dei extrinſecam: hæc vero cum finita ſit, ejus ablatio nequit peccatum reddere infinitum. At enim (inquies) in hypotheſi ſaltem, qua peccans *affective efficaciter*, ac vel ideo ſimul *effective* auferret aliquam perfectionem Deo intrinſecam, peccatum hoc foret ſimpliciter infinitum; ergo etiam, ſi iſtud fiat *affective inefficaciter*. Gerræ! quando hypotheſis, ex qua arguitur, ſe ipſam deſtruit. Cæterum dato etiam Antec. neganda eſt illatio: nam *magnitudo injuriæ non debet æſtimari ex malo, quod inferretur in hypotheſi impoſſibili; ſed ex malo, quod re ipſa infertur, vel inferri poteſt. Nec prudentes interpretari poſſunt, perinde ſe habere hominem deſiderantem Deo non exiſtentiam, ac ſi re ipſa illum divinitate privaret; ſicut interpretari non poſſunt, perinde ſe habere hominem, qui Deo efficaciter amat exiſtentiam, ac ſi re ipſa illam daret.* Ita argutatoribus his reſpondet Thyrſus Gonzalez Tom. 3. Diſp. 2. N. 74.

Reſp. ad II. N. Illat. ſecus & peccatum veniale foret ſimpliciter infinitum, cum neque hoc licite admitti poſſit ullius boni gratia. Nimirum, quod univerſim *non ſint facienda mala, ut eveniant bona*, id re ipſa inde ſolum provenit: quia Deus vi ſummæ ſuæ perfectionis non poteſt ſe abdicare jure, quod habet ad id, ne vel leviter a creatura pro ullis unquam circumſtantiis licite offendatur.

Reſp. ad III. D. aſſert. offenſa eſt tanta, ut pro illa *per accidens & indirecte* opus fuerit ſatisfactione ſimpliciter infinita C. ut etiam eadem ſatisfactione opus fuerit *per ſe* ac *directe* N. nam pro pec-

peccato, quantum eſt præciſe ad vim Dei offenſæ, per ſe requiritur ſolum ſatisfactio ejusdem ordinis, proinde ut tam perſona offenſa, quam ſatisfaciens ſint in eodem ordine; quia interim ejusdem ordinis perſona ſatisfaciens eſſe non poteſt alia niſi Divina, hujus vero ſatisfactio rurſum non poteſt non eſſe ſimpliciter infinita, inde evenit, ut per accidens & indirecte opus ſit ſatisfactione ſimpliciter infinita. At iſtud adverſum nos nihil evincit: cum vel ideo, tametſi ſatisfactio non foret infinita, ſi nihilominus eſſet in eodem ordine cum offenſa, jam hoc ipſo eſſet ſufficiens.

Reſp. ad IV. rurſum aſſerti ſenſum diſtinctione explicandum eſſe: peccatum grave omnes memoratas offenſas excedit exceſſu graduum diviſibili N. exceſſu tantum indiviſibili C. ex hoc autem non recte arguitur peccati infinitas. Quod enim peccatum grave in ratione offenſæ excedat indiviſibiliter omnes creaturarum offenſas, id non aliud eſt, quam quod ſit offenſa ſuperioris, imo ſupremi ordinis; iſtud autem ad infinitatem proprie talem non ſufficit: ſecus quodvis meritum ſupernaturale foret ſimpliciter infinitum, cum & ipſum indiviſibiliter & ratione ordinis excedat omnia merita naturalia, quantumvis alia aliis in infinitum perfectiora. Atque hinc patet, ad cognitionem Deo propriam fruſtra provocari: infinita illa omnino eſt, at propterea, quia ſimul exceſſu graduum diviſibili omnes creatas cognitiones excedit, proinde ita, ut una Dei cognitione dari nequeat alia perfectior; cum interea quovis peccato etiam in ratione offenſæ poſſit dari aliud gravius.

Inſtari poteſt I. Generatim offenſa quælibet creſcit pro dignitate perſonæ offenſæ: hinc tanto gravior eſt offenſa, quanto perſona offenſa dignior, ut patet in exemplo offenſæ in plebejum aut Principem admiſſæ; ergo & peccati gravitas ratio- 74

ne

ne offenſæ creſcit pro dignitate Dei offenſi : at dignitas Dei eſt infinita; perinde igitur etiam peccati gravitas. Nec diverſum ab hoc ſenſiſſe videtur D. Thom. cum Par. 3. qu. 1. Ar. 2. ad 2. non tantum dicat: *tanto offenſa eſt major, quanto major eſt ille, in quem delinquitur;* ſed etiam diſerte adjiciat, *peccatum contra Deum commiſſum quandam infinitatem habere ex infinitate Divinæ Majeſtatis.*

II. Certe non alia de cauſa meritorum Chriſti valor eſt infinitus, quam quia creſcit ex dignitate perſonæ Divinæ; ergo cum in peccato etiam gravitas offenſæ creſcat ex eadem dignitate, offenſam quoque oportebit eſſe infinitam. Illatio hæc videtur legitima: primum enim idcirco præterea admittitur, quod reſpectu actionum Chriſti perſona Divina ſit ſubjectum morale, ac vel ideo ſimul forma ſecundum ſe dignificans merita Chriſti; atqui perinde reſpectu offenſæ perſona Divina eſt ſubjectum morale, proinde & forma ſecundum ſe gravificans offenſam, ergo &c. Min. prop. fundatur in vulgari illo axiomate: *honor eſt in honorante, offenſa in offenſo;* ſi autem in offenſo, utique ſaltem moraliter in illo recipitur, quod ipſum eſt eſſe morale ſubjectum offenſæ.

Reſp. ad I. conformiter ad ea, quæ N. 70. dicta ſunt: creſcit pro dignitate perſonæ offenſæ, ut ea eſt in ſe N. ut ea eſt in offendentis cognitione, proinde ad menſuram cognitionis, qua offenſus cognoſcitur C. ſicut igitur in peccatore Dei offenſi cognitio eſt ſolum finita, ſic & offenſa: præſertim, cum creſcente cognitione creſcat ipſa offenſa, infinitum autem non poſſit creſcere in ea ratione, in qua eſt infinitum. Unde verum quidem eſt, quanto dignior eſt perſona offenſa, tanto eſſe offenſam graviorem: at non niſi cum proportione ad cognitionem. Atque cum his facile conciliatur D. Thomæ doctrina,

Digitized by Google

ctrina, præſertim cum nuſpiam dicat peccatum eſſe ſimpliciter infinitum; quod autem ex mente illius *quandam infinitatem* habeat, id congrue intelligi poteſt de infinitate improprie tali: nam idem S. Doctor pluribus locis diſerte ait peccatum eſſe finitum, ut nominatim Qu. 2. de Malo Art. 9. ad 5. *Dicendum*, inquit, *quod peccator a bono infinito avertitur actu finito; & ideo peccatum finitum eſt, licet habeat aliquam habitudinem ad bonum infinitum.*

Reſp. ad II. D. Ant. merita ſunt infinita, quia creſcunt ex dignitate perſonæ, ut ea eſt in ſe, proinde ut infinita C. quia creſcunt ex eadem dignitate, ut per cognitionem aut aliquid aliud limitata N. hinc Illatio non eſt legitima: cum, ut ex dictis patet, offenſæ gravitas creſcat ex dignitate Dei offenſi ſolum ad menſuram cognitionis. Sed nec adjectum argumentum quidquam probat; admiſſa quippe propoſ. Maj. neganda eſt Min. quoad utrumque membrum: longe diverſa enim ratione ſe habet perſona Divina ad actiones & merita Chriſti, ac eadem ſe habeat ad peccatum & offenſam in eo contentam. Quam diſparem rationem ut penitius aſſequaris, unaque videas a Chriſti meritis haud recte argui ad offenſæ gravitatem, duo obſerva.

1*mo*. Cum in Chriſto naturæ humanæ & divinæ idem ſit ſuppoſitum, & vel ideo ad actiones Chriſti meritorias perſona Divina ſimul cum aſſumpta humanitate inſtar unius principii totalis & ſpecialis concurrat phyſice; eædemque præterea actiones phyſice recipiantur in humanitate realiter unita perſonæ Divinæ, indubium eſt, ipſam quoque perſonam Divinam eſſe ſubjectum morale meritorum Chriſti: nam univerſim *actiones ſunt ſuppoſitorum.* Hoc ipſo item, quod perſona Divina,

ut eſt in ſe, realiter uniatur humanitati, atque ſic unita ſit ſubjectum morale meritorum Chriſti, dubitari nequit, merita hæc dignificari a perſona Divina, ut ea eſt in ſe; unde ſimul conſequitur, perſonam Divinam ſecundum ſe eſſe dignificantem formam, eamque intrinſece conſtitutivam meritorum Chriſti. Cum igitur perſona Divina in ſe ſit infinita, prorſus neceſſe eſt, ut etiam merita Chriſti reddat infinita. Ex adverſo

2do. Ad peccatum Deus non concurrit ut cauſa ſpecialis: neque reſpectu illius ſe habet inſtar ſubjecti moralis, cum phyſice non uniatur peccatori, in quo peccatum recipitur; igitur titulo ſubjecti moralis perperam dicitur Deus offenſus eſſe forma peccati perinde, ac perſona Divina eſt forma meritorum Chriſti. Unde, quod peccatum nihilominus gravificetur a dignitate Dei, id eſt præciſe ex eo: quia reſpectu peccati Deus ſe habet per modum objecti & termini, non ſecus ac reſpectu actus charitatis; quo nomine ſolum dici poteſt eſſe peccati ſubjectum in ſenſu logico, hoc eſt, ſubjectum denominationis, quatenus ſcilicet denominatur Deus offenſus vel amatus. Cæterum, quamvis ultro daretur dignitatem Dei eſſe formam peccati gravificantem, cum tamen eadem dignitas ſolum ut cognita gravificet, & hæc cognitio ſit finita, nondum inferri poſſet, perinde ac in merita Chriſti, in peccatum quoque a perſona Divina refundi infinitatem. Sed nimirum

75 Urgetur adhuc argumentum ex eo capite, quod cognitio finita, qua peccator cognoſcit Deum, non videatur poſſe efficere, ut peccatum ex infinita Dei offenſi dignitate non reddatur infinitum. Etenim

I. Per-

Digitized by Google

I. Perfectio aut imperfectio cognitionis, qua merens ſuam dignitatem cognoſcit, nihil confert ad meriti quantitatem; hinc merita Chriſti fuiſſent perinde infiniti valoris ob infinitam ejus dignitatem, tametſi illam cognitione infinita non cognoviſſet: imo nunc etiam merita juſti dignificantur ad menſuram gratiæ, licet is ſe eſſe in gratia non cognoſcat; igitur etiam cognitio, qua peccator Deum finite cognoſcit, officere non poteſt, quo minus ab infinita Dei offenſi dignitate in peccatum refundatur infinitas. Deinde

II. Quamvis a peccatore dignitas Dei offenſi cognoſcatur cognitione inferioris ordinis, peccatum nihilominus eſt offenſa ordinis ſuperioris, imo ſupremi: idque ideo, quia Deus ipſe in ſe eſt in ordine ſupremo, ſimulque cognoſcitur eſſe in hoc ordine; ergo perinde, quamvis cognoſcatur ſolum cognitione finita, peccatum nihilominus erit infinitum: idque rurſus ideo, quia Deus offenſus eſt in ſe ipſo infinitus, talisque eſſe cognoſcitur a peccatore. Addi poteſt: unionem finitam Verbi cum humanitate non impedire infinitatem meritorum Chriſti; ergo nec finita Dei offenſi cognitio impediet infinitatem peccati. Denique

III. Gravitatis peccati menſura non eſt ſola cognitio, qua Deus cognoſcitur, ſed etiam ipſe Deus, qui licet finite, cognoſcitur tamen eſſe infinitus: item tam vilitas creaturæ, quam ejus erga Deum ſubjectio, quæ utraque rurſum eſt infinita; cur autem ex his capitibus peccatum non reddatur infinitum, tametſi ſpectata præciſe cognitionis menſura foret finitum?

Reſp I. generatim. Ut his ac ſimilibus argutationibus occurras, identidem recole præcipuum hujus ſententiæ funda-

mentum: cur ſcilicet (ut ſæpius jam inſinuavimus) vel ideo peccatum non poſſit eſſe ſimpliciter infinitum, quia cognitio, qua Deus offenſus cognoſcitur, eſt finita. Nimirum vel ideo, quod cognitio hæc ſit finita, uti illa in ſuo genere, ſic & peccatum in ratione tam malitiæ quam offenſæ, ac proinde etiam quoad vim demeriti poteſt creſcere: atque ita peccato quolibet poteſt dari majus aliud; atqui vel ideo nullum peccatum eſt ſimpliciter infinitum: quia de ratione infiniti eſt, ut in eo genere, in quo infinitum eſt aliquid, non poſſit dari majus aliud. Neque tamen hinc intuleris: ergo tum ſaltem peccatum evadere poſſet ſimpliciter infinitum, ſi dignitas Dei cognoſceretur cognitione infinita. Minime equidem: nam ſi ita cognoſceretur, in voluntate potius daretur neceſſitas ad amandum Deum, proinde etiam ad omittendum peccatum. Unde ex hoc principio potius conſequitur: nec dari actu, neque etiam poſſe dari peccatum ſimpliciter infinitum. Sed jam

Reſp. II. in particulari, & quidem ad I. C. Ant. N. Conſ. diſparem autem eſſe inter hæc rationem facile ex jam dictis colligas. Merentis ſcilicet dignitas, ut ea eſt in ſe, eſt forma intrinſece conſtituens complexum morale, quod dicimus meritum: cum hoc ſit actio ejusdem ſuppoſiti, quod dignitate ſua meritum dignificat; poteſt igitur meritum dignificari ad menſuram dignitatis, quæ eſt in merente, tametſi forte ab hoc illa penitus etiam ignoretur. Contra reſpectu peccati dignitas Dei offenſi habet duntaxat rationem objecti & termini: cum terminetur tantum ad Deum, & non ſit actio Dei; ſicut igitur penitus non offenditur Deus, ſi prorſus non cognoſcatur: ita non niſi finite offenditur, ſi finite duntaxat cognoſcatur.

Reſp. ad II. ſunt, qui velint cognitionem, qua Deus co-

Digitized by Google

cognoſcitur, eſſe in ſupremo ordine ſaltem comparate ad cognitiones rerum creatarum. Ego de hoc non cenſeo litigandum: quamvis enim ultro detur, eam cognitionem non eſſe ordinis ſupremi, argumentum tamen nihil adverſum nos evincit. Nimirum diſtinguenda eſt prop. Ant. peccatum eſt ordinis ſupremi, idque ex cauſa iſthic memorata: ſimulque propterea, quod peccator ita cognoſcens Deum, hoc ipſo illum, tanquam ſupremum Dominum, ſaltem virtualiter contemnat C. abſtrahendo ab hoc contemptu N. una & Illation. Certe hic contemptus in æſtimatione morali longe plus eſt, quam aut levis violatio legis divinæ, aut formalis etiam contemptus cujuslibet creaturæ, aut denique obſequium qualecunque a creatura in ſatisfactionem Deo præſtitum: cum hoc præſertim illi multis aliis titulis debeat; quæcunque igitur ſit cognitio illa, ſufficit ad id, ut in peccatum Deus refundat ordinis ſuperioritatem.

De eo, quod additur, ita habe. Ultro eliſa eſt vis argumenti, ſi ſupponatur unionem Verbi hypoſtaticam eſſe infinitam; ſupponi autem poteſt ex ea ſententia, qua unio hæc dicitur eſſe merus reſpectus reſultans ex Verbo, humanitate aſſumpta, & decreto notionali, vi cujus ex Verbo & humanitate fit unum ſuppoſitum Divinum, & principium operationum Chriſti adæquatum: quo cum perfectius aliud dari nequeat, ſicut ipſum eſt infinitum, ita & unio. Cæterum, tametſi unio hæc finita duntaxat foret, ex alio nihilominus capite merita Chriſti neceſſe eſt reddi infinita a Verbo humanitati unito, ut ſuper. N. in Reſp. ad II. comprobatum eſt; nihil autem ſimile pugnat pro infinitate peccati.

Reſp. ad III. Verum omnino eſt, ex his etiam capitibus augeri gravitatem peccati: ex nullo interim eorum reddi poteſt infinitum ſimpliciter.

Digitized by Google

Non *ex primo:* quia Deus, qui eſt in ſe infinitus, ac talis etiam eſſe cognoſcitur, non aliter peccatum gravificat, quam prout eſt in cognitione, ut jam ſæpius dictum eſt; ſicut igitur cognitio hæc eſt finita, ita & infinita Dei dignitas ſolum finitam efficit peccati gravitatem.

Non *ex altero:* nam inprimis vilitas creaturæ *abſoluta*, eique penitus *intrinſeca*, cum non aliud ſit, quam ipſa creaturæ entitas limitata, non eſt utique infinita; hæc ergo peccatum nequit reddere infinitum. Sed nec reddit vilitas *reſpectiva* & creaturæ *ſemi-extrinſeca*, quæ pro fundamento importat entitatem creaturæ imperfectam, pro termino autem dignitatem Dei, a quo illa infinite diſtat, infinitate ſcilicet tota tenente ſe ex parte Dei; quia rurſum ex hac vilitate, prout illa eſt infinita, peccatum creſcit ſolum ad cognitionis menſuram, non ſecus ac ex infinita Dei dignitate.

Non demum *ex tertio:* quia ſubjectio illa ex parte creaturæ nihil habet infiniti, cum omnia creaturæ prædicata ſint finita; quamvis autem ex parte Dei importet dominium infinite perfectum, hoc ipſum tamen a peccatore ſolum limitate & imperfecte cognoſcitur: non obſtante igitur hac ſubjectione (idem eſt de infinitate Dei, & vilitate creaturæ) quolibet peccato pro menſura creſcentis cognitionis poteſt dari aliud majus, ac vel ideo nullum eſt ſimpliciter infinitum.

Objecta ex vi demeritoria peccati.

76 QUi a vi demeritoria arguunt, toti ſunt in eo, ut oſtendant peccatum mortale natura ſua mereri pœnam ſimpliciter infinitam: quod ſi enim hanc mereatur, indubie infinitum eſt in ratione demeriti, ac vel ideo etiam in ratione ma-

litiæ

Digitized by Google

litiæ & offenſæ, cum in utraque hac fundetur demeritum. Ita autem argui poteſt

I. Peccatum mortale meretur pœnam cum proportione ad perſonam offenſam; cum igitur hæc ſit dignitatis infinitæ, quid ni & illud pœnam mereatur infinitam? Certe ſi quis inferret alteri injuriam realem ſufferendo e. g. aureos infinitos, totidem reſtituere teneretur attenta juſtitia commutativa; perinde igitur gravi injuria perſonali afficiens dignitatem infinitam, dignus eſt pœna infinita plecti vi juſtitiæ vindicativæ. Ac profecto

II. Tanta eſt perſonalis hujus injuriæ Deo illatæ gravitas, ut propter illam quodlibet peccatum mortale mereatur annihilationem peccatoris, privationem gratiæ etiam infinitæ, carentiam omnis viſionis beatificæ poſſibilis, quin & Redemptoris ipſius, ac unionis hypoſtaticæ quoad ſubſtantiam; atqui hæc eſt pœna vero ſenſu infinita, ergo &c.

Reſp. ad I. D. Aſſertum: meretur pœnam cum proportione ad perſonam offenſam, ut ea eſt præciſe in ſe N. ut ea ſimul eſt in peccatoris cognitione C. in hac igitur cum non ſit infinite, nec pœnam meretur ſimpliciter infinitam: tametſi mereatur infinitam ſecundum quid, hoc eſt eam, quæ ſit in ſuperiori ordine ad omnem pœnam temporalem. A damno autem reali haud recte inſtituta eſt illatio: ſicut enim juſtitia commutativa attendit quantitatem damni realis, ſic & vindicativa quantitatem perſonalis injuriæ, ſeu offenſæ. Unde in hunc potius modum fieri debet illatio: vi juſtitiæ commutativæ reſtitutio facienda eſt ad æqualitatem damni realis; ergo etiam vi juſtitiæ vindicativæ exolvenda eſt pœna ad æqualitatem offenſæ: atqui hæc eſt finita; igitur & pœna ſolum finita eſt exolvenda.

Reſp. ad II. Cum relate ad aliqua eorum, quæ hic adducuntur, peccatum non habeat vero ſenſu rationem demeriti, negari poteſt prop. Maj. ut ea generatim ponitur: cumque item eorum quædam omnino infinita non ſint, aliqua imo reſpectu peccati ne quidem pœnæ rationem habeant, rurſum & Min. negari poteſt; unde vis argumenti hujus prorſus nulla eſt. Quam ex vero autem utrumque iſtud aſſeratur, ſingula expendenti facile patebit. Nimirum

1*mo*, peccatoris, ut pote rei tantum finitæ, annihilatio tam parum foret malum pœnæ infinitum, quam parum eſt bonum infinitum ejusdem exiſtentia; quamvis igitur peccatum mortale (quod tamen multi negant, cum in S. Literis hujus pœnæ nuſpiam fiat mentio) mereretur peccatoris annihilationem, poenam nihilominus non mereretur infinitam.

2*do*, dici nequit peccatum mereri privationem gratiæ infinitæ: cum enim id genus gratia omnino dari non poſſit, ejus carentia eſt utique neceſſaria; qui autem vero ſenſu propter peccatum quisquam mereatur carere illo, quo carendum eſt neceſſario etiam citra omne peccatum? Præterea non eſt universim carentia rei tam mala, quam bona ſit res ipſa: niſi videlicet res illa ſit debita, aut ad finem ea carentis neceſſaria; ſecus miſeros dixeris etiam Beatos, cum careant unione hypoſtatica, quin & bonis gratiæ & gloriæ majoribus comparate ad illa, quibus nunc eorum beatitudinis ſtatus abſolvitur.

3*tio*, omnis poſſibilis viſionis beatificæ carentia, quam peccator meretur, non eſt infinita: illa enim duntaxat meretur carere peccator viſione, qua alias frui poterat; at frui non poterat niſi finita; ergo per peccatum non meretur carere niſi finita. Quin licet potuiſſet frui infinita, ejus tamen carentia

rentia non eſſet malum pœnæ infinitum, ut ex paulo ante dictis colligitur: quia ſcilicet viſio ejusmodi infinita nec eſſet peccatori debita, nec ad beatitudinis ſtatum neceſſaria.

4to, carentiam Redemptoris non meretur peccatum: quia in pœnam peccati nequit decerni carentia boni alterius, niſi quod alias dandum erat, aut ſaltem dari poterat, ſi peccatum non extitiſſet; at Redemptor non erat futurus, imo nec decerni poterat, ſi peccatum, ſaltem ut conditionate futurum, non fuiſſet prævifum; ergo in pœnam peccati non potuit decerni carentia Redemptoris. Unde, ſi exiſtente peccato Deus non dediſſet Redemptorem, ejus carentia fuiſſet mere favoris indebiti negatio, quæ non habet rationem pœnæ proprie talis.

5to demum, ad peccatum mortale quidem conſequitur unionis hypoſtaticæ carentia, ita nimirum, ut ſaltem pro ſenſu compoſito peccati a perſona peccante excludatur hæc unio: at eandem excludit etiam peccatum veniale, quin hoc idcirco in ratione demeriti ſit infinitum; carentia igitur illa, aut privatio unionis hypoſtaticæ non inducitur per peccatum titulo demeriti: verum propterea, quod unio hæc ſit forma ejusmodi, quæ natura ſua ac propter effectus ſuos omnino componi nequeat cum ullo peccato, ejusque effectibus. Jam vero univerſim proprio ſenſu pœna id unum eſt, quod libere infligitur pro culpa: non etiam malum illud, quod ex rei natura ultro, ac neceſſario ad culpam conſequitur.

Inſiſtunt nihilominus Adverſarii, ac ab ea potiſſimum arguunt pœna, quam nunc peccatum mereri, nemo ambigit. 77
Scilicet

I. Meretur pœnam æternam, proinde eam, quæ finite in infinitum duret, ſitque *extenſive infinita;* vel ideo autem vis ejus demeritoria videtur eſſe ſimpliciter infinita. Cur enim Deus in genere potentiæ phyſicæ eſt ita infinitus?, niſi quia poteſt producere effectus alios & alios finite in infinitum; perinde igitur peccatum grave dicendum eſt habere infinitam vim demeritoriam, cum in ratione demeriti cauſet pœnam finite in infinitum duraturam. Quin

II. Cum mereatur pœnam æternam, potiori jure meretur pœnam quoad intenſionis gradus ſimpliciter infinitam, quæ finito duntaxat duret tempore: hæc quippe minor eſſet, quam pœna æternum duratura; atqui eam mereri non poteſt, niſi vis ejus demeritoria ſit ſimpliciter infinita, ergo &c. Imo

III. Meretur pœnam *intenſive* ſimul & *extenſive* infinitam: nam pœna infinite intenſa, eaque durationis tantum finitæ minor eſt, ac pœna æterna, quam peccatum meretur; quid ni igitur Deus, ſalvis juſtitiæ vindicativæ legibus, poſſit peccatorem pœna infinite intenſa plectere ultra quodvis determinatum tempus, proinde in æternum? Denique

IV. Meretur ſaltem pœnam æternum *intenſive* creſcentem: poteſt enim Deus peccati pœnam ultra quodlibet temporis momentum extendere, uti re ipſa nunc in damnatis extendit; ergo perinde eandem poteſt tota æternitate ultra quodlibet temporis momentum intendere. Iſtud vero ſufficit ad id, ut in peccato vis demeritoria ſit infinita; hoc ipſo enim mereretur omnem pœnam, quæ ſeu in extenſione, ſeu in intenſione dari poteſt: quod quid aliud eſt, quam mereri pœnam omnem poſſibilem? iſtud autem ad aſſerendam demeriti infinitatem ſatis eſt.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. ad I. N. aſſertum: ex hac enim pœna æterna ſolum inferri poteſt, vim peccati demeritoriam eſſe in ſuperiori ordine ad omnem pœnam temporalem, idque ob rationem datam N. 72. V. *2do etiam &c.* Adde: hanc ipſam pœnam æternum duraturam eſſe tantum *infinitam ſecundum quid*, hoc eſt, ordine ſuperiorem ad pœnas temporales; ergo nec vis peccati demeritoria titulo ejus pœnæ alio ſenſu eſt infinita.

A potentia autem Dei productiva non recte arguitur: infinita illa omnino eſt, at non præciſe propterea, quod cauſare poſſit effectus alios & alios finite in infinitum; ſecus & intellectus creatus polleret infinita vi intellectiva, cum poſſit elicere cognitiones alias & alias in infinitum. Quod igitur potentia Dei productiva ſit omnino infinita, id provenit ex eo, quia Deus vi ſuæ potentiæ, quam actu habet, poteſt producere omnem effectum poſſibilem; unde, ut peccati vis demeritoria ſit etiam perinde infinita, deberet & ipſum mereri, aut ſaltem poſſe mereri omnem pœnam poſſibilem. Iſtud autem ſuſtineri nequit: cum uti peccato quolibet in ratione malitiæ & offenſæ, ita hoc ipſo etiam in ratione demeriti poteſt dari majus aliud; nullum igitur eſt, quo non poſſit aliud mereri pœnam majorem: nec ullum proinde, cujus vis demeritoria ſe extendat ad omnem pœnam poſſibilem.

Reſp. ad II. vim argumenti hujus duplici ratione elidi. *1mo*, admiſſo etiam propoſitionis Maj. aſſerto, neganda eſt Min. propterea: quia cum hæc pœna (ut adverſarii volunt) foret minor, quam pœna intenſive finita æternum durans, hoc ipſo dari poſſet alia pœna, quæ illam in ratione pœnæ excederet; ergo pœna hæc in ratione pœnæ non eſſet ſimpliciter infinita: vel ideo autem nec vis peccati hujus pœnæ demeritoria eſſet ſimpliter infinita, ut clarum eſt. Unde in hac hypo-

theſi pœnam intenſive infinitam peccatum non mereretur *divi-ſibiliter :* ſed tantum *indiviſibiliter*, hoc eſt, ratione demeriti, quod eſſet in ſuperiori ordine ad omnem pœnam temporalem, qualis foret etiam pœna intenſive infinita finito duntaxat durans tempore. *2do*, propoſ. Maj. negari poteſt : quomodo enim vero ſenſu peccatum mereatur pœnam impoſſibilem? talis autem eſſet pœna quoad intenſionis gradus infinita : utpote per quam, in aliquo ſaltem genere, penitus exhauriretur divina potentia, quod fieri nequit, ut ex Metaphyſica iſthic ſuppono.

At nunc (inquies) in damnatis pœna damni eſt intenſive infinita : cum omnes æque careant omni poſſibili viſione beatifica. Perperam & iſtud quisquam aſſeruerit. Etenim proprie rationem pœnæ damni habet duntaxat viſionis privatio illius, quam damnatus ſuis meritis conſequi poterat : hæc autem pro meritorum inæqualitate futura erat utique inæqualis, neque niſi finita ; ergo & damni pœna, quam ſubeunt damnati, eſt finita, eaque inæqualis. Ipſa præterea viſionis hujus privatio magis vel minus affligit pro diverſitate cognitionis, qua illam damnati apprehendunt.

Reſp. ad III. N. aſſertum ; nec probationem pro eo adductam conficere quidquam, patebit ex reſponſo triplici. Nimirum *1mo :* propoſitionem Antec. jure in dubium vocaveris : neque enim adeo certo affirmari poteſt pœnam hanc fore minorem ea, quam nunc damnati ſubeunt. Univerſim quippe id, quod in aliquo genere eſt ſimpliciter infinitum, majus eſt eo, quod in eodem genere non eſt ita infinitum ; pœna autem intenſive infinita in ratione etiam pœnæ eſſet ſimpliciter infinita, cum ex adverſo ita infinita non ſit pœna, qua nunc plectuntur damnati. Ut ut ſit interim de hoc, *2do*, diſtingui poteſt Ant. pœna

na hæc minor eſt, ſimul attamen impoſſibilis C. etiam poſſibilis N. una cum illatione; ſicut enim peccatum mereri nequit pœnam impoſſibilem, ſic nec Deus pœna hac peccatum punire: ſecus poſſet punire ultra demeritum. Demum 3*tio*, admiſſo Antec. diſtinctione explica Illation. poſſet Deus ita punire peccatorem, idque ratione demeriti Deum ad hanc infligendam pœnam ſolum *indiviſibiliter* moventis, Tranſm. moventis etiam *diviſibiliter* N. cujus rationem paulo ante in Reſp. ad II. inſinuavimus. Unde neque in hac hypotheſi ſequitur, peccatum in ratione demeriti fore ſimpliciter infinitum: ſed tantum ordine ſuperius ad quamvis pœnam temporalem.

Reſp. ad IV. N. aſſertum, uti & illationem in adjecto argumento factam. Diſpar nimirum eſt inter has duas pœnas ratio: nam pœna æterna intenſionis finitæ non eſt major culpa mortali; major contra foret ea, quæ tota æternitate augeretur quoad intenſionem. Primum inde repetitur, quia ſicut peccatum mortale quoad malitiam & offenſam eſt finitum, ſupremi attamen ordinis; ſic & pœna æterna intenſionis finitæ eſt finita ratione intenſionis, ſupremi autem ordinis ratione durationis æternæ: proinde commenſurata culpæ. Alterum vero ex hoc ultro conſequitur: cum enim culpa ſit finita, & quidem in gradu aliquo determinato, pœnam quoque meretur non niſi finitam, eamque determinatæ intenſionis; ergo ſi hæc intenſio tota æternitate creſceret, major eſſet pœna quam culpa, neque huic commenſurata: cum alioqui peccatum ea parte, qua eſt ſupremi ordinis, puniatur pariter pœna ſupremi ordinis, per durationem ſcilicet pœnæ æternam.

Neque dixeris: poteſt Deus in ſatisfactionem pro peccato æternitate tota exigere actus ſemper intenſiores; ergo & in ſatispaſſionem pœnas ſemper intenſive creſcentes. Neganda quippe eſt

illatio: nam omnis actus puræ creaturæ, etiam æternum continuandus, in ratione ſatisfactionis eſt inferioris ordinis; pœna autem intenſive finita, modo ſit æterna, eſt in ratione pœnæ ſupremi ordinis. Cur ita vero? quia nulla puræ creaturæ ſatisfactio eſt ſupremi ordinis, cum poſſit dari ſatisfactio ordinis divini, qualis erat in Chriſto; ex adverſo nequit dari pœna, ſeu ſatiſpaſſio ordinis divini: nam perſona Divina proprio ſenſu non poteſt pœnam ſubire, ſeu puniri; igitur aliqua puræ creaturæ ſatiſpaſſio eſt pœna ſupremi ordinis: non alia autem, quam pœna æterna ſenſus & damni, hæc quidem averſioni a Deo, illa converſioni ad creaturam reſpondens, utraque ſimul quoad intenſionem finita. An non ergo pœna æternum intenſive augenda foret altioris ordinis? minime; eſſet enim duntaxat major intra eundem ordinem: ſicut peccatum unum mortale gravius altero intra eundem offenſæ divinæ ordinem eſt tantum gravior offenſa, non vero offenſa alterius cujusdam ordinis.

Animadverſio.

78 Haud inutile fuerit pro coronide monere. Quo de his, aliisque id genus oppoſitæ ſententiæ momentis rite arbitrari, eaque etiam refellere poſſis, identidem in animum illud revoca: vim peccati demeritoriam totam fundari in ejus malitia & offenſa; cum igitur hæc non ſit ſimpliciter infinita, nec illa eſſe poteſt. Unde ſicut malitia & offenſa qualibet poteſt dari major alia: ſic & quacumque pœna, quam peccatum re ipſa meretur, poteſt dari major alia pœna; quamcunque igitur peccatum mereatur pœnam, ea non poteſt eſſe ſimpliciter infinita. Atque hoc unum (ſi quidem intra Theologiæ fines conſiſtat diſceptatio) ad ferendam de hac controverſiæ parte ſententiam ſatis eſt. Quia interim adverſarii etiam aliunde difficultates operoſe arceſſunt, atque ſic argumentum, ſecundum

ſe

Digitized by Google

ſe Theologo ſat planum, tricis prope in infinitum pro peccati infinitate productis exaſperant: nobis quoque (quando vel inviti denique in litis hujus communionem venimus) cauſa, quam tuendam ſuſcepimus, paulo prolixius dicenda fuit.

§. V.

Quid ſit peccatum veniale? num detur? & an plura venialia contrahant peccati mortalis malitiam?

PErſonale peccatum, idque tam commiſſionis quam omiſſionis, dividi in mortale & veniale ſupra meminimus; res jam ipſa poſcit, ut, poſt expeditas de illo controverſias, de hoc quoque ſpeciatim agamus. Quam in rem, conformiter ad quæſitum propoſitum, explicanda eſt in ſenſu orthodoxo peccati venialis natura: aſſerenda dein ejus contra ſectarios exiſtentia: pronunciandum denique de plurium venialium ſimul ſumptorum conditione, quæ a DD. Scholaſticis in diſputationem vocatur.

Natura peccati venialis.

I. ORthodoxo ſenſu veniale peccatum eſt, quod ratione ſui nec mortem affert animæ, nec pœna æterna eſt dignum: proinde ex natura ſua ac *per ſe* eſt veniale, non autem mere *per accidens* & ex eventu. Atque hujusmodi peccatum, eſt ipſa *libera transgreſſio legis divinæ leviter obligantis;* cum enim præciſe contra conſilium, aut præter legem agendo nemo peccet, ut conſtat ex Diſſert. I. §. I. & colligitur ex Apoſtolo 1. Cor. 7. præſertim V. 25. & 28. ut actus aliquis ſit peccatum, oportet eum eſſe contra legem; at ſi ſit contra legem graviter obligantem, eſt mortale: quo igitur ſit veniale, 79

Digitized by Google

le, debet eſſe transgreſſio legis leviter obligantis. Vel ideo autem peccatum veniale non eſt *Dei offenſa proprie talis*: hæc quippe tum habetur, dum Deus ſaltem virtualiter contemnitur, ut fit per transgreſſionem legis Divinæ graviter, hoc eſt, ſub reatu inimicitiæ divinæ & pœnæ æternæ obligantis; cum ergo ex adverſo lex, tantum leviter obligans, ſub hoc reatu non obliget, verum ſub reatu duntaxat alicujus diſplicentiæ & pœnæ temporalis, ejus transgreſſio non eſt ullo vero ſenſu Dei contemptus, proinde nec offenſa proprie talis. Nihil vetat interim (modo ne de voce litiges) peccatum veniale dicere *offenſam Dei minus proprie talem*; quamvis enim per illud creatura non contemnat Deum, nec ejus amicitiam rejiciat: idem tamen eſt actus contra voluntatem Dei libere poſitus, ac idcirco illi jure ita diſplicens, ut ex merito pœna temporali caſtigetur. Illud vero ad incurrendam id genus offenſam ſatis eſt.

80 II. Ex his facile colligas diſcrimen, quod inter mortale & veniale intercedit. Spectatis nimirum proprietatibus, quæ ex utriusque natura ultro promanant, mortale eſt Dei contemptus in libera divinæ amicitiæ reſciſſione conſiſtens: eſt converſio ad creaturam, ſimulque averſio a Deo: eſt mors animæ, privans ſcilicet eam gratia ſanctificante: eſt dignum pœna æterna damni & ſenſus; veniale contra eſt tantum quidam neglectus fervoris amicitiæ divinæ: ad creaturam converſio, non avertens a Deo, ſed præciſe impediens perfectiorem ad eum converſionem: eſt diſpoſitio duntaxat ad mortem animæ: ſola denique temporali pœna dignum. Qua ratione porro diſcerni poſſit: num actus aliquis ſit nominatim peccatum veniale, non vero mortale? non eſt, cur amplius de hoc peculiariter ſtatuamus; ſatis ad id ſubſidii dabunt ea, quæ ſupra N. 63. & 65. de peccato mortali diximus: quod ſi enim in horum

Digitized by Google

rum aliquo actus contra legem Dei libere poſitus deficiat, non mortalem, ſed venialem duntaxat culpam continere cenſendus eſt.

III. Quod nunc expoſita peccati venialis natura in dubium 81
revocari videtur, 1mo eſt illud, quod juxta D. Thom. & Theologos veniale non ſit contra, ſed tantum præter legem Dei; 2do, quod non admittatur libere, cum Trident. Seſſ. 6. Can. 23. dicat, ne hominem quidem juſtificatum tota vita poſſe omnia venialia vitare ſine ſpeciali privilegio. At neutrum officit. Non 1mum: quia licet veniale non ſit contra legem graviter obligantem, quæ principaliter venit nomine legis; eſt tamen contra legem leviter obligantem, quæ ipſa eſt vero ſenſu lex divina. Non etiam 2dum: nam Trident. non negat potentiam *in actum reducibilem*, ſed ſolum *reducendam in actum*; hoc eſt, non negat fieri poſſe, ut quis nunquam peccet: ſed tantum non futurum, ut non peccet: idque ipſum non titulo alicujus principii ad veniale aliquod phyſice neceſſitantis, verum propter exploratam duntaxat hominis in bono inconſtantiam, paſſiones, tentationes &c. quæ omnia moralem aliquando peccandi neceſſitatem adferunt. Cum hac interim neceſſitate morali vaga conſiſtit libertas moralis ad ſingula venialia determinate ſumpta evitanda; quanquam hæc ipſa neceſſaria non ſit ad peccatum, cum vel libertas phyſica ſufficiat.

De peccati venialis natura & exiſtentia Sectariorum error, & Catholica doctrina.

I. PRæſentis argumenti errores jam inde a Sec. IV. ſuam 82
ducunt originem. Jovinianus nimirum (teſte D. Hieronymo L. 2. contra eund.) docebat, peccatum quodlibet eſſe

ſe pœna æterna dignum: nullum proinde veniale admiſit. Eadem fuit ſententia Pelagii, cum (rurſum teſte Hieron. L. 2. Dialog. contra eund.) peccato quolibet amitti juſtitiam diceret; quia nihilominus complures dari juſtos non negavit, una aſſerebat, ſecluſa etiam ſpeciali Dei gratia poſſe hominem eſſe abſque omni peccato. Atque huic errori opponitur Tridentini doctrina Seſſ. 6. Cap. 11. ubi declaratur, dari peccata venialia, quæ cum ſtatu juſtitiæ componantur; item ibid. Can. 23. ubi definitur, tota vita hominem non poſſe venialia omnia vitare ſine ſpeciali Dei privilegio.

83 II. E poſterioribus hæreticis Wicleffus (apud Waldenſ. Tom. 2. de Sacram. C. 54. & ſeqq.) contendebat, omne peccatum ex natura ſua eſſe mortale: tametſi aliqua pro mortali non imputentur ex Dei miſericordia; unde reproborum peccata ſine diſcrimine ajebat eſſe mortalia: prædeſtinatorum vero tantum venialia ex eo, quia his a Deo non imputantur ad pœnam æternam. De Luthero quid dicam? cum ſola fide juſtificari hominem diceret, indubie exiſtimabat, ſolo infidelitatis peccato juſtitiam amitti, quodque hinc ſequitur, pœnam æternam promereri; idem nihilominus (ut patet ex Prop. 35. a Leone X. damnata) neminem ajebat eſſe certum, quod non ſemper peccet mortaliter propter occultum ſuperbiæ vitium: rurſum vero Prop. 31. & 32. juſtum peccare in omni opere bono, imo opus etiam optime factum eſſe veniale peccatum. Concilia hæc, ſi potes. Apertius ſe explicat Calvinus, dum in LL. Inſtitut. peccati in mortale & veniale diviſionem, *tanquam Sophiſtarum* (hoc nomine compellans Theologos Catholicos) *inventum* rejicit, &, Wicleffi errorem amplexus, omnia peccata ex genere ſuo vult eſſe mortalia; hinc L. 2. C. 8. §. 59. *Sanctorum delicta venialia eſſe* ait, *non ex ſuapte natura*, *ſed quia ex Dei miſericordia veniam conſequuntur:* & L. 3. C. 4. §.

28. *fide-*

Digitized by Google

28. *fidelium peccata venialia eſſe, non quia mortem non mereantur; ſed quia - - non imputantur, quia venia delentur.* His adde Mich. Bajum, Propoſ. 20. docentem: *nullum eſſe peccatum ex natura ſua veniale, ſed omne mereri pœnam æternam.* Quibus omnibus Eccleſiæ orthodoxæ doctrinam adverſari, conſtat ex Trident. Seſſ. 6. Cap. 11. & 15. item Can. 25. & 27. ac demum ex Baji cit Prop. a tribus SS. PP. proſcripta.

III. Sunt, qui in ejusdem erroris communionem vocent quosdam DD. Catholicos, ac nominatim Ioan. Gerſon in Tract. de Vita Spirit. P. 3. lect. 1. Almainum Tract. 3. Moral. C. 20. Fiſcherum Ep. Roffenſ. contra Luth. Art. 32. At enim labem hanc ab illis abſtergere ex propoſito ſatagit Tanner de Pecc. Diſp. 4. qu. 1. Dub. 1. & emin. Gotti Tom. 2. de Vera Eccl. Par. 1. Ar. 10. ubi eorum vindicias legere poteris. Quod ſi tamen illæ non ſufficiant, paucorum error obeſſe nequit communi DD. orthodoxum doctrinæ, quam iſthic aſſerendam & tuendam ſuſcipimus. 84

ASSERTIO I.

Dantur peccata, quæ ex natura ſua ſint tantum venialia.

ID genus ſcilicet peccatorum nomine veniunt illa, quæ ſine diſcrimine perſonarum (non attenta proinde fidelium, aut prædeſtinatorum conditione) ſunt talia, ut ratione ſui componi poſſint cum juſtitiæ gratia, nec peccantem reddant obnoxium pœnæ æternæ, ſed temporali duntaxat; atqui peccata ejusmodi dari docet Scriptura, Traditio item, tum & ratio ipſa. 85

Scriptura quidem: quia ſicut ad Gal. 5. de peccatis quibusdam generatim dicitur, *qui talia agunt, Regnum Dei non conſequentur:*

tur : ita Jac. 3. *in multis offendimus omnes ;* at non omnes mortaliter, cum multi nihilominus perſeverent eſſe juſti juxta illud Prov. 24. *ſepties cadet juſtus;* ergo etiam venialiter, ſeu id genus peccatis, quæ ex ſe juſtitiam non excludunt. Huc faciunt illa Chriſti apud Matth. C. 5. *omnis*, *qui iraſcitur fratri ſuo*, *reus erit judicio ; qui autem dixerit fratri ſuo rhaca*, *reus erit concilio ; qui autem dixerit fatue*, *reus erit gehennæ ignis.* Ubi vides tertium duntaxat convicii genus pronuntiari mortale, ut pote dignum gehennæ pœna : duo vero priora eſſe leviora, ut ex adjecta pœna colligit D. Joan. Chryſoſt. Hom. 16. in Matth. commemoratis idcirco illis ſubjiciens, *ſed adhuc iſta non magna ſunt* &c. Demum Chriſtus ipſe Matth. 7. & 23. aliqua peccata comparat *trabi* & *camelo*, alia *feſtucæ* & *culici ;* qua utique comparatione ſatis innuit, aliqua eſſe ex genere ſuo gravia, alia levia : inde Hieron. in C. 7. Matth. de Phariſæis, *cum ipſi*, inquit, *mortali crimine teneantur obnoxii*, *minora peccata fratribus non concedunt*, *culicem linquantes*, *& camelum glutientes.*

Traditio deinde : nam PP. peccatum paſſim in mortale & veniale dividunt, nulla ratione habita perſonæ peccantis. Ita (præter paulo ante laud. Hieron. & Chryſoſt.). Ambroſius L. 2. de Pœnit. C. 10. *quotidiani*, inquit, *nos debet pœnitere peccati ; ſed hæc* (pœnitentia) *deliƈtorum leviorum*, *illa graviorum.* Auguſtinus vero L. de Nat. & Grat. C. 38. *quia ſæpe*, inquit, *in leviſſimis & aliquando incautis obrepit peccatum*, *& juſti fuerunt*, *& ſine peccato non fuerunt ;* ubi admittit peccata levia, quæ juſtis etiam imputantur, quin juſti eſſe deſinant. Et rurſum L. 1. contra duas Epiſt. Pelag. C. 14. inter peccata & crimina diſtinguens, *multos* ait *eſſe ſine crimine*, *nullum ſine peccato*, omneſque propterea, etiam fideles & baptizatos dicere debere, *Dimitte nobis debita noſtra ;* atque hanc eſſe

ait

Digitized by Google

ait *fidei Catholicæ ſanitatem contra hæreticam vanitatem.* Quæ ipſa doctrina a Concilio Milevitano An. 416. Can. 7. & 8. anathemate interpoſito eſt definita. Jure proinde Conc. Trident. Seſſ. 6. C. 11. declaravit, juſtos quandoque in levia & venialia peccata cadere, nec tamen propterea juſtos eſſe deſinere; jure item damnata eſt Baji Prop. 20. qua negavit dari peccatum ullum ex natura ſua veniale.

Ratio ipſa demum idem evincit: quis enim ſana ratione præditus ſibi perſuadeat, non minus ex ſe & natura ſua e. g. verbum otioſum ac blaſphæmiam promereri amicitiæ divinæ diſſolutionem & pœnam æternam? certe inter homines (ſi quidem non deſipiant) quælibet offenſa non diſſolvit amicitiam; minus igitur inter Deum & hominem.

Hæc interim orthodoxæ doctrinæ veritas non officit, quo 86
minus peccatum aliquod, quamvis natura ſua veniale, malitiam mortalem contrahat *per accidens*, ex quibusdam ſcilicet circumſtantiis. Id vero contingere poſſe occaſione pravi alicujus finis adjuncti, propter contemptum formalem Legislatoris, ratione gravis ſcandali, aut periculi proximi graviter peccandi, nemo indubium revocat. At, num perinde ſola venialium multiplicatio ad eam malitiam contrahendam ſufficiat, ita videlicet, ut plura venialia titulo præciſe aucti numeri evadant peccatum mortale? iſtud eſt, quod Theologi ad culpæ venialis naturam penitius inveſtigandam controvertendum cenſuerunt. De quo quidem Doctor Ang. 1. 2. qu. 88. Art. 4. in ⊙ diſerte pronuntiat *nunquam fieri poſſe; - - ut vel omnia totius mundi venialia uni peccato mortali æquivaleant.* Eadem eſt aliorum ſententia adeo communis, ut Caſtropalao afferat, apud omnes DD. orthodoxos eſſe certam. Cum his igitur & nobis ſit

ASSERTIO II.

Plura venialia per ſolam ſui multiplicationem non contrahunt peccati mortalis malitiam.

87 DOctrina hæc fundatur in Tridentino, quod Seſſ. 6. Cap. 11. dicit, *ſanctos & juſtos in venialia peccata quandoque cadere, non tamen propterea deſinere eſſe juſtos:* & Seſſ. 14. Cap. 5. *venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, taceri citra culpam poſſe* in Confeſſione ſcilicet; ex mente igitur Concilii venialia, etiam *frequentius* admiſſa, non excludunt a Dei gratia: non obligamur eadem pro ſacro Pœnit. tribunali aperire; atqui neutrum horum ſuſtineri poſſet univerſim, niſi ſententia hæc obtineat: cum peccatum mortalis culpæ malitiam continens juxta idem Concilium & excludat gratiam, & in Confeſſione taceri non poſſit, ergo &c.

Accedit: peccatum mortale propter Dei contemptum, ac in hoc fundatam ejus offenſam proprie talem, eſſe ordinis ſuperioris, quam veniale; ea autem, quæ ſunt in ordine inferiori, quantumcunque multiplicentur, nequeunt pertingere ad æqualitatem cum eo, quod eſt ſuperioris ordinis: quia nimirum multiplicatio hæc fit intra limites ordinis inferioris. Ex hac certe cauſa quantumlibet multiplicata merita naturalia æquare non poſſunt vel unum meritum ſupernaturale; ergo etiam &c.

Denique, cum numerus ille venialium ad unum mortale ſufficiens a nemine determinari poſſit, qui vel ſecundum aut tertium veniale cum deliberatione admitteret, jam hoc ipſo exponeret ſe periculo peccandi mortaliter: ac vel ideo etiam ita peccaret: teneretur de hoc in Confeſſione ſui accuſationem facere;

Digitized by Google

cere ; at hæc profecto a communi fidelium ſenſu & praxi ſunt aliena : nihil ut dicam de gravi conſcientiarum perturbatione, quam hinc ultro enaſci pronum foret.

Reſpondetur Sectariis contra Aſſertion. I. argutantibus.

ARguunt I. ex S. Literis Ezech. 18. generatim dicitur: 88
anima, quæ peccaverit, ipſa morietur. Et Matth. 5. *qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, -- minimus vocabitur in regno Cœlorum*, hoc eſt, excludendus a regno Cœlorum. Item Jac. 2. *quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus.* Quodlibet igitur peccatum æquivalet mortali, inducit mortem animæ, etiam minimum excludit a beatitudine.

II. ex Patribus. Auguſtin. L. 9. Conf. 13. *væ*, inquit, *etiam laudabili vitæ hominum, ſi remota miſericordia diſcutias eam;* illos igitur etiam, qui in parva videntur labi peccata, manet damnatio, niſi miſericorditer cum iis agatur. Baſilius autem in Regg. brevior. ad interog. 4. ſcribit, *nulla peccata exiſtimanda eſſe minuta;* & ad interog. 293. differentiam *minorum & majorum peccatorum* non reperiri in novo Teſtamento.

III. a ratione theologica. Quodlibet peccatum adverſatur primo illi & maximo mandato : *Diliges Dom. Deum tuum ex toto corde tuo ;* ergo & quodlibet opponitur charitati, quolibet excluditur charitas, ac vel ideo Deus contemnitur : quodlibet proinde ex ſe eſt grave.

IV. a pari. Ex mente Catholicorum omnia opera ſupernaturalia juſti merentur vitam æternam ; perinde igitur quodvis peccatum meretur pœnam æternam.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. ad I. non eſſe, quod ſibi heterodoxi (ut olim ajebat Hieron. L. contra Luciferian. ſub finem) blandiantur, *ſi de Scripturarum Capitulis videntur ſibi affirmare, quod dicunt: cum & diabolus de Scripturis aliqua ſit locutus, & Scripturæ non in legendo conſiſtant, ſed in intelligendo.* Ut vero intelligantur, contextus inprimis attendendus eſt, & loca invicem plura conferenda. Ac loca quidem pro nobis facientia jam ſupra N. 83. laudavimus; nunc de objectis Scripturæ verbis ex ipſo contextu judicium ferendum eſt.

Certe autem hoc attento fruſtra provocatur ad Ezechielem, ut qui toto cit. Cap. nomine Dei monere intendit id unum: propter peccata Patrum non puniri filios, neque ex adverſo; hinc V. 20. continuo additur, *filius non portabit iniquitatem Patris, & Pater non portabit iniquitatem filii, - - impietas impii erit ſuper eum.* Chriſtus autem apud Matth. cit. C. 5. non loquitur de minimis peccatis: ſed de præceptis ſecundum materiam ſuam gravibus, quæ tamen falſa Scribarum & Phariſæorum opinione habebantur pro minimis, ac etiam ab iisdem minima eſſe docebantur. Hinc eſt, quod Chriſtus nominatim dicat: *qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines* &c. moxque etiam ſubdat: *niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum Cœlorum.* Quæ vero mandata illa minima? ea utique, quæ a V. 21. recenſentur, *Non occides, - - Non mœchaberis* &c. quæ profecto ex ſe ſunt gravia. Jacobus demum laud. C. 2. agit ſolum de offenſa in uno ex gravibus præceptis; hinc ſequ. V. ſubjicit: *qui enim dixit, Non mœchaberis, dixit &, Non occides: quod ſi non mœchaberis, occides autem, factus es transgreſſor legis.* Similiter illud Deuter. 28. V. ult. *maledictus, qui non permanet in ſermonibus legis hujus*, intelligendum eſt de præceptis tantum gravibus, ut patet ex præcedentibus a V. 15.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. ad II. Auguſtinum admiſiſſe dari peccata, quæ ex genere ſuo ſint parva & venialia, patet ex N. 83. ſed nec in objecto loco aliud vult, quam quod ne ſanctis quidem, tametſi in peccata ſolum levia lapſis, niſi ab eis divina miſericordia prius mundentur, pateat aditus in regnum Cœlorum. Id vero colligitur ex ejusd. L. C. ult. ubi petit pro Matre ſua defuncta orari, *ut conſequatur Dei miſericordiam*; quam autem illam? non utique eam, quæ fit per mortalium remiſſionem: hæc enim vita functis non amplius impenditur; ergo eam, quæ fit venialium condonatione. Eodem fere ſenſu exponi poteſt, dum ad hanc ipſam Dei miſericordiam provocat Ep. 29. modo 167. ad Hieron. item L. 2. de Pecc. merit. & remiſ. C. 3. quanquam hoc poſtremo loco videatur ſolum monere, neminem poſſe cum ſpe beatitudinis mori, niſi Dei miſericordia erigatur: idque propterea, quod nemo certus ſit liberum ſe eſſe ab omni peccato gravi, juxta illud ſcilicet Eccl. 9. *neſcit homo, utrum amore an odio dignus ſit*, quodque ipſum 1. Cor. 4. Apoſtolus metuebat. De Baſilio autem (ſi tamen cit. Opus illius ſit, nam Bellarmin. in L. de Script. Eccl. controvertit) id habe: non plus eum iſthic dicere, quam nullum peccatum eſſe ita parvum, ut contemni aut pro nullo reputari poſſit; atque hoc ſenſu ait non reperiri in Scriptura differentiam minorum & majorum peccatorum. Hinc eſt, quod ad inter. 4. dicat, *nihil tanquam minutum contemni debere*; & ad inter. 267. idem declarat exemplo duorum infirmorum, quorum unus laborat ſola febri, alter vero aliis præterea morbis.

Reſp. ad III. D. Ant. quodlibet peccatum illi mandato adverſatur vel graviter vel leviter C. quodlibet adverſatur graviter N. una cum illatione. Duo nimirum in hoc mandato diſtinguenda ſunt. Primum præcipitur ita amandus eſſe Deus, ut

ut propter nullam rem creatam ejus amicitia reſcindatur; atque hoc præceptum grave eſt, cui proinde non poteſt non graviter adverſari peccatum mortale, per quod amicitia Dei reſcinditur, ac vel ideo Deus poſtponitur bono creato. Alterum præcipitur, ne perfectio & fervor charitatis in Deum minuatur; quod præceptum ex adverſo non eſt graviter obligans, quando per imminutionem hujus fervoris integra adhuc quoad ſubſtantiam perſeverat charitas & amicitia cum Deo; ea igitur peccata, quæ ſunt contra hanc duntaxat mandati partem, eidem non adverſantur graviter: id genus autem eſſe contendimus illa, quæ levia ac venialia dicuntur.

Reſp. ad IV. C. Ant. N. Illation. primi quippe habetur fundamentum: non item alterius. Cum enim opus quodlibet ſupernaturale juſti dignificetur a gratia ſanctificante, ſitque opus filii per hanc ipſam gratiam a Deo adoptati, ac hæredis vitæ æternæ, vel ideo ſufficientem habet proportionem ad merendum ejusdem beatitudinis augmentum, accedente præſertim promiſſione divina, uti iſtud ex propoſito decl.ratur in Tract. de Gratia & merito; ex adverſo in quibusdam peccatis, ut eſt e. g. verbum otioſum, officioſum mendacium &c. nihil reperire eſt, unde ad merendam pœnam æternam ſufficiens proportio deſumatur, cum per illa non contemnatur Deus, neque ejus amicitia abjiciatur: negligatur tantum charitatis fervor, cui quidem neglectui nuſpiam Deus comminatur pœnam æternam.

At enim (inquies) peccatum quodlibet eſt majus malum quam pœna quælibet etiam æterna, hæcque potius eligenda foret præ quovis peccato? ita equidem: verum id propterea duntaxat, quod Deus quodlibet peccatum, utpote ſibi diſplicens, vi ſummæ ſuæ ſanctitatis & ſapientiæ ſemper ac pro omni circumſtantia prohibeat, ſitque proinde ſemper illicitum, & voluntati divinæ contra-

trarium atque hoc uno ſenſu peccatum quodlibet dici poteſt eſſe altioris ordinis ad omne malum pœnæ. Neque tamen hinc inferre licet: ergo quodvis peccatum ex ſe meretur quamlibet pœnam, etiam æternam; ad id quippe præterea neceſſe foret dari ſufficientem in quolibet peccato proportionem ad merendam pœnam æternam. Quæ quidem proportio nequit argui præciſe ex eo, quod peccatum quodlibet in ſenſu memorato ſit altioris ordinis ad omne malum pœnæ: nam & e. g. aurum eſt nobilioris ordinis metallo quolibet, nec tamen propterea quælibet auri portio valet quantamcunque maſſam alterius metalli. An vero peccatum, quod dicimus veniale, ſaltem per accidens puniri poſſit, aut puniatur etiam pœna æterna, dicetur infra L. III. de Pecc. Pœn. Differt. I.

Si urgeas: quodlibet ſaltem peccatum ejus, qui gravi peccato habituali eſt obſtrictus, erit mortale & pœnæ æternæ meritorium perinde, ac quilibet actus moraliter bonus & ſupernaturalis a juſto elicitus meretur de condigno vitam æternam; quod ſi enim juſtitia habitualis, ſeu gratia ſanctificans ita poſſit dignificare actum quemlibet bonum, cur non etiam injuſtitia habitualis ita gravificet quemlibet actum malum? Verum neque iſtud legitime arguitur; diſcrimen quippe hæc inter non unum eſt. Et quidem,

1*mo*, gratia ſanctificans per ſuos habitus & auxilia tranſeuntia influit in bonos juſti actus; ſunt igitur hi actus gratiæ proprii; ergo eosdem, ut ſuos, poteſt dignificare ad id, cujus ipſa eſt jus, ſcilicet vitæ æternæ: ex adverſo peccatum habituale nullo vero ſenſu influit in peccatoris malos actus, proinde nec gravificare poteſt illos, ut ſuos.

2*do*, major dignitas perſonæ ſecundum ſe actum ejus bonum reddit majore præmio dignum: quia in æſtimatione morali plus longe eſt perſonam digniorem, quam minus dignam ſubmitti in obſequium alterius; at vero major indignitas perſonæ peccantis ſecundum ſe non facit actum malum majore pœna dignum: quia pœna commenſuratur injuriæ & delicto juxta illud Apoc. 18. *quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum;* imo ſecundum rectam æſtimationem gravior cenſetur injuria, quæ ab amico, quam quæ ab inimico irrogatur, unde David Pſ. 54. *ſi inimicus*, inquit, *meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique, - - tu vero homo unanimis, dux meus & notus meus &c.*

3*tio*, quia actus moraliter bonus quilibet a juſto elicitus habet omnes conditiones ad meritum de condigno vitæ æternæ requiſitas, ut hic ſuppono ex Tract. de Grat. & mer. eſt ſcilicet honeſtus, ſupernaturalis, a gratia ſanctificante dignificatus, nec caret divina promiſſione; hinc Trident. Seſſ. 6. Can. 32. definivit, hominem *juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & J. Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt, fiunt, vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum:* quod ipſum ibid. Cap. 16. jam antea pluribus declaravit, & S. Scripturæ teſtimonio confirmavit. Quilibet contra malus actus etiam gravis peccatoris non habet omnia, quæ ad pœnæ æternæ demeritum requiruntur: inter quæ eſt præcipuum, ut actu ejusmodi ſaltem interpretative contemnatur Deus, quod profecto in omni ejus actu malo non reperitur.

4*to*, demum, quia ex definitione Eccleſiæ, eaque in S. Literis fundata, conſtat quodlibet juſti opus bonum mereri vitam æternam, cum paulo ante cit. Trident. generatim loquatur

Digitized by Google

tur de juſti bonis opcribus; nihil ex adverſo, ſeu ex Scripturis, ſeu Patribus, ſeu Eccleſiæ ſenſu, aut ratione proferri poteſt, unde perinde oſtendatur, quemlibet actum malum peccatoris mereri pœnam æternam: præſertim cum injuſtitia habitualis jam alioqui in ſe ipſa imputetur ad demeritum pœnæ æternæ, habitualis autem juſtitia non in ſe ipſa, ſed in actibus duntaxat ſuis ſit meritum vitæ æternæ.

Reſpondetur Scholaſticorum contra Aſſertion. II. objectis.

OBjic. I. illud Auguſtini Tract. 12. in Ioan. *peccata minima, ſi negligantur, occidunt;* & Ep. 108. modo 265. ad Seleucian. ubi de peccatis levibus ac quotidianis agens, *quæ ſi collecta*, inquit, *contra nos fuerint, ita nos gravabunt, & oppriment, ſicut unum grande peccatum: quid enim intereſt ad naufragium, utrum uno grandi fluctu navis operiatur & obruatur, an paulatim ſubrepens aqua - - impleat navem, atque ſubmergat?* Cenſuit proinde S. Doctor, plura venialia ad mortem animæ inferendam vi pollere eadem, qua mortale. 89

II. Peccatum mortale in nullo ex attributis ſuis eſt proprio ſenſu infinitum; cur non igitur, ſaltem in ratione malitiæ, æquari poſſit per venialia majore numero multiplicata?

III. Singula venialia minuunt charitatem; quid ni plura eandem penitus tollant perinde, ac mortale? Certe plura vulnera levia non raro inducunt mortem, & frequentius repetitæ leves offenſæ graviter offendunt homines; ergo etiam &c.

IV. Si hæc ſententia obtineat, ultro ſequuntur complura ſanæ doctrinæ contraria, uti ſunt: non peccaturum graviter unquam eum, qui apud ſe conſtituerit quavis occaſione pecca-

re venialiter; item qui parva furta ſæpius admiſerit ; qui die jejunii modicam cibi portionem ſæpius ſumpſerit &c.

Reſp. ad I. ex mente Auguſtini (interprete Doctore Ang.) multa venialia ſolum *diſpoſitive* opprimunt & occidunt animam; quia ſcilicet aſſuetus negligere minora ſenſim diſponitur ad graviora juxta illud Eccli. 19. *qui ſpernit modica*, *paulatim decidet*: ad quod conformiter Gregorius Magn. L. 10. Moral. C. 14. *ſi enim*, inquit, *curare parva negligimus*, *inſenſibiliter ſeducti*, *audenter etiam majora perpetramus.* Hancque omnino fuiſſe Auguſtini mentem, colligitur ex ejus Comment. in Pſ. 139. ubi hujusmodi peccata ſpinarum radicibus comparans, ait: *etenim & ſpinæ non pungunt in radicibus; erue ſpinas de terra*, *contrecta radices ipſarum*, *& vide*, *ſi ſentis dolorem: tamen illud*, *unde dolorem ſentis in ſuperficie*, *de illa radice proceſſit.* Unde, dum S. Doctor in obj. Ep. ſubrepentes aquæ guttas cum grandi fluctu comparat, & venialia cum peccato mortali, comparatio hæc non eſt utrinque eodem rigore accipienda: cum enim guttæ aquæ ſint ejusdem ſpeciei phyſicæ cum fluctu, poſſunt coaleſcere in parem cum eo molem, quæ demum ſuo pondere navem demergat; ſecus eſt de culpis venialibus & mortalibus, ut quæ in genere moris diverſæ ſunt ſpeciei.

Reſp. ad II. C. Ant. N. Illat. quamvis enim mortalis peccati malitia non ſit infinita, eſt tamen alterius, ejusque ſuperioris ordinis, quam veniale. Dices forte iſtud non obeſſe: cum e. g. actus miſericordiæ, licet ſint ordinis inferioris comparate ad actum charitatis theologicæ, hunc nihilominus per ſui multiplicationem æquare poſſint in ratione meriti. At enim obſervandum: actus miſericordiæ & charitatis in ratione meriti eſſe ejusdem ordinis, nempe ſupernaturalis & ex ſe ad vitam æternam conducentis; unde non mirum plures miſericordiæ

actus

actus a juſto poſitos poſſe mereri tantum ſupernaturale præmium, quantum meretur unus charitatis actus. Quia interim hi ipſi actus quoad rationem virtutis in diverſo ſunt ordine: charitas enim eſt virtus theologica, miſericordia vero tantum virtus moralis; nulla omnino actuum miſericordiæ multiplicatio efficiet, ut evehantur ad eam virtutis dignitatem, quam habet charitas. Atque hinc facile conjicias, a memoratis virtutum actibus haud recte argui ad peccata venialia & mortale: hoc quippe tam ratione malitiæ, quam offenſæ, proinde & demeriti eſt in ordine ſuperiori ad veniale; in nullo proinde horum mortale æquari poteſt a venialibus, quantumlibet multiplicatis.

Reſp. ad III. Si ſermo ſit de charitate actuali, D. Ant. venialia minuunt illam quoad fervorem & perfectionem, quatenus ſcilicet fit, ut venialiter peccans minus perfecte ac paulo remiſſius amet Deum C. minuunt illam etiam quoad ſubſtantiam, proinde ita, ut peccans venialiter penitus ceſſet ab amore Dei, & ejus amicitia rebus creatis præferenda N. Similiter, ſi per charitatem intelligatur charitatis habitus & connexa cum eo gratia ſanctificans, rurſum D. Ant. venialia hanc charitatem minuunt *negative*, impediendo ſcilicet ejus augmentum C. minuunt *poſitive*, ſufferendo aliquem prioris habitus & gratiæ gradum N. unde patet, factam conſecutionem non eſſe legitimam.

Neque urgent quidquam adducta exempla. Etenim repetitis levibus vulneribus, perinde ac uno gravi, poteſt exhauriri ſanguis ad vitam corporis neceſſarius; per venialia autem gratia ſanctificans, in qua conſiſtit vita animæ, non minuitur, minus tollitur. Quod vero homines frequentioribus levibus offenſis non raro graviter offendantur, iſtud provenit inde: quia

Digitized by Google

quia cum interna non videant, facile judicant hujusmodi offenſiones ex gravi ſui contemptu originem ducere; ſecus res habet apud Deum, qui ſcrutatur corda, & intima hominis pervidet.

Reſp. ad IV. N. Aſſertum. Ut autem de conſecutionibus in Obj. adductis rite judicare poſſis, de ſingulis ex Theologia morum præcipua quædam recoluiſſe juverit; conformiter ad quæ pronum erit & alia id genus reſolvere. Itaque

I. Proponens occaſione qualibet committere venialia, aut etiam volens omnia committere, *per ſe* omnino non peccat graviter: quia propoſiti hujus objectum ſecundum ſe non eſt graviter prohibitum; hinc & omnium venialium (ſecluſo ſaltem hoc propoſito) commiſſio ſecundum ſe non eſt peccatum mortale. Idem attamen *per accidens* indubie graviter peccat, ſcilicet tam ratione periculi peccandi mortaliter, in quod ſe ultro conjicit, ſi tamen ad illud advertat; quam ratione gravis contemptus præceptorum leviter obligantium, qui vix abeſſe poteſt a propoſito adeo inſolenti.

Quid porro ſentiendum de Religioſo, volente tranſgredi omnes ſui Ordinis regulas ſub gravi non obligantes? Probabile omnino videtur, propoſitum hoc *per ſe* eſſe peccatum grave: quia Religioſus vi ſuæ profeſſionis ſub mortali obligatur tendere ad perfectionem, id genus autem propoſitum habens poſitive non vult ad eam tendere. Sunt interim, qui eum *per accidens* tantum graviter peccaturum exiſtiment, ratione nimirum contemptus, propter ſcandalum aliis dandum, propter damnum ſpirituale ſibi aut Ordini inferendum &c. Ex his ipſis capitibus Suarez de Relig. Tract. 8. L. 1. C. 4. peccati mortalis reum facit Religioſum illum, qui (ſecluſo etiam memorato propoſito) regulas

gulas

gulas nunquam obſervat, tametſi facile poſſit; imo Sanchez L. 6. Mor. C. 4. etiam illum, qui frequenter & ex conſuetudine violat regulas.

II. Parva furta ſæpius committens tum ſolum peccat graviter, dum a principio intendit pervenire ad majorem ſummam: aut cum illam compleri advertit in furto ultimo; in primo quippe caſu ſingula furta conjunguntur cum gravis damni intentione, quæ ex ſe eſt peccatum mortale: in altero autem furtum ultimum eſt conjunctum cum deliberata voluntate grave damnum proximo complete inferendi, quod rurſum a peccato mortali nequit excuſari. Quod ſi neutrum horum adſit, parva furta committens non peccat mortaliter; hic ipſe attamen, ſi deinde advertat per minuta illa & venialia furta grave damnum eſſe illatum proximo, ſub mortali omnino tenetur ad reſtitutionem: voluntaria enim rei alienæ retentio furto æquivalet. Hinc jure ab Innocentio XI. inter alias damnata eſt hæc Prop. 38. *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcunque ſit magna ſumma totalis.*

III. Qui diſtinctis jejunii e. g. quadrageſimæ diebus modicam cibi portionem ſumit, ſolum venialiter peccat: quia præceptum de jejunio ſeorſim dies ſingulos afficit; hinc modicæ illæ comeſtiones diverſis diebus factæ nequeunt coaleſcere in materiam præcepto graviter obliganti oppoſitam. Secus eſt de eo, qui eodem jejunii die ſæpius modicum quid comedit: per hujusmodi enim repetitas comeſtiones modicas compleri poteſt materiæ quantitas, præcepto jejunii graviter prohibita; idcirco Alexander VII. proſcripſit hanc Prop. num. 29. *in die jejunii, qui modicum quid ſæpius comederit, non frangit jejunium.*

Digitized by Google

§. VI.

Quid nomine peccati habitualis Theologi intelligant? an item, & quando detur illud?

EX perſonali actuali peccato, eoque tam commiſſionis quam omiſſionis, mortali item ac veniali (de quibus actum hactenus) enaſcitur *habituale*, ſic dictum, quod non amplius in actu ipſo, ſed *quaſi habitu* exiſtat. Atque hujus in ſenſu theologico natura primum exponenda eſt, tum & de ejus exiſtentia pronuntiandum.

Explicatur peccati habitualis natura.

90 PEccatum habituale communiter a Theologis definitur, eſſe *peccatum antea commiſſum, jamque phyſice præteritum, moraliter nihilominus etiamnum perſeverans.* Ita autem in ſenſu theologico perſeverat, uſque dum homo propter illud perinde odio Dei, vel diſplicentia, & pœna eſt dignus, ac ſi peccatum actu admitteretur: ideoque in æſtimatione morali habetur pro peccatore, imo & denominatur peccator æque, ac ſi nunc re ipſa peccaret. Quare peccatum habituale in re nihil eſt aliud, quam ipſum actuale peccatum phyſice prœteritum, perſeverans attamen in ordine ad jus ex parte Dei ad odio habendum & pœna æterna plectendum peccatorem, ſi quidem fuerit mortale: ſin autem veniale, in ordine ad jus diſplicentiæ, & pœnæ temporalis infligendæ. Ex quo patet, actualis & habitualis peccati differentiam ſolum deſumi ex ratione diverſorum ſtatuum ejuſdem peccati. Quod igitur eſt reliquum, & ad fidei dogma de peccato habituali explicandum pertinet, quæritur: num hoc ſenſu peccatum habituale detur, & quando?

Digitized by Google

ASSERTIO.

Datur peccatum habituale: & quidem uſque eo, quoad peccati antea commiſſi fiat remiſſio formalis.

Pars I. fide certa eſt ex iis Scripturæ locis, quibus memorantur peccata prius admiſſa, etiamnum tamen in ordine ad effectus ſibi proprios perſeverantia. Ita Joſ. 22. *uſque in præſentem diem macula hujus ſceleris in vobis permanet.* Luc. 7. *mulier, quæ erat in civitate peccatrix.--remittuntur ei peccata multa* Joan. 8. *in peccato veſtro moriemini;* rurſumque C. 20. *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Conſonat his patrum doctrina, quos inter Auguſtinus L. 1. de Nupt. & Concup. C. 25. *ſi a peccato*, inquit, *deſiſtere, hoc eſſet non habere peccatum, ſufficeret ut hoc me moneret Scriptura: fili peccaſti, non adjicias iterum; non autem ſufficit, ſed addit: & de præteritis deprecare, ut tibi remittantur.* Id ipſum denique certum eſt ex ſenſu Eccleſiæ: cum de peccatis etiam phyſice præteritis confitendis, & quidem ad obtinendam illorum veniam, eaque penitus abolenda, divinum præceptum agnoſcat; quin etiam ejus executionem, adjecto alio de Confeſſione annua præcepto, urgeat, ut conſtat ex Trident. Seſſ. 14. Can. 8. & Cap. 5. ubi ſimul Conc. Lateranenſis IV. Can. 21. ſuper hac re conſtitutionem eodem ſenſu exponit. 91

Pars II. facile deducitur ex cit. Joan. C. 20. memoratis item Conciliis, & laud. Auguſtino, aliiſque paſſim Patribus. Quod ſi enim peccata prius admiſſa & retineri, & remitti poſſint: ſi, ut non habeatur peccatum, deprecatione opus eſt ad remiſſionem: ſi confitenda, ut condonentur & aboleantur, quid clarius? quam eo uſque peccatum moraliter perdurare, dum ejus fiat remiſſio formalis. Inde loco ſupra cit. Auguſtinus: 92

nus: *ſi quis fecerit adulterium, reus eſt adulterii, donec reatus ipſius indulgentia remittatur. Habet ergo peccatum, quamvis illud, quod admiſit, jam non ſit, quia cum tempore, quo factum eſt, præteriit. - - Manent ergo* peccata, *niſi remittantur. Sed quo modo manent, ſi præterita ſunt? niſi quia præterierunt actu, manent reatu.*

Idem conficitur ex definitione allata: ex hac nimirum conſtat peccatum habituale tum dari, dum propter peccatum antea commiſſum in Deo habetur jus, idque in *actu ſecundo* tale, ad odium, diſplicentiam, & pœnam; jus porro hoc habetur, donec illi cedat Deus: cedit autem per formalem peccati remiſſionem; eo uſque igitur peccatum habituale datur, quoad ejus fiat remiſſio formalis. Hinc peccatum habituale non aliud eſt, quam peccatum præteritum nondum remiſſum; ſeu dein hæc remiſſio fiat condonatione intrinſeca, ſeu mere extrinſeca. Cæterum, quæ ſit juxta hujus providentiæ leges peccati tam mortalis quam venialis remiſſio formalis, dictum eſt ex propoſito ſupra Diſſert. I. §. IV. a Num. 39.

Diluuntur momenta in oppoſitum.

93 OBjic. I. Si peccatum habituale detur, & quidem eo uſque, dum peccatum antea commiſſum remittatur, vix in re erit aliud, quam relatio ex peccato actuali præterito & remiſſionis carentia reſultans; at iſtud videtur ſuſtineri non poſſe: cum enim Job. 14. V. 4. juxta LXX. Interpr. peccatum Adæ in poſteris habitualiter perſeverans dicatur *fordes*, a qua *nemo mundus*, nec infans unius diei: itemque Joſ. 22. de peccato idololatriæ a filiis Ruben & Gad commiſſo, *macula hujus ſceleris in vobis permanet* &c. videtur Scriptura innuere, peccatum hujusmodi eſſe qualitatem quandam abſolutam (*morbidam*

di-

dicunt aliqui) quæ ſcilicet in anima phyſice recipiatur & permaneat, eamque intrinſece revera fædet ac maculet, ergo &c. Item,

II. Si eo uſque detur, dum remittatur, Deus erit dicendus cauſa peccati habitualis; cum enim ſoli illi ſit liberum remittere peccata, ſicut voluntate illius datur carentia remiſſionis, ita & peccatum moraliter perſeverans. Præterea

III. Cum vi ſuæ ſanctitatis & ſapientiæ Deus oderit peccatum, etiam remiſſum, quid ni ſemel admiſſum ſemper deinceps in morali æſtimatione perſeveret? non igitur eo uſque tantum, dum remittatur. Denique,

IV. Si peccatum habituale detur, uſque dum remittatur, definiendum foret, quænam ſint illius ita perſeverantis intrinſeca ac formalia conſtitutiva: an videlicet ſolum peccatum phyſice præteritum? an carentia remiſſionis? an utrumque? an quidpiam aliud? at enim opus hoc litibus plenum eſt, quodque etiamnum Scholaſticos in varia diſtrahit.

Reſp. ad I. C. Maj. N. Min. nihil quippe ad rem præſentem accommodatius attuleris, quam ſi peccatum habituale dicas eſſe relativum quoddam morale compoſitum, quod ex peccato præterito & carentia remiſſionis reſultet. Atque hoc ipſum eſt illa, quam S. Literæ memorant, peccati *ſordes* ac *macula*, moralis ſcilicet, non phyſica: & quæ in nobis moraliter tantum intrinſece permaneat, moraliter inhæreat animæ, eodemque ſenſu illam fœdet ac maculet. Neque violentam exiſtimes hanc Scripturæ interpretationem; quod ſi enim voces illas ad literam, pro entitate proinde aliqua phyſica, quam innuere videntur, accipi oportere contendas: cur non perinde peccatum originale dici debeat liquor aliquis phyſicus? cum per Trident.

Digitized by Google

Seſſ. 5. Can. 3. propagatione ſit *transfuſum* omnibus, transfundi autem ſit proprium liquoris. Hæ igitur & ſimiles Scripturæ aut Conciliorum locutiones recte ſumuntur in ſenſu morali, ac mere figurato.

Reſp. ad II. N. aſſertum: nec evincit quidquam adjecta ratio. Etenim 1*mo*, remiſſionis hujus carentia eſt ſolum Deo libera conſequenter ad peccatum a creatura libere admiſſum: nullus quippe foret remiſſioni locus, niſi jam aliunde adeſſet id, quod remitti poteſt. 2*do*, hanc ipſam remiſſionis carentiam Deus eligit tantum *negative:* quatenus ſcilicet non remittit peccatum. 3*tio*, electio hujus carentiæ a Deo non fit ex affectu ad moralem peccati perſeverantiam: verum ex intentione vindictæ legitimæ; non fit item contra obligationem in ullo jure fundatam: cum potius Deo competat jus non remittendi, imo & puniendi peccatum. Quo igitur nomine Deus dicendus erit peccati habitualis cauſa? præſertim cum ſemper paratus ſit illud remittere, modo peccator agat pœnitentiam, ad quam ipſam agendam illi a Deo quovis tempore conferuntur auxilia ſufficientia; ipſe proinde peccator pœnitentiæ dilatione eſt cauſa poſitiva carentiæ remiſſionis, atque adeo ipſius moralis perſeverantiæ peccati. Ex his certe capitibus debiti e. g. pecuniarii, etiam ut perſeverantis, cauſa non eſt creditor, illud liberaliter non condonans: verum debitor ipſe, qui libere nomina contraxit, contracta autem non diſſolvit.

Reſp. ad III. Peccatum ſemel commiſſum, etiam facta ejus remiſſione, ſemper omnino Deus odit ac abominatur: ſemper quippe peccatum in ſe eſt moraliter malum; at non æque odit ſimul hominem propter peccatum, quod jam remiſſum eſt: eo ipſo enim illi non amplius ineſt moraliter, non imputatur, nec propter illud denominatur peccator. Cum

ita-

Digitized by Google

itaque ad peccatum in ſenſu theologico habituale per modum conditionis neceſſario requiratur, ut Deus propter peccatum præteritum habeat in *actu ſecundo* jus ad odium vel diſplicentiam erga hominem: huic autem juri per peccati remiſſionem cedat, clarum fit, eo uſque tantum dari peccatum habituale, dum peccatum præteritum remittatur.

Quæres forte: num peccatum habituale adhuc exiſtat tum ſaltem, dum quoad culpam quidem remiſſum eſt, non item etiam quoad pœnam temporalem? Exiſtimo (ſi quidem de voce tricari non velis) dici poſſe adhuc exiſtere *in ſenſu reſtricto*; quia hoc caſu verum eſt, peccatum præteritum moraliter perſeverare in ordine ad jus ex parte Dei ad puniendum hominem propter peccatum prius admiſſum. Dici tamen nequit *abſolute* exiſtere; hoc namque ſenſu ex mente Theologorum tum exiſtit duntaxat, dum Deus retinet jus ad odium vel diſplicentiam hominis propter peccatum præteritum: ſicut enim in peccato actuali, ita & habituali reatus culpæ primas obtinet; quod ſi igitur juri huic Deus ceſſerit, atque ita reatus culpæ non amplius moraliter exiſtat, neque ipſum peccatum habituale.

Reſp. ad IV. quæſtionem hanc eſſe mere philoſophicam, reſolvendam ſcilicet ex ea Metaphyſicæ parte, qua de Relationibus agitur. Conſulto proinde controverſiæ huic nos non ingerimus: ac id quidem ſine ullo (ut opinor) notitiæ theologicæ ad argumentum præſens neceſſariæ detrimento, quodque hinc ſequitur, ſine ullo in Theologiam piaculo. Certe, quantum ad hujus tribunal attinet, ſatis eſt noſſe: quid (ſeu demum illud ſit formale conſtitutivum, ſeu conditio neceſſaria) requiratur ad id, ut detur peccatum habituale; unde ultro conficitur, quamdiu exiſtat. Ad id vero rurſum ſatis eſt cum ſupra laud. Auguſtino aſſeruiſſe: *manent peccata, niſi remittantur.*

Illud

Digitized by Google

Illud interim iſthic præteriri non debet: perperam aliquos peccati habitualis naturam reponere in quibusdam aliis, a peccato præterito & remiſſionis carentia diverſis. Certe reponi non poteſt cum Greg. Ariminenſi *in habitu vitioſo* ex peccato actuali relicto: præterquam quod enim habitus iſte ex uno peccati actu non relinquatur, ſublato etiam peccato habituali ſæpe remanet, ut fit in conſuetudinariis. Non item cum Magiſtro Sent. in qua neſcio *qualitate morbida*: nulla quippe eſt illius admittendæ neceſſitas, fundamentum nullum, nomen eſt ſine re; univerſim præterea id genus qualitates uti facile nominantur, ita ægre intelliguntur, poſſeſſione idcirco ſua ab Eruditis deturbatæ. Non etiam cum Thomiſtis *in ſola privatione ſanctificantis gratiæ* per actuale peccatum inducta: nam inprimis peccati venialis habitualitas in privatione illa reponi nequit; deinde etiam mortale habituale in hac providentia per legem extraordinariam remitti poteſt per meram condonationem extrinſecam, quin ſequatur infuſio gratiæ. Non cum Scotiſtis *in ſolo reatu ad pœnam*: quia, cum ſæpe remiſſo veniali ac etiam mortali quoad culpam, adhuc remaneat reatus ad pœnam temporalem, ſequeretur, vero ac abſoluto ſenſu dari peccatum habituale poſt culpam condonatam, ac etiam ex mortali habituali fieri veniale habituale. Damnata eſt inſuper Baji Propoſ. 56. quam pro hujus L. fronte recitavimus. Non denique cum quibusdam apud Haunoldum *in peccato præterito & retractationis carentia*: non enim illico deſinit eſſe peccatum habituale, tametſi fiat efficax peccati retractatio, ut patet in eo, qui extra Pœnit. Sacramentum ex metu gehennæ ſerio deteſtatur peccata, eaque ſe deinceps vitaturum proponit. Opinio hæc præterea contraria eſt doctrinæ Auguſtini, cujus verba ſupra N. 91. retulimus.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO III.
DE PECCATO ORIGINALI.

§. I.

An detur, & quid ſit Originale peccatum?

CUm peccatum Originale contrahatur ex perſonali, eo ſcilicet nominatim, quod Adam voluntate phyſice propria commiſit, prorſus congruum eſt, ut, poſt perſonale quoad ſummas ſuas ſpecies explanatum, peculiari jam Diſſertatione de peccato quoque Originali agamus. Univerſim porro hoc nomine (ut ejus acceptionem nemini controverſam paucis complectar) venit illud, in quo concipimur & naſcimur, ac propterea jam inde ab origine noſtra peccatores nominamur & ſumus. Argumentum Adæ poſteris ſane quam luctuoſum! ſcitu attamen plane neceſſarium: cum ex peccati originalis notitia (ut obſervat Auguſtin. Ep. 89. modo 157.) pendeat fides in Chriſtum Redemptorem, ipſaque adeo Chriſtiana religio. Unde mirum videri non debet, quod, dæmone ad ſubvertendum Chriſtianæ religionis fundamentum per ſuos emiſſarios totis viribus connitente, in re adeo certa progreſſu temporis evenerit, ut Sectarii quidam peccati originalis exiſtentiam negare omnino auderent: vel ſaltem in definienda ejus natura a ſenſu orthodoxo graviſſime aberrarent. Atque hæ per ſectarios excitatæ controverſiæ præcipue faciunt ad noſtrum hoc §. propoſitum; quia nihilominus ipſi DD. Catholici, in perveſtiganda culpæ originalis natura ultra Eccleſiæ definitionem progreſſi, in quibusdam ab invicem diſſident, de eorum

rum etiam opinionibus ferenda erit ſententia. At enim juverit ante omnia particulatim exponere de toto hoc argumento hæreticorum aberrationes, item fidei dogma, tum etiam (ſalvo illo) variantia DD. orthodoxorum ſenſa.

Sectariorum error de exiſtentia & natura peccati originalis.

94 I. HOc loco primum nominandi ſunt illi, qui proterve negarunt dari peccatum originale. Nec dubium eſt, primas in errore hoc tenere Pelagianos: ut qui illum cæteris & latius ſparſerint, & pertinacius propugnaverint. Ejus attamen origo (ut colligitur ex Mario Mercatore in Commonit.) referenda videtur ad Theodorum Mopſueſtiæ Epiſcopum: tum & Ruffinum quendam natione Syrum, qui ſub Anaſtaſio Pontifice Romam venit, ibique Pelagium ſua impietate imbuit. Neque deinde feriatus eſt Pelagius: hauſtum errorem in complures regiones ſub An. 405. diffudit, opera præſertim uſus Cœleſtii ſui diſcipuli, magiſtro impudentioris. De hoc Pelagianorum errore Auguſtinus L. de Hæreſ. hæreſi 88. *aſſerunt*, inquit, *parvulos ſine ullo peccati originalis vinculo naſci;* cum autem urgerentur a neceſſitate Baptiſmi, teſte eod. Auguſt. ajebant *eos baptizari propterea, ut regeneratione adoptati admittantur ad regnum Dei, de bono in melius translati, non iſta renovatione ab aliquo malo obligationis veteris abſoluti. Nam* (ut proſequitur S. Doctor) *etiamſi non baptizentur, promittunt eis extra regnum quidem Dei, ſed tamen æternam & beatam quamdam vitam.* Retractaverat hæc equidem Pelagius in Synodo Dioſpolitana, at non ex animo; petentibus quippe ſuis rationem facti, reſpondit: retractatione ſua id unum ſe voluiſſe, quod Adamus poſteris nocuerit exemplo, non propagatione ſui peccati. In errore igitur ſuo & deinceps perſtiterunt Pelagiani: Quam-

Digitized by Google

vis ſubinde (teſte Auguſtino) confeſſi ſint, Adamum peccando mortem incurriſſe, atque idcirco filios etiam genuiſſe mortales. Extinctis temporis progreſſu Pelagianis, peſtilens hoc eorum virus reſorbuerunt in Albania Armeni ſub An. 769. in Gallia Albigenſes An. 1178. in Germania Anabaptiſtæ 1540. aliqui item e Socinianis.

II. Altera hujus loci ſectariorum claſſis eorum eſt, qui, 95
admiſſa peccati originalis exiſtentia, in definienda ejus natura hallucinantur. Atque in hoc Lutheranis & Calvinianis communior error in eo eſt, quod originale peccatum reponant in *concupiſcentia*, peccati proinde fomite, ſeu (ut Melanchton explicat) in propenſione illa, *qua ad peccatum trahimur.* Vide Lutherum Aſſertion. Ar. 2. Melanchton, in locis poſterius editis Tit. de pecc. Orig. item Calvin. L. 2. Inſt. C. 1. §. 8. & Petrum Mart. in C. 5. ad Rom. In qua ſententia Bellarm L. 5. de ſtatu pec. C. 4. recte probat, culpam originalem admitti eſſe peccatum actuale, cum nobis actu inſit concupiſcentia. A Magiſtro ſuo Luthero diſcedit Mathias Illyricus, cum in L. Demonſtr. & L. de occaſ. vitandi error. docet, *peccatum originale eſſe proprie & vere ſubſtantiam: nimirum ipſam diaboli ſubſtantialem imaginem, in quam anima rationalis ſit per peccatum transformata ſubſtantialiter.* Addamus his Zvinglium, L. de Bapt. Tract. 3. in digreſſione de pecc. originali, volentem illud eſſe *morbum quendam, non tamen per ſe culpabilem;* de quo uberius ſe explicans in Declarat. ad Urban. Rhegium ita diſſerit. *Sic ergo diximus originalem contagionem morbum eſſe, non peccatum, quod peccatum cum culpa conjunctum eſt. - - Exemplum do: ſervum naſci miſera conditio eſt, non culpa ejus, qui naſcitur. - - Hoc ipſum volo, culpam originalem non vere, ſed metonymice a primi parentis admiſſo culpam vocari: eſſe autem nihil aliud, quam conditionem, miſeram quidem illam &c.*

De ejusdem peccati exiſtentia & natura fidei dogma, variæ item DD. orthodoxorum opiniones.

96 I. QUamvis inde ab Eccleſiæ primordio certa foret orthodoxis omnibus peccati originalis exiſtentia, non diffitebantur interim vel PP. ipſi, paulo obſcuriorem intellectu eſſe ejus naturam; hinc Auguſtin. L. de morib. Eccl. C. 22. *hoc peccato*, inquit, *antiquo nihil eſt ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum ſecretius.* Hæc jam nihilominus obſcuritas (quantum quidem ad fidei dogmatis notitiam attinet) omnino ſublata eſt per Synodum Tridentinam Seſſ. 5. in Decr. de pecc. Orig. ubi non modo peccati hujus exiſtentiam aperte definit: verum etiam ejus naturam, *ſacrarum ſcripturarum* (ut ibid. præfatur) *& SS. Patrum, ac probatiſſimorum Conciliorum teſtimonia & ipſius Eccleſiæ judicium & conſenſum ſecuta*, contra recens invectos errores dilucide explanat, quin &, lato in oppoſitum ſentientes anathemate, declarat. Præcipua hujus decreti capita ipſis Synodi verbis pro fronte L. recitavimus; nunc monuiſſe ſuffecerit: attenta hac declaratione fide certum eſſe, *Adamum prævaricatione ſua juſtitiam non ſibi ſoli, ſed & nobis perdidiſſe, ac in genus humanum transfudiſſe peccatum, quod mors eſt animæ:* culpam proinde originalem eſſe *Adæ peccatum propagatione transfuſum omnibus ita, ut inſit unicuique proprium.* Atque hæc orthodoxorum nemo in controverſiam vocat. Igitur

97 II. Quod reliquum apud DD. diſceptationem ſubit, eo pertinet, ut hanc ipſam originalis culpæ naturam penitius inveſtigent, ac etiam (quoad licet) ejus formalia conſtitutiva deſignent. Qua in re quam variæ ſint opiniones, vel ex his facile conjicias. Henrico Gandav. Quodl. 2. qu. 11. peccatum originale eſt qualitas morbida, quæ ex carne per peccatum infecta derivatur in animam; Ambroſio Cathar. in opuſc. de

pec.

Digitized by Google

pec. orig. eſt ipſum Adæ peccatum, at extrinſece tantum nobis imputatum; Durando in 2. diſt. 30. qu. 3. non aliud, quam reatus pœnæ; Jueninio Tom. 7. pag. 681. complexum ex concupiſcentia tanquam parte materiali, & concupiſcentiæ reatu tanquam parte formali. Prætereo alias; eam vero, quæ cæteris eſt veriſimilior & communius recepta, infra Aſſert. III. ex propoſito ſtatuam. At enim prius ſectariorum errores ſunt refellendi: id quod primæ Aſſertiones duæ præſtabunt.

ASSERTIO I.

Datur peccatum originale, hoc eſt, verum ac proprie dictum peccatum, quod (ſecluſo ſpeciali privilegio) in conceptione contrahimus, & in quo naſcimur.

PRobatur I. ex S. Literis, ac primum quidem ex illo Davidis in Pſ. 50. *ecce ego in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea;* hæc vero iniquitas non erat actualis, ſeu David ipſius: neque enim ejus fuit capax in conceptione; ſeu parentum: nam ex legitimo matrimonio natus eſt; ergo erat originalis, quæ in hebræo exprimitur ſingulari, *in iniquitate, in peccato:* hinc Auguſtin. Enarrat. in Pſ. *quid eſt, quod ſe dicit in iniquitate conceptum? niſi quia trahitur ex Adam iniquitas.* Hanc ipſam autem Vulgata plurali expreſſerit ad ſignificandum, quod in peccato Adæ fuerit multiplex iniquitas, ſuperbiæ ſcilicet, inobedientiæ, gulæ, & aliorum. 98

Deinde Job. 14. *quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, nonne tu qui ſolus es?* verſio autem LXX. ibid. *nemo mundus a ſorde, neque infans, cujus vita eſt unius diei ſuper terram &c.* Profecto hic non igitur (ut volunt adverſarii) de immunditia corporea, cum hæc ab homine mun-

dari poſſit; igitur de peccati immunditia, quam ſolus Deus mundare poteſt: atqui hæc non eſt peccatum actuale, cujus infans eſt incapax; ergo peccatum originale ab Adamo contractum, uti locum hunc interpretantur PP. cum Clemente Alex. L. 3. Strom. Origine Hom. 12. in Levit. & ſupra laud. Auguſtino.

Denique ad Rom. 5. *ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Quid hoc clarius? perperam quippe a Pelagianis dictum: Adæ peccatum in mundum intraſſe *non propagatione*, ſed *imitatione* tantum. Alienum certe iſtud eſt a mente Apoſtoli, tum quia per illum eodem modo peccatum intravit, quo mors: hæc vero propagine, non imitatione; tum quod peccatum illud dicat haberi in omnibus morti obnoxiis, proinde etiam in infantibus: hi vero capaces non ſunt peccati per imitationem.

99 Probatur II. ex Conciliis, præſertim contra Pelagianos celebratis, quæ Auguſtin. L. 3. contra Julian. C. 1. commemorans, *ubique*, inquit, *diffuſus Chriſti exercitus debellavit Cœleſtium* &c. Horum præcipua ſunt Carthaginenſe & Milevitanum II. ab Innocentio I. approbata, de quibus rurſum Auguſtin. Serm. 2. de verb. Apoſt. *jam de hac cauſa*, inquit, *duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam, inde etiam reſcripta venerunt, cauſa finita eſt: utinam aliquando finiatur error!* His adde Africanum ſub Zozimo, Conſtantinopolitanum ſub Cœleſtino I. Epheſinum I. aliaque apud Annatum in Appar. L. 5. Art. 6. in quibus Pelagiani (præter alia) dari peccatum originale negantes damnati ſunt. In eam rem quid & Concil. Tridentinum ſua definitione præſtiterit, jam ſupra N. 96. commemoravimus.

Pro-

Probatur III. ex Patribus, quorum complures refert Auguſtin. L. 1. contra Julian. a C. 3. ad 8. Aliquos eorum audire juverit. Juſtinus M. in Dial. cum Triph. ait Chriſtum in Jordane baptizatum non propter ſe, ſed propter genus humanum, *quod per Adam in mortem & fraudem, ſeductionemque ſerpentis conciderat.* Irenæus L. 3. contra hæreſ. C. 20. docet Chriſtum *nobis ſalutem* præſtitiſſe, *ut quod perdideramus in Adam, - - hoc in Chriſto reciperemus.* Cyprianus L. 3. Epiſt. ad Fidum: *infans recens natus contagia mortis antiquæ prima nativitate contraxit.* Ambroſius in Pſ. 48. *Adam dente ſerpentis vulneratus obnoxiam hæreditatem ſucceſſionis humanæ ſuo vulnere dereliquit, ut omnes illo vulnere claudicemus.* His ſimilia habent alii; unde Auguſtinus L. 3. de Pecc. mer. C. 6. fidenter aſſerit, univerſalem Eccleſiæ Traditionem eſſe de peccato Adæ in poſteros propagine transmiſſo: *Non aliud*, inquit, *de peccato originali, ex quo Chriſti Eccleſia conſtituta eſt, divinarum Scripturarum Tractatores ſcripſerunt, non aliud a Majoribus acceperunt, non aliud poſteris tradiderunt.* 100

ASSERTIO II.

Peccatum originale non eſt ipſa concupiſcentia: nec ſubſtantia mala, ſeu dæmonis imago ſubſtantialis: non denique morbus, qui non ſit per ſe culpabilis.

Pars I. contra Proteſtantes ex pluribus capitibus certa eſt. 101
1*mo*, quæ enim hoc peccatum ſit concupiſcentia? Non *actualis*: nam in parvulis datur peccatum originale, non tamen actualis concupiſcentia. Non etiam *habitualis*: hæc enim citra conſenſum non reddit hominem dignum Dei odio & damnatione, quem effectum peccato originali ne Adverſarii quidem abjudicant. 2*do*, per Baptiſmum ſuffertur omne peccatum, ut probavimus L. II. de Bapt. Diſſert. II. §. I. & conſtat

ex

ex illis ad Rom. 8. *nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto JESU;* atqui per Baptiſmum non tollitur concupiſcentia, quod & experientia docet, & de ſe teſtatus eſt Apoſtolus ad Rom. 7. *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis* &c. ergo peccatum originale non eſt concupiſcentia. Unde merito Trident. Seſſ. 5. in Decr. de pecc. orig. Can. 5. definit: per Baptiſmum *tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet;* neque manentem *in baptizatis concupiſcentiam* -- eſſe *vere & proprie peccatum.*

102 Pars II. contra Illyricum evincitur vel ex damnato Manichæorum errore, cui hic affinis eſt: omnis enim ſubſtantia eſt a Deo, per quem *omnia facta ſunt*, Joan. 1. cum igitur nullum peccatum ſit a Deo, peccatum originale non eſt ſenſu ullo ſubſtantia. Adde: ex definitione Eccleſiæ fundata in Apoſtoli verbis per baptiſmum tollitur totum id, quod peccati rationem habet; atqui non tollitur ulla animæ rationalis ſubſtantia: quo enim id fundamento aſſeras? reclamat certe tota retro antiquitas, & communis Eccleſiæ ſenſus; ergo &c.

103 Pars III. contra Zvinglium vix probatione eget: quando S. Literarum & Traditionis clariſſimo docemur teſtimonio, peccatum originale eſſe vero ac proprio ſenſu peccatum damnationi obnoxium; quo igitur jure non ſit vera culpa, ſed miſera tantum conditio? quod inſaniæ hujus vel leve fundamentum? Sane parvuli per Baptiſmum liberantur a peccato originali: at non perinde a miſera hominis conditione; hanc igitur ab illo diverſam eſſe fateamur, oportet.

Digitized by Google

ASSERTIO III.

Peccatum originale eſt ipſum peccatum ab Adamo voluntate phyſice propria, eademque moraliter noſtra commiſſum, nobisque a primo animationis momento, tanquam unicuique proprium, moraliter immanens, donec remittatur.

IN hoc peccati originalis naturam eſſe reponendam ſuadet A- 104
poſtoli & Tridentini de eodem peccato doctrina. Apoſtolus nimirum ad Rom. 5. docet, ita per unum hominem (Adam) peccatum intraſſe in mundum, ut in illo omnes peccaverimus, & per illius inobedientiam peccatores conſtitueremur: & Trident. ſupra cit. Seſſ. Can. 3: Adæ peccatum, quod origine unum eſt, propagatione transfuſum in omnes, ineſſe unicuique proprium; quid vero iſtud eſt aliud, quam originale peccatum in Aſſertione deſcriptum? Certe ſpectatis Apoſtoli & Tridentini verbis non minus conſtat, peccatum originale ab Adamo transfundi in poſteros, quam ipſummet Adæ peccatum transfundi ita, ut cuique ſit proprium; quomodo autem cuique proprium? niſi idem voluntate moraliter noſtra commiſſum: cum univerſim peccatum reſpectu illius, cui proprium eſt, oporteat eſſe voluntarium. Additur autem in Aſſert. conſulto: *nobis moraliter immanens, donec remittatur.* Ut enim nunc originalis culpa in nobis reperitur, rationem habet ſimul peccati habitualis; igitur moraliter duntaxat in nobis perſeverat, & quidem eo uſque tantum, donec remittatur. Hæc conformiter ad ea, quæ priori Diſſert. §. VI. de pecc. habit. dicta ſunt. Cæterum, quæ ad uberius pernoſcendam culpæ originalis nunc expoſitæ naturam pertinent, magis pateſcent ex hujus Diſſert. §. II.

105 Ultro autem ex his conjicias, reliquas DD. opiniones ſupra N. 97. relatas vel eo nomine rejici oportere, quod per ſententiam, quam propugnamus, peccati originalis natura ad mentem Apoſtoli & Tridentini planiſſime explicetur: non vero æque per illas. Ac primum quidem non *per qualitatem morbidam*, ut quæ & citra neceſſitatem, & abſque fundamento ullo aſſeritur, ut jam Diſſ. II. §. VI. dictum eſt. Non item *per Adæ peccatum nobis extrinſece duntaxat imputatum*: nam juxta Trident. peccatum originale omnibus ineſt, & cuique eſt proprium; id quod tamen in hac ſententia vero ſenſu dici nequit. Non deinde *per ſolum pœnæ reatum*: idque ex iisdem plane rationibus, quibus paulo ante cit. §. probavimus, peccati habitualis naturam in ſolo hoc reatu reponi non poſſe. Non denique *per complexum ex concupiſcentia & concupiſcentiæ reatu*: quia per Trident. concupiſcentia manet in baptizatis; atqui ex eod. Concilio per Baptiſmum tollitur omne, quod habet rationem peccati; ergo concupiſcentia nullatenus pertinet ad naturam peccati ullius, proinde nec originalis.

Reſpondetur Pelagio, ejusque ſequacibus

106 OBjic. I. ex S. Literis. Juxta illud Ezech. 18. *filius non portabit iniquitatem patris*; certe autem patris Adæ iniquitatem portaremus filii, ſi daretur peccatum originale. Deinde, *ubi non eſt lex, nec prævaricatio*, ad Rom. 4. quomodo vero iſtud? ſi culpa originalis exiſtat jam in infante, qui nondum eſt capax legis.

II. ex Patribus. Clemens Alex. L. 3. Strom. contra Baſilidian. *dicant ergo nobis*, inquit, *ubi fornicatus eſt infans natus? vel quando ſub Adæ cecidit execrationem, qui nihil eſt operatus?* non agnovit igitur peccatum originale. Idem (præter alios) di-

Digitized by Google

dicendum de Chryſoſtomo, ut ex pluribus ejus locis colligitur, ac præſertim Hom. 10. in Ep. ad Rom. ubi hæc habet. *Videtur non parvam quæſtionem habere, quod dictum eſt*, multos ob unius inobedientiam conſtitutos peccatores. *Illo enim peccante ac mortali effecto, & qui ex eo orti ſunt, eos tales eſſe, nihil abſurdum eſt. At ex illius inobedientia alterum peccatorem extitiſſe, quam congruentiam habet? -- Quid igitur hoc loco verbum* peccatores *ſignificat? mihi videtur tantumdem ſignificare, quantum illud* ſupplicio obnoxii ac mortis rei, *quod Adam mortuo omnes ſunt mortales effecti.*

III. ex ratione. *Non peccat iſte* (ita arguebat Julianus) *qui naſcitur: non ille, qui genuit: non ille, qui condidit*, ſcilicet Deus: *per quas igitur rimas inter tot præſidia peccatum fingis ingreſſum?* Si id factum Adamo peccante: ergo culpa originalis non eſt nobis voluntaria, præſertim infantibus. Si peccatum Adæ in nos transfundatur per generationem: Deus igitur eſt cauſa peccati originalis, ſicut idem eſt cauſa generationis; uſus adhæc matrimonii erit illicitus, ut pote peccati cauſa. Denique: peccatum, quod originale dicitur, remiſſum eſt Adamo, antequam genuerit filios; ergo illud in poſteros transfundere non potuit.

Reſp. ad I. Ezechielem loqui de peccato patri duntaxat proprio, ejusque ſolius voluntate commiſſo; tale autem non eſt originale: cum iſtud ſit voluntate etiam moraliter noſtra ab Adamo commiſſum, ac propterea nobis etiam proprium. Unde ſimul patet ad objecti Apoſtoli verba reſponſum: quamvis enim infans non ſit capax legis, quam voluntate phyſice propria violet; eſt tamen capax ejus, quam violare poſſit, ac re ipſa violavit primi hominis voluntate, quæ illi moraliter fuit propria.

Digitized by Google

Reſp. ad II. Clementem iſthic ſolum negare, infantes actuali peccato fuiſſe inquinatos antequam eorum animæ unirentur corporibus. Agit nimirum eo loco S. Pater contra Baſilidianos, qui animas ante corpora creari, jamque in hoc ſtatu peccare, ac in pœnam deinde corporibus uniri docebant; hinc eos cit. verbis urget: *dicant ergo nobis* &c. Agnoviſſe porro Clementem originale peccatum, patet tum inde, quod dogma hoc in Eccleſia Alexandrina conſtanter ſit retentum: tum quod L. 1. Pœdag. C. 6. Baptiſmum dicat eſſe *lavacrum*, per quod peccata *abſtergimus* &c. agnovit igitur infantes peccato aliquo eſſe inquinatos, cum & illis Baptiſmum eſſe neceſſarium profiteretur.

Quid vero de Chryſoſtomo? hunc omnino potiſſimum Pelagiani oggerebant; at perperam: neque enim in laud. Hom. negat, quod per unius peccatum poſſint alii conſtitui peccatores *originaliter*. Cur ita vero? quia 1*mo* ibid. ait, per unius inobedientiam multos conſtitui *ſupplicio obnoxios & mortis reos*; quomodo autem iſtud ſine culpa? quæ utique in parvulis alia eſſe non poteſt, quam originalis. Dein 2*do* ibid. dicit univerſim *nos per Baptiſma mortuos & ſepultos peccato*: cui vero parvulos baptizatos alteri, niſi originali? Igitur, quod in cit. Hom. vult, id unum eſt: per Adæ inobedientiam perſonalem non conſtitui nos actu & perſonaliter peccatores. In eundem ſenſum Chryſoſtomi verba Hom. ad Neoph. explicans Auguſtinus ipſe L. 1. contra Iulian. C. 6. *peccata dixit parvulos non habere*, inquit, *ſed propria, unde illos innocentes nuncupamus ſecundum id, quod ait Apoſt. nondum natos nihil egiſſe boni, ſive mali: non ſecundum id quod ait, per unius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi.* Eodem dein Cap. pluribus vindicans Chryſoſtomum, ita in Julianum invehitur: *Itane eſt? verba S. Joannis Ep. audes tanquam e contrario tot*

ſen-

Digitized by Google

ſententiis ejus collegarum opponere, eumque ab illorum ſocietate ſejungere? -- Abſit, abſit hoc malum, -- ut Joannes de Baptiſmate parvulorum, eorumque a paterno chirographo liberatione per Chriſtum tot ac tantis Coepiſcopis ſuis -- reſiſtat. Hoc credidit, didicit, hoc & docuit Joannes.

Reſp. ad III. iisdem verbis, quibus Juliano repoſuit Auguſtin. L. 3. contra eund. C. 24. *Quid quæris* (ajebat S. Pater) *latentem rimam, cum habeas apertiſſimam januam? per unum hominem ait Apoſtolus, per inobedientiam unius hominis ait Apoſtolus. Quid quæris apertius?* quaſi diceret: non peccat qui naſcitur, cum naſcitur; ſed naſcendo contrahit peccatum, quod in Adamo commiſit. At qua voluntate? non quidem phyſice, moraliter attamen propria; hinc peccatum illi voluntarium. Sed nec idcirco ſequitur Deum eſſe cauſam hujus peccati, aut matrimonii uſum illicitum: nam nec Deus, nec conjuges generationem intendunt ex fine peccati; ad illam igitur habet ſe mere *per accidens*, præſertim cum in ſtatu innocentiæ uſus matrimonii fuiſſet, nec tamen peccatum originale. De ultimo demum ita habe: peccatum illud remiſſum eſſe quidem Adamo, ut erat præciſe perſonale, ac illi proprium; at non etiam quatenus ſimul erat peccatum moraliter poſterorum.

Reſpondetur noſtri ævi Novatoribus.

OPpon. I. pro concupiſcentia. Ineſt nimirum illa homini jam inde a primordio: legi *Non concupiſces* eſt difformis: hinc & ad Rom. 7. vocatur *peccatum;* quid ni igitur ſit ipſum originale? Eadem fuit ſententia Auguſtini, cum L. 1. de Nupt. C. 23. diceret: *hæc concupiſcentia, quæ ſolo Sacramento regenerationis expiatur, peccati vinculum trajicit in poſteros.* Ita Lutherani & Calviani. 107

II. pro ſubſtantia mala. Apoſtolo ad Rom. 6. peccatum originale eſt *vetus homo*, *corpus peccati;* hæc autem ſunt ſubſtantia, ac vel ideo mala, quia peccatum; ergo peccatum originale eſt ſubſtantia mala: quæ autem illa? niſi ſubſtantialis imago diaboli juxta illud Joan. 8. *vos ex patre diabolo eſtis.* Ita Illyricus.

III. pro morbo non culpabili. Ad Rom. 5. originale peccatum eſt id, *quod per unum hominem in hunc mundum intravit;* atqui hoc eſt morbus, ſeu miſera hominum conditio, qua ad peccandum trahimur, mortique ſumus obnoxii: quod ipſum ibid. innuit Apoſtolus, cum ait, *per peccatum mors, in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt;* nihil igitur vetat dicere peccatum originale eſſe miſeram hominis conditionem, quæ tamen non eſt proprie peccatum, cum ex ſe non ſit culpabilis. Ita Zvingliani.

Reſp. ad I. Concupiſcentia ab Apoſtolo non dicitur proprie, ſed tantum improprie peccatum, *quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat*, ut Trident. declarat; hinc & memoratæ legi non opponitur ſecundum ſe, verum quoad effectum duntaxat, ſi ei ſcilicet libere conſentiamus: ſecus *fruſtra dictum eſt* (quod obſervat Auguſt. L. 5. contra Julian. C. 3.) *poſt concupiſcentias tuas non eas, ſi jam quiſque reus eſt, quod - - ad mala trahentes ſentit eas.* Idem porro S. Pater cum ait Baptiſmo expiari concupiſcentiam, non eſt intelligendus de concupiſcentia ratione ſui: ſed ratione culpæ, ſeu reatus, ex quo procedit; idcirco L. 1. contra Julian. C. 8. docet concupiſcentiam per Baptiſmum *tranſire reatu, & manere actu.* Hoc eodem ſenſu L. 1. de Nupt. C. 32. dicit concupiſcentiam ita eſſe in nobis, *ut in peccatum imputetur;* continuo quippe addit: *id eſt, ut etiam reatus ejus cum illa ſit*, nempe ante Baptiſmum.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. ad II. cit. C. Apoſtolus non agit de ſolo originali, ſed univerſim de peccatis; hæc vero (ut contextus docet) ſolum figurate vocat *veterem hominem*, intelligens ſcilicet peccata, ab eo prius ante regenerationem admiſſa: per *corpus peccati* autem totam commiſſorum peccatorum collectionem. Nec favent Illyrico verba Chriſti apud Joan. C. 8. niſi ſubſtantialem diaboli imaginem velit eſſe etiam peccata actualia, de quibus illic agitur. Sed delirio huic refellendo non eſt, cur immoremur: textus ipſe prodit, ex Chriſti ſententia peccatores ex patre diabolo eſſe non per naturam, ſed per imitationem; hinc ibid. adjicitur, *& deſideria patris veſtri vultis facere.*

Reſp. ad III. D. Maj. id eſt originale, quod per Adam in mundum intravit *immediate*, C. quod per Adam intravit ſolum *mediate*, N. Maj. conformiter ad id & Min. D. per Adam *mediate* intravit miſera illa conditio C. intravit *immediate* N. una cum Illatione. Fundantur hæc in eo ipſo Apoſtoli textu, qui objicitur: aperte enim illic ait per unum hominem *peccatum* intraſſe, & per peccatum (mediante proinde illo) *mors*, quæ in omnes pertranſiit, atque adeo etiam morbus ille & miſera conditio. Neque dici poteſt, hoc loco *peccatum* improprie ſumi: nam id nullo fundamento aſſeritur; imo, cum ibid. V. 18. de hoc ipſo peccato dicatur, *unius delictum in omnes homines in condemnationem*, clarum fit proprio ſenſu accipi peccatum: quomodo enim peccatum in condemnationem, ſi culpa vacet?

Reſpondetur DD. orthodoxis.

EX orthodoxis illi, qui originalis culpæ naturam ſenſu ab Aſſert. III. diverſo explicant, his fere momentis pugnant. 108

I. Univerſim peccatum recipitur in anima; cum igitur corpus duntaxat noſtrum per generationem ab Adamo ſuam ducat ori-

originem, non item anima, quæ unius Dei creantis immediatum opus eſt, qui fieri poteſt, ut anima noſtra nihilominus peccato Adæ inquinetur? Ac ſi id tamen fiat, ſola imputatione fieri neceſſe eſt.

II. Per Apoſtolum ad Rom. 5. V. 19. *ſicut per inobedientiam unius hominis* (Adæ) *peccatores conſtituti* ſumus, *ita & per unius* (Chriſti) *obeditionem juſti;* atqui per Chriſti obeditionem, ſeu *juſtitiam* (ut priore V. 18. dicitur) non reddimur ita juſti, ut juſtitia Chriſti ſit re ipſa ac *formaliter* noſtra; ergo nec per inobedientiam Adæ reddimur ita peccatores, ut e us inobedientiæ peccatum ſit re ipſa ac *formaliter* noſtrum. Quod ſi autem iſtud: peccatum originale nequit dici ipſum Adæ peccatum, ut nobis etiam proprium & immanens. Præterea,

III. Si peccatum originale eſt ipſum Adæ peccatum, ut nobis proprium & voluntate etiam moraliter noſtra commiſſum, quid ni originale peccatum ſit noſtrum peccatum perſonale actuale? cum igitur hujus parvuli ſint incapaces, peccati originalis natura potius erit reponenda in privatione juſtitiæ originalis per peccatum Adæ inducta, ut quæ & in parvulis reperitur. Nec dubium eſt, plurium Patrum cum S. Anſelmo & D. Thoma hanc fuiſſe ſententiam.

Reſp. ad I. Modus hic, quo Adæ peccato inquinamur, ex propoſito ſequ. §. pluribus declarabitur. Nunc notaſſe ſatis fuerit: quamvis anima creetur a ſolo Deo, non tamen niſi ad præviam corporis humani generationem; cum igitur hac mediante fiamus Adæ poſteri, horum autem voluntas fuerit moraliter eadem cum Adæ voluntate, peccante illo utique & nos peccavimus: quodque hinc ſequitur, peccato Adæ ſimul nobis proprio animam noſtram inquinari oportuit. Ita vero eam inqui-

inquinari, non eſt per meram imputationem extrinſecam inquinari, ut quisque facile intelligit.

Reſp. ad II. textum hunc Apoſtoli diſtinctione explicandum eſſe: ita ſcilicet, ut comparatio eo loco facta non ſit omnimoda C. ut omnimoda ſit N. admiſſa dein Min. negatur Illatio. Ajo itaque Apoſtolum iſthic non inſtituere comparationem omnimodam, verum quoad aliqua duntaxat, ita ut ſenſus ſit: ſicut inobedientia Adæ eſt cauſa, quod multi peccatores ſint effecti, ſic & obeditio Chriſti aliqua ratione eſt cauſa, cur multi efficiantur juſti; & Adam igitur peccatorum, & Chriſtus juſtorum fuit cauſa, at ratione non eadem, ſed diverſa. Unde vero hæc diverſitas? quia nimirum voluntas noſtra fuit moraliter eadem cum voluntate Adami; non item etiam cum Chriſti voluntate: hinc ſua merita Chriſtus nobis applicari voluit non aliter, quam per Sacramenta, aut bona opera ab adultis facta voluntate phyſice propria. Igitur merente Chriſto, non hoc ipſo nos quoque meriti ſumus: vel ideo autem, quod Adam peccaverit, & nos peccavimus ita, ut ejus peccatum nobis quoque foret proprium, ac vel ideo moraliter immanens.

Reſp. ad III. N. aſſertum: quia perſonalis actualis peccati nomine venit illud, quod voluntate phyſice propria admittitur; atqui peccatum, quod originale dicimus, ſolus Adam ita admiſit; igitur reſpectu illius tantum fuit perſonale actuale. Atque hinc patet etiam parvulos eſſe capaces originalis culpæ, prout ea a nobis exponitur, ut quæ univerſim nobis non phyſice, ſed moraliter tantum ineſt; ut adeo iſthic neceſſum non ſit ad juſtitiæ habitualis privationem recurrere: quæ ipſa quidem, cum nihil ſit, non niſi moraliter nobis ineſſe poteſt. Ad Patres, qui nobis objiciuntur, quod attinet: probabilius

eſt, eos per juſtitiæ originalis privationem non peccati originalis naturam, ſed ejus duntaxat effectum præcipuum deſignaſſe: hinc ipſe D. Thom. 1. 2. qu. 85. Ar. 5. docet, quod *ſubtractio originalis juſtitiæ habet rationem pœnæ.* Ut ut ſit: in hac ſententia a communiore ſaltem Patrum ſenſu non diſcedimus, cum ſequamur Tridentinum, quod ipſum in Decr. de pecc. orig. Patrum teſtimonia & conſenſum ſe ſequi profitetur. Neque tamen negamus, ad peccatum originale, prout idem in nobis habitualiter perſeverat, requiri privationem gratiæ: nam ita perſeverat, donec remittatur; remittitur autem primum per infuſionem gratiæ; perſeverat igitur, quoad uſque datur gratiæ privatio. Hæc conformiter ad ea, quæ de peccato habituali alias.

Corollarium

De Zozymo P. approbante libellum, quo Cæleſtius negabat dari peccatum originale.

OPeræ pretium fuerit hoc loco Zozymi factum ſtrictim ſaltem expendere, ne quis exiſtimet, culpam originalem negantium errori Pontificiam ſuffragari auctoritatem. Ita porro habet

Facti ſeries.

109 PElagius & Cœleſtius, præter alia, peccatum originale dari negantes a Carthaginenſi & Milevitano Conciliis damnati ſunt, ipſo Rom. Pontifice Innocentio I. ſubſcribente his verbis. *Pelagium, Cæleſtiumque inventores vocum novarum - - Eccleſiaſtica communione privari Apoſtolici vigoris auctoritate cenſemus. Hæc igitur maneat fixa ſententia: abſint atriis Domini, careant cuſtodia Paſtorali, ne duarum ovium dira contagia ſerpant per vulgus incautum.* At enim ſententiæ huic non aquievere verſuti homines. Pelagius quidem ad Innocentium I.

mittit

Digitized by Google

mittit fidei ſuæ profeſſionem ſubdole conceptam, adjectis etiam literis ſubmiſſione ſimulata plenis: quæ tamen non ad Innocentium, ut qui interea obiit, ſed ad ejus ſucceſſorem Zozymum perlatæ ſunt. Cœleſtius vero ſub Innocentio profugus, intellecto ejus obitu Romam ſe confert ad Zozymum, porrigit ſuæ profeſſionis libellum ita concinnatum, ut a Zozymo catholicus pronuntiaretur: quod ipſum Pelagii quoque libellus ſuffragium abſtulit. Quia autem ad præſentem controverſiam potiſſimum facit Cœleſtii libellus, juverit referre ejus verba ab Auguſtino L. de pecc. orig. C. 6. deſcripta. *In remiſſionem peccatorum*, ajebat ille, *baptizandos infantes non idcirco dicimus, ut peccatum ex traduce firmare videamur, quod longe a Catholico ſenſu alienum eſt; quia peccatum non cum homine naſcitur, quod exercetur ab homine: quia non naturæ delictum, ſed voluntatis eſſe demonſtratur &c.* En! aperte iſthic negatur originale peccatum; nihilominus (ut ſcribit Auguſtin. L. 2. ad Bonifac. C. 3.) a Zozymo Cœleſtii *libellus catholicus dictus eſt;* ejus igitur errori Pontifex aſſenſit. Verum ne quid temere! audiendæ ſunt prius Zozymi vindiciæ, tum ferenda ſententia.

Vindicatur ab errore Zozymus.

IN errorem Cœleſtii peccatum originale negantis conſenſiſſe Zozymum, grandis calumnia eſt! quæ quam multiplici nomine depelli poſſit, videre eſt apud erud. de Societ. noſtra Theologum Joan. Gisbertum in Diſſert. theol. de Zozymo Pont. in cauſa Pelagii & Cœleſtii. Nobis duo momenta ſufficiant.

Primum ducitur ex ipſa ſerie Zozymi geſtorum in hoc negotio. Cœleſtius nempe libellum his concluſit: *Quæ de Pro-* 110

phetarum & Apoſtolorum fonte ſuſcepi , veſtri Apoſtolatus offerimus probanda judicio ; ut ſi forte , ut hominibus , quiſpiam ignorantiæ error obrepſerit , veſtra ſententia corrigatur. In eumdem ſenſum Pelagius quoque: *Hæc eſt fides , - - in qua , ſi minus perite & parum caute aliquid forte poſitum eſt , emendari cupimus a te , qui Petri & fidem & ſedem tenes &c.* Uterque igitur in libello ſuo ſe ac doctrinam ſuam (tametſi ſimulate) ſubjecit Eccleſiæ judicio. Acceſſit epiſtola Praylii Ep. Hieroſol. *qui* (ut conſtat ex Zozymi Epiſt. 4. ad Affricanos) *cauſæ Pelagii enixius adſtipulator intervenit.* Sed nec aderant (quamvis citati) Eros & Lazarus Pelagii accuſatores : his ipſis præterea Patroclus Ep. Arel. apud Zozymum infamiam conflaverat. Innocentius ipſe demum ita ſuam in Pelagium & Cœleſtium temperaverat ſententiam, ut juberet, *ſi unquam ſani, depoſito pravi dogmatis errore, reſipuiſſent , - - eis medicina ſolita , id eſt, receptaculum ſuum ab Eccleſia non negaretur ;* Cœleſtius autem nominatim interpellante Zozymo (ut ſcribit Auguſtin. L. 2. de pec. orig. C. 7.) *beati Papæ Innocentii literis non eſt auſus obſiſtere : imo ſe omnia , quæ Sedes illa damnaret , damnaturum eſſe promiſit.*

Quid mirum igitur, quod Pontifex paulo propenſiorem ſe exhibuerit Pelagio ac Cœleſtio ? quod libellos eorum dixerit *catholicos*? uterque certe complura continebat catholica dogmata: uterque quoad totam doctrinam Auctorum ſubjectionem in Eccleſiam profitebatur, ac vel ideo eorum animum catholicum præ ſe ferebat. Cæterum prius , quam ſumma auctoritate cauſam hanc definiret Pontifex , ſcripſit ad Epp. Affricanos ; de re tota ab illis penitius edoceri petiit; nunquam Cœleſtium interea aut Pelagium communioni Eccleſiæ reſtituit ; quin deinde, per literas Affricanorum comperta utriuſque impoſtura, ad judicium evocavit Cœleſtium , eumque fuga elapſum deni-

que

Digitized by Google

que ſolemni decreto condemnavit una cum Pelagio. Conſtant hæc omnia partim ex Zozymi epiſtolis ad Affricanos datis, partim ex Auguſtino L. 2. ad Bonif. & L. de pecc. orig. item Mario infra laudando. His jam vero in unum collectis omnibus, quid eſt? quo poſſit jure argui Zozymus ipſum Cœleſtii errorem approbaſſe, ac in eum conſenſiſſe.

Alterum momentum petitur ab auctoritate S. Auguſtini, ut qui eo tempore, quo hæc geſta ſunt, vixerit: nec dubium eſt, quin in cauſam univerſam vigili prorſus cura inquiſierit, cum ex propoſito errorem Pelagianum impugnaret. Hæc autem ſunt, quæ ex Auguſtino referenda cenſui. III

Tot & tantis (inquit S. Doctor L. 2. ad Bonif. contra duas Epiſt. Pelagian. C. 3.) *inter Apoſtolicam Sedem & alios Epiſcopos currentibus & recurrentibus ſcriptis Eccleſiaſticis, etiam geſtis de hac cauſa apud illam Sedem Cœleſtio præſente & reſpondente confectis, quænam tandem epiſtola ven. mem. Papæ Zozymi, quæ interlocutio reperitur, ubi præceperit credi oportere, ſine ullo vitio peccati originalis hominem naſci? Nuſpiam prorſus hoc dixit; -- ſed cum Cœleſtius hoc in ſuo libello poſuiſſet inter illa duntaxat, de quibus ſe adhuc dubitare, & inſtrui velle confeſſus eſſet, in homine acerrimi ingenii, qui, ſi corrigeretur, pluribus profuiſſet, voluntas emendationis, non falſitas dogmatis approbata eſt. Et propterea libellus ejus catholicus dictus eſt, quia & hoc catholicæ mentis eſt, ſi qua forte aliter ſapit, quam veritas exigit, non ea certiſſime definire, ſed detecta ac demonſtrata reſpuere. -- Hoc in illo factum putabatur, quando ſe literis Innocentii, quibus de hac re dubitatio tota ſublata eſt, conſentire reſpondit.* Et infra. *Dictum erat, eum libellum eſſe catholicum propter illud, quod ſe Innocentii literis conſentire ipſe reſponderet.* Iterum ibid. *Nunc vero, cum primitus Innocentii*

literæ -- hunc errorem -- damnaverint, Succeſſor quoque ejus S. P. Zozymus hoc tenendum eſſe, quod iſti de parvulis ſentiunt, nunquam dixerit, nunquam ſcripſerit, inſuper etiam Cœleſtium ſe purgare molientem ad conſentiendum ſupra dictis Sedis Apoſt. literis crebra interlocutione conſtrinxerit: profecto quidquid interea lenius actum eſt cum Cœleſtio, ſervata antiquiſſima fidei veritate, correctionis fuit clementiſſima ſuaſio, non approbatio pravitatis. Et quod ab eodem Sacerdote poſtea Cœleſtius & Pelagius repetita auctoritate damnati ſunt, paululum intermiſſa, jam neceſſario proferenda ratio ſeveritatis fuit, non prævaricatio prius cognitæ, vel nova cognitio veritatis.

En! Auguſtini teſtimonio Zozymus nunquam in Cœleſtii errorem conſenſit; ſemper ei reſtitit; ſemper oppoſitum tenuit; libellum eſſe *Catholicum* dixit ratione tantum voluntatis & ſubjectionis, quam verborum ſpecie præferebat catholicam; lenius duntaxat Cœleſtium tractavit ob ſpem correctionis; detectis demum fraudibus eundem condemnavit. An autem hæc recens geſta Auguſtinus palam proferre, & ad impugnandos Pelagianos iiſdem in faciem oggerere auſus fuiſſet, niſi certa ac explorata forent? Nec abſimilia his leguntur apud Marium Mercatorem, Auguſtino coævum & familiarem in ejus Commonitor. Hiſtor. de Pelagian. C. 1. imo etiam Facundum Hermianenſem (quamvis plurium opinione Schiſmaticum) Sec. VI. Scriptorem L. 7. C. 3.

112 Atque ex his pronum eſt diluere ea, quæ in particulari olim Pelagiani ex facto Zozymi pro ſe arguebant: aut quæ deinde Sectarii alii, Zozymum erroris condemnantes, declamitarunt. Ac horum quidem præcipua capita ſunt: Zozymum approbaſſe Cœleſtii libellum, ut *Catholicum*, tametſi in eo negaretur peccatum originale; Pelagii pariter libellum ab eo dictum *Catholicum*; erraſſe ſaltem Pontificem in eo, quod impoſtores jam antea ab Innocentio damnatos audierit, benignius

imo

Digitized by Google

imo etiam acceperit. At enim, quo ſenſu intelligenda approbatio illa? cur libelli dicti Catholici? curque lenius habiti impoſtores? ſatis, opinor, ex dictis conſtat: idque ita, ut jam non ſit ullus cavillationi locus. Illud forte dubitationem aliquam movere poteſt, quod Facundus Herm. paulo ante cit L. & C. dicat: *invenient B. Zozymum - - fidem Pelagii, ejusque complicis Cœleſtii, tanquam veram & catholicam laudantem.* Verum fruſtra & iſtud; præterquam quod enim verba hæc ſenſu ſupra memorato exponi congrue poſſint, ipſe inſuper Facundus eod. C. criminationem hanc abunde diluit, ſubjiciens: *Neque Palæſtinos Epiſcopos* (Pelagium ſcilicet in ſua Synodo abſolventes) *neque Zozymum hæreticos ab Eccleſia credi, quia de hæreticis bene ſenſerunt; ſed potius pro merito fidei ſuæ Catholicos judicari & honorari: quoniam non debet crimini deputari ſimplicium non intellecta verſutia malignorum.* Tanta autem erat eorum verſutia, ut ſanctitatis & verborum ſpecie vel perſpicaciſſimis poſſent illudere; hinc Auguſtinus ipſe L. 3. de Pec. Mer. & rem. C. 1. primitus non dubitavit Pelagium compellare *Virum ſanctum, ac non parvo profectu Chriſtianum.*

Plura in hanc rem, ſi lubet, lege apud Natalem Alex. in Hiſt. Eccl. Seculi V. Diſſert. 3. Paulum Antoine in Append. ad Tract. de pecc. ac cumprimis Gisbertum in jam laud. Diſſ. ubi aliam quoque Zozymum vindicandi rationem reperies. Nobis hæc (ut cum Facundo concludam) ſint ſatis *ad inſtructionem parvulorum, ne ſcandalizentur.*

§. II.

Qui generatim homines, & quomodo peccatum originale contrahant?

AD clarius explicandam, ac etiam confirmandam de pec. originalis exiſtentia & natura doctrinam priore §. propoſitam

ſitam neceſſum eſt inprimis ſaltem in communi deſignare ſubjectum, ſeu homines illos, qui hoc peccatum contrahant: tum & definire modum, quo ab iis contrahatur. Ac de primo quidem pronuntiare ſat pronum eſt: nam quæ de hujus peccati ſubjecto in particulari controverſa ſunt, in duos ſeqq. §§. rejicimus. Alterum vero difficultatem habet tantam, ut vel ipſi Auguſtino viſa ſit admodum implexa ac impedita. Ut ut ſit attamen, de utroque totidem Aſſertionibus ſtatuemus.

ASSERTIO I.

Soli, & omnes Adæ poſteri, via ſcilicet naturalis generationis ab Adamo deſcendentes (niſi quis ſpeciali eximatur privilegio) contrahunt peccatum originale, & quidem primo animationis momento.

113 Singula aſſerti hujus membra ſpeciatim explicanda ſunt, & paucis ſaltem comprobanda. Jam vero, ut eum ſequamur ordinem, quo unum excipit alterum, culpa originalis contrahi dicitur

Primum: *ab Adæ poſteris per generationem naturalem ab Adamo deſcendentibus.* Satis aperte iſtud S. Literæ innuunt illis Job. 14. verbis, *quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine?* tum & PP. ut cum Ambroſius in Pſ. 48. hoc peccato obnoxios vocat *Adam - - hæreditatem ſucceſſionis humanæ:* item Auguſtin. L. 5. de pecc. mer. C. 8. ubi peccatum hoc ait *carnali generatione* noſtrum eſſe; tum denique clariſſime Trident. Seſſ. 6. Cap. 3. *revera homines,* inquit, *niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, non naſcerentur injuſti.* Unde vel hoc nomine Chriſti humanitas (quanquam præterea ratione unionis cum Verbo incapax fuerit) peccatum originale non contraxit: cum non per

gene-

Digitized by Google

generationem naturalem, ſed mira S. Spiritus obumbratione ſit concepta. Sed & Eva, ut pote ex coſta tantum Adami formata, non amiſiſſet orginalem juſtitiam, ſi ipſa non peccaſſet, ut obſervat Suarez de Pecc. Diſp. 9. Sect. 4.

Deinde: *primo animationis momento.* Probant id verba ex Job. 14. paulo ante recitata, ac etiam illud Davidis Pſ. 50. *in iniquitatibus conceptus ſum.* Idem deducitur ex Patribus, peccato Adæ ejus *propaginem* inquinatam aſſerentibus: jam tum quippe vero ſenſu Adæ propago ſumus, cum anima corpori infunditur. Sed rurſum hæc præ aliis clarius Tridentinum, cum verbis ex ſupra cit. C. relatis continuo adjiciat: *cum ea propagatione per ipſum, dum concipiuntur, propriam injuſtitiam contrahant;* per conceptionem autem intelligitur primum humani fœtus animati momentum. Originalis igitur macula etiam a Jeremia & Joanne Bapt. contracta eſt, quamvis uterque ante ſui nativitatem in matris utero ſanctificatus fuerit, ut legitur Jer. 1. & Luc. 1.

Item: *ſoli & omnes Adæ poſteri.* Hi enim ſoli, iique præterea generatim omnes dicuntur in Adamo peccaſſe, ejusque peccatum contraxiſſe, ut conſtat ex ſæpe laud. Patribus, & Concil. Tridentino, ipſo quin etiam Apoſtolo ad Rom. dicente: *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, - - & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt;* & infra, *unius delictum in omnes homines in condemnationem &c.* Iſtud interim exceptionem patitur; hinc addimus

Denique: *niſi quis ſpecali eximatur privilegio.* Ita porro exemptam fuiſſe V. Dei-Matrem, ex propoſito tuebimur §. IV. & V. quo poſtremo ſimul hujus exemptionis modum exponemus.

Digitized by Google

ASSERTIO II.

Eatenus peccante Adamo ejus quoque poſteri peccarunt, atque adeo peccatum originale contraxerunt, quatenus per decretum Dei in voluntate Adami voluntates eorum fuerunt incluſæ in ordine ad obſervationem vel transgreſſionem præcepti de non comedendo fructu vetito.

MOdus hic explicandi culpæ originalis transgreſſionem jam nunc fere apud omnes DD. Catholicos receptus eſt, niſi quod eorum aliqui pactum pro decreto ſtatuant, aut verius hoc cum illo confundant. Certum autem eſt in hoc ſyſtemate, vi memorati decreti voluntatem Adæ fuiſſe moraliter noſtram in ordine ad dictam obſervationem & transgreſſionem; atque adeo Adamum fuiſſe ſuorum poſterorum non tantum *Caput phyſicum*, ut erat ſcilicet omnium progenitor: ſed etiam *Caput morale* in ordine ad eos actus, ita nimirum, ut jam non ſuo duntaxat, ſed omnium ſuorum poſterorum nomine præceptum Dei vel obſervaret, vel transgrederetur, atque ſic originalem juſtitiam ſibi ac nobis vel conſervaret, vel deperderet. Hac animadverſione præmiſſa, ſit jam pro Aſſertione duplex argumentum. Et quidem

114 Argum. I. eſt poſitivum. Peccati originalis in poſteros transfuſio apte explicatur per hoc Decretum: idem poterat fieri a Deo: quin factum eſſe colligitur ex Scriptura & Patribus; dicendum igitur ex Dei decreto in voluntate Adami ita fuiſſe incluſas ejus poſterorum voluntates. Illatio indubie eſt legitima, ſi Antec. propoſitionis aſſertum quoad omnes tres partes obtineat; ſingulæ igitur hæ ſeorſum probandæ ſunt. Jam vero

Pars

Digitized by Google

Pars 1*ma* inde patet, quod, ſuppoſita hac voluntatum noſtrarum incluſione in Adami voluntate, voluntas & libertas Adami in ordine ad memoratum præceptum fuerit ſimul voluntas & libertas noſtra in æſtimatione morali; fieri igitur non potuit, ut, Adamo hoc præceptum transgrediente, non etiam nos in æſtimatione morali illud transgrederemur, voluntate ſcilicet phyſice quidem aliena, at moraliter noſtra; atqui hoc eſt Adami peccatum in ejus poſteros transfundi, eosque culpam originalem contrahere, ergo &c.

Pars 2*da* vel ideo certa eſt, quod nihil proferri queat, cur id Deus facere non potuerit. Conſtat inſuper Rempublicam legitime poſſe ſuorum ſubditorum voluntates alligare voluntati alterius, atque ita in hac illas moraliter includere in ordine ad effectus quosdam civiles: hoc modo certe nunc pupillorum voluntates novimus alligatas Tutoris voluntati quoad contractus aliquos, ita ut pupilli ipſi agere cenſeantur, quod nomine eorum Tutor egerit; an non ergo Deus, qui ſupremum in omnia habet dominium, potiori jure potuerit eam voluntatum incluſionem decernere?

Pars 3*tia* repetitur ex ſæpe laud. ad Rom. 5. verbis, *per unum hominem peccatum intravit in mundum, - - in quo omnes peccaverunt:* quia ſcilicet (ut notat Auguſtin. L. 3. de Pec. mer.) *omnes unus ille fuerunt;* at non utique *unus phyſice*, igitur *unus moraliter:* quomodo autem iſtud? niſi vi decreti, quo Adam conſtitutus eſt *Caput morale* ſuorum poſterorum. Sed & conſtitutio hæc divina a Patribus eſt agnita iis locis, quibus ejus meminerunt ſub nomine *pacti* vel *teſtamenti.* Ita Hieron. in Oſeæ C. 6. *imitati ſunt Adam, ut quod ille in paradiſo fecerat pactum meum, legemque præteriens, iſti in terra facerent.* Et Auguſtin. L. 16. de Civ. Dei C. 27. *parvuli - - omnes in il-*

lo teſtamentum Dei diſſiparunt, *in quo omnes peccaverunt*, -- *teſtamentum autem* - - *illud eſt: qua die ederitis*, *morte moriemini* ; hinc Baſilius in Hom de Jejun. *quoniam* , inquit, *non jejunavimus*, *exulavimus de paradiſo:* Adamo igitur abſtinentiæ legem infringente, nos quoque infregimus ; quomodo autem , niſi *unum moraliter* cum illo fuerimus ? rurſum vero quomodo *unum* ſine memorata Dei conſtitutione ?

115 Argum. II. eſto negativum. Secluſa nimirum hac voluntatum incluſione non ſuppetit modus alius, quo rite explicetur peccati originalis transfuſio.

Non 1*mo* per voluntatem interpretativam: ut quidam opinantur apud Sylvium qu. 81. Ar. 1. quaſi vero poſteri Adæ cenſendi ſint ita illi cauſam ſuam commiſſuri fuiſſe, ut eo peccante & ipſi peccare vellent. Iſtud quippe aſſerendi nullum eſt fundamentum; quin non deſunt in præſens , qui mallent oppoſitum.

Non 2*do* per libidinem generationi ſeminali naturaliter adjunctam, proinde quaſi ex natura rei : quæ ſententia , poſt Lutherum & Calvinum, eſt Janſenii , eidem adhærente Jueninio & Henrico a S. Ign. apud Thom. ex Charmes in Tract. de Pecc. C. 6. qu. 3. Quod enim rurſus hujus fundamentum? quæ parentum libidinis ad culpam in filios transfundendam proportio ? Adde: quamvis parentes forte aliqui ex peculiari Dei privilegio liberi forent a libidine in generando , filii nihilominus eorum uti eſſent Adæ poſteri, ita indubie peccatum originale contraherent, ut pote Apoſtolo generatim inclamante, *in quo omnes peccaverunt.* Ex adverſo, tametſi cum libidine fieret generatio , ſi tamen non ex ſemine Adæ , non contraheretur culpa originalis: nam *homines niſi ex ſemine Adæ propaga-*

pagati naſcerentur, *non naſcerentur injuſti*, ut declarat Trident. Seſſ. 6. C. 3. Minus vero dici poteſt culpæ hujus propagatio fieri *ex natura rei* hoc ſenſu præciſe, quia omnes ab Adamo tanquam primo homine phyſice deſcendunt, ſeu generantur: aut quia idem ſumma cum libertate peccavit. Primum certe refellitur vel ex eo, quia ſecus etiam alia peccata, quæ deinde ſaltem venialia commiſit Adam, in poſteros perinde propagari debuiſſent; alterum vero, quia ſecus aliorum etiam parentum peccata ex mera malitia, cum plena proinde libertate commiſſa, in filios tranſirent. Neutrius præterea ullum eſt fundamentum: neutrum eſt cauſa proxima ſufficiens ad transfuſionem peccati.

Non denique 3*tio* per animarum *traducem*: quaſi nempe ſicut caro filiorum ex carne patrum, ſic animæ ex animabus propagentur, ſitque adeo *ſemen* quoddam *animæ incorporeum*, *quod ex patre currat in matrem*, *cum ſit conceptus in fœmina*, ut explicat Auguſtin. Ep. 157. nunc 190. In hanc equidem opinionem propendiſſe videtur aliquando laud. Doctor, exiſtimans ſcilicet in ea facile intelligi, quomodo Adæ peccato inquinetur poſterorum anima, ut quæ ſit veluti quædam portio ex anima peccatrice deciſa. *Ego adhuc* (in Ep. ad Optat. ajebat) *fateor*, *non inveni*, *quemadmodum anima & peccatum ex Adamo trahat*, - - *& ipſa ex Adam non trahatur.* At enim hæc tum Auguſtinus: nunc vero jam, animas a Deo quotidie creari & in corpora ſatis formata infundi, cum Doctorum, imo fidelium omnium conſenſu, ac etiam Eccleſiæ calculo recepta ſit ſententia, vixque oppoſitum citra temeritatis notam opinari liceat, clarum ſit, vel idcirco ſyſtema hoc ad explicandam culpæ originalis transfuſionem adhiberi non poſſe. Cæterum neque alia contra illud deſunt argumenta, ut videre eſt apud Bellarm. de ſtatu peccati L. 4. C. 11. de Orig. animæ.

Ex his jam vero ultro conficitur, cum, præter incluſionem voluntatum ex Dei decreto factam, modus non ſuppetat alius, quo peccati originalis propagatio congrue ſuſtineri poſſit, inſiſtendum denique eſſe Aſſertioni poſitæ, dum quid certius proferatur.

Reſolvuntur Objecta.

116 Aſſertio prima his fere impugnari poteſt. I. Generatio naturalis ex ſe nihil habet connexionis cum peccato illius, a quo ſuam originem ducit generatio; cur igitur ii nominatim peccatum Adæ contrahant, qui ab eo via naturalis generationis deſcendunt? Aut ſaltem

II. Dici nequit, in ipſo ſtatim conceptu, ſeu animæ corpori infuſæ momento culpam originalem ab Adæ poſteris contrahi: id quippe Scriptura & Patres referunt primum ad hominis nativitatem. Ita Eccl. 40. dicitur: *jugum grave ſuper filios Adam a die exitus de ventre matris eorum.* Et Cyprian. L. 3. Epiſt. ad Fidum: *infans recens natus contagia mortis antiquæ prima nativitate contraxit.* Quin

III. Patrum aliqui aperte negant in ipſa jam conceptione animam peccati labe inquinari: *nec ab initio quidem* (parvulus) *prorſus in animam morbum admiſit*, verba ſunt Gregorii Nyſſ. in Orat. de infantib. Si non ab initio, non utique in conceptu, qui eſt initium hominis.

Reſp. ad I. D. aſſert. generatio ex ſe præciſe nihil habet connexionis C. ſuppoſito Dei decreto, quod Aſſert. II. tuemur N. vi hujus nimirum decreti in Adæ voluntate ejus ſolum poſterorum incluſæ ſunt voluntates; non alii autem ſunt Adæ po-

poſteri, quam qui per naturalem generationem ab eo deſcendunt.

Reſp. ad II. Scripturam & PP. aliis locis culpæ originalis reatum agnoſcere in ipſa conceptione. Ita Pſ. 50. *in iniquitatibus conceptus ſum.* Et Tertullian. L. de anima C. 40. generatim dicit, *omnis anima eo uſque in Adam cenſetur, donec in Chriſto recenſeatur;* & mox *peccatrix autem, quia immunda, recipiens ignominiam ex carnis ſocietate.* Gregorii Nyſſ. teſtimonium ſequ. Reſp. laudabitur. Huc denique faciunt omnes PP. illi, qui cum Tridentino univerſim aſſerunt peccatum Adæ ejus propagini & poſteris nocuiſſe. Jam tum quippe, dum anima corpori infunditur, datur animæ cum carne ſocietas: jam tum ſimus Adæ propago & poſteri &c. Objecti proinde textus, non excluſivo, ſed poſitivo duntaxat ſenſu accipiendi ſunt. Quid quod in cit. Eccl. C. per *jugum grave* non intelligatur originale peccatum, ſed illius effectus, quos primum a nativitate experimur, ut ſunt *mors*, *contentio*, *oppreſſiones*, *fames*, *& flagella*, de quibus præſertim V. 9. fit mentio.

Reſp. ad III. Gregorium iſthic loqui ſolum de peccato perſonali actuali; certe idem Pater C. 16. in Pſalmos, jam in conceptione culpam originalem contrahi, aperte agnoſcit, cum ait: *ſordes hominis peccatum eſt, quod una cum humana orditur natura, quoniam in peccatis concepit me mater mea.*

Aſſertioni alteri hæc adverſari videntur. I. Voluntatum illa 117
incluſio nequit decerni a Deo: ſecus & nunc poſſet voluntatem Petri, jam ratione utentis, ita moraliter transfundere in voluntatem Pauli in ordine ad incurrendum peccatum grave, & damnationis reatum; at iſtud non: quid enim, ſi forte Paulo peccante Petrus voluntate phyſice propria actum charitatis eliciat,

ciat, quid inquam tum ? an Petrus ſimul cœlum & infernum merebitur ? Verum ut ut ſit iſtud,

II. Hoc ſaltem decretum, quo voluntates Adæ poſterorum in ejus voluntate aſſeruntur incluſæ, admitti non poteſt, ut quod ſit mere commentitium ; neque enim ejus meminerunt S. Literæ aut Patres: ne Auguſtinus ipſe, cui tamen contra Pelagianos pugnanti cumprimis fuiſſet oportunum : non etiam Tridentinum, tametſi de peccato originali ex propoſito ageret. Imo.

III. Decretum idem prorſus Deo non eſt conſentaneum : quia 1*mo* ſuperfluum, 2*do* injuſtum, 3*tio* peccati originalis cauſam in Deum refundens.

Ratio 1*mi*: nam Deus jam pro ſigno priori ad hanc voluntatum incluſionem abſolute decrevit Adæ poſteros ; vel igitur jam in ſigno illo vidit eos cum peccato, vel ſine peccato, ex Adam deſcenſuros? quidvis horum fuerit, ſupervacanea eſt conſequens voluntatum incluſio, cum Deus mutare nequeat objecta, quæ per ſcientiam abſolutam prævidet futura.

Ratio 2*di*: quia incluſio hæc voluntatum fuit utique abſolute decreta poſt ſcientiam mediam, qua Deus vidit peccaturum Adamum, ſi conſtitueretur caput morale ſuorum poſterorum; ſicut igitur Reſpublica citra pupilli injuriam non decerneret Tutorem, quem prævideret futurum in pupilli bonorum perniciem, ita quoque &c.

Ratio 3*tii*: hoc enim decreto, *virtualiter* ſaltem & conditionate voluiſſet Deus peccatum originale; quid enim eſt in dicto ſenſu Adamum conſtituere Caput morale ? niſi velle, ut

ob-

Digitized by Google

obſervante illo præceptum obſervent quoque ejus poſteri, peccante autem & ipſi peccent.

Reſp. ad I. N. aſſertum. Quid vero ſentiendum de caſu poſito? ut detur in eo non poſſe ex adjecta ratione fieri illam voluntatis Petri incluſionem in voluntatem Pauli: quia tamen neque hæc, neque ulla ratio alia pugnat contra voluntatum incluſionem in caſu peccati originalis, non eſt, cur eam a Deo potuiſſe decerni negemus. Unde idem prorſus exiſtimandum eſt etiam de caſu priore, ſi qua ratione Deus occurreret incommodo, quod in objectione adſertur.

Reſp. ad II. rurſus N. aſſertum. Quomodo enim incluſio hæc voluntatum commentitia? ſine qua peccati originalis in Adæ poſteros transfuſio congrue explicari nequit: cujus item (ut patet ex N. 114. V. *Pars 3tia.*) grave eſt fundamentum in Scriptura & Patribus, tametſi neque ab illa, neque ab his clare aſſeratur. Fateor equidem, Auguſtino cum Pelagianis pugnanti ſæpe facta eſt occaſio apertius etiam recurrendi ad hoc Dei decretum, imo & oportunum illud futurum erat; at enim evenire utique poterat, ut tum non meminiſſet illius in alia momenta intentus: aut conſulto etiam non proferret illud, ne forte difficultati novæ occaſionem daret Adverſariis, quando præſertim decretum hoc divinum, etſi veriſimilitudine magna, non tamen certo ac evidenter probari poteſt. Tridentinum vero ejusdem aperte non meminit: quia ex propoſito id agebat duntaxat, ut, quæ de peccato originali ad fidei dogma contra ſectarios aſſerendum pertinent, diſerte ſtatueret.

At enim, inquies, tam Auguſtinus, quam Tridentinum modo ab hac voluntatum incluſione penitus diverſo explicant

cati Adæ in poſteros transfuſionem pro cauſa ſcilicet illius ſolam generationem adferentes. Sic enim Auguſtin. L. 1. de Pecc. mer. C. 9. *ille*, inquit, *in quo omnes moriuntur*, - - *occulta tabe carnalis concupiſcentiæ ſuæ tabificavit in ſe omnes de ſua ſtirpe venientes*; & Trident. Seſſ. 5. Can. 4. parvulos baptizari, ut in eis mundetur, *quod generatione contraxerunt.* Verum hæc non officiunt: dum quippe ab Auguſtino, aut aliis Patribus, ac etiam Tridentino dicitur peccatum originale contrahi per generationem, intelligendum eſt agi de conditione neceſſaria, ſine qua non contraheretur, idque præterea in ſenſu poſitivo, non excluſivo. Sane Auguſtinus præter generationem etiam aliquod divinæ voluntatis decretum pluribus locis innuit, ut L. 5. contra Julian. C. 4. ubi ait, animam corrumpi in corpore tanquam vaſe vitiato, *ubi occulta juſtitia divinæ legis includitur*; ſimiliter & Tridentinum, cum dicat peccatum Adæ *ineſſe cuique proprium*, propria proinde a quolibet voluntate commiſſum in Adamo, id quod voluntatum incluſionem ſatis indicat.

Atque hinc colligere licet, Auguſtinum non fuiſſe uſum comparatione omnimoda, dum Juliano quærenti, *Si omnes in illo unus fuerunt, quomodo omnes per ejus voluntatem malam peccaverunt?* reſpondit in hunc modum: *ſecundum originem omnes in illo unus erant*, - - *ſecundum hanc originem ſeminalem etiam Levi tunc decimatus oſtenditur, non in ſe ipſo, ſed in illo, in cujus fuit lumbis* &c. Nimirum iſthic ait quidem eo modo quoad aliquid fuiſſe in Adam ejus poſteros, quo in lumbis Abrahæ fuit Levi: at non aſſerit quoad omnia fuiſſe eo modo, penitus ſcilicet abſtrahens ab eo, quid præterea in Adamo ejus poſteri ſuum habuerint ita, ut in illo unus eſſent. Neque mirere iſtud: hanc enim nominatim controverſiam, quoad licuit, vitabat Auguſtinus, cum de origine animarum nihildum certi auderet ſtatuere.

Reſp.

Reſp. ad III. falſo hæc omnia aſſeri; negandum proinde eſt aſſertum quoad omnes partes. Ut porro ejus falſitas clarius pateat, ſingula, quæ adferuntur, ſeorſim refellenda ſunt. Itaque

Ad 1*mum*. Hoc argumentum nihil probat ſuppoſito decretorum divinorum eo ordine, quem infra §. V. ſtatuemus. Cæterum, quamvis ultro detur, prius eſſe decretam Adæ poſterorum exiſtentiam, dici poteſt, in hujus decreti ſigno Deum vidiſſe Adæ poſteros ſine peccato originali, τὸ *ſine* ſumendo mere *præciſive*, non *excluſive*.

Ad 2*dum*. C. Ant. N. Illation. Nec urget exemplum a Republica: pupillus enim in bona ſua habet jus ſtricte tale etiam contra Rempublicam, cujus proinde ex juſtitia officium eſt impedire, ne quid pupillo in bonis detrimenti eveniat; nihil contra Adæ poſteris erat juris adverſus Deum, neque hic tenebatur impedire peccatum, & interitum generis humani. Quid quod illa conſtitutio ex ſe, ac ſpectatis circumſtantiis in favorem potius & commodum noſtrum fuerit; voluntates enim noſtras Deus transfudit in eum, quem tot gratiæ ac naturæ donis præmunivit, & cui, ut omnium Capiti, unicum leve mandatum impoſuit, *de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas* Gen. 2. quem denique ad hoc ipſum obſervandum peculiaribus gratiis adjuvit, a transgreſſione etiam conatus abſterrere gravi illa comminatione, *in quocunque die comederis ex eo, morte morieris.*

Ad 3*tium*. N. aſſertum; neque enim Deus hoc decreto intendit, ut peccet Adam, & nos cum illo: verum potius, ut eo præceptum obſervante juſtitia originalis ad poſteros tranſeat. Colligitur id vel ex auxiliis Adæ conceſſis, commina-

tione adjecta &c. Unde hujus decreti modus tendendi hic fere fuit: *volo, ut in ordine ad hoc præceptum voluntas Adæ ſit moraliter voluntas ejus poſterorum; & quamvis malim præcepti obſervationem, nolo tamen impedire transgreſſionem &c.* Sed nimirum præterea

118 Urgeri poteſt argumentum. I. Si quæ voluntatum hujusmodi incluſio per decretum fuiſſet facta, debuerat ea utique fieri per aliquod pactum a Deo cum Adamo initum: hoc ipſum præterea manifeſtari oportebat illi; atqui neutrum ſuſtineri poteſt; ergo &c. Denique

II. Vel ideo decretum hoc arbitrarie adſtruitur, quod modus, quo facta eſt peccati Adæ ad ejus poſteros propagatio, myſterium ſit prorſus reconditum, captuque ac explicatu admodum difficile. Propterea ipſe Auguſtinus, quoad licuit, declinabat reſponſum de hoc transfuſionis modo importunius ſciſcitantibus; hinc Juliano aliquando, *Quid a me*, inquit, *quæris, quo ſit factum modo, cum factum conſtet aliquo modo, ſi Apoſtolo credis ullo modo, qui mentiri potuit nullo modo?* imo L. 5. contra eund. Julian. C. 3. ſincere confeſſus eſt ignorantiam, *hic*, ajebat, *libentius diſco, quam dico: nec audeo docere, quod neſcio.* Profecto autem non foret magna modum hunc explicandi difficultas, ſi memoratum Dei decretum, quo in Adami voluntatem noſtræ voluntates dicuntur incluſæ, cum veritate poſſet aſſeri.

Reſp. ad I. nullam fuiſſe neceſſitatem pacti *formalis*, in mutuo videlicet duorum conſenſu conſiſtentis: Deus enim, ut ſupremus arbiter, de omnium voluntatibus jure ſuo poteſt diſponere. Non negamus interim interceſſiſſe pactum aliquod *virtuale*, contentum ſcilicet in ſæpe memorato decreto, quo Deus

Digitized by Google

Deus voluntates noſtras alligavit voluntati Adæ etiam independenter ab ejus conſenſu. At num hoc ſaltem ſuum decretum Deus manifeſtavit Adamo? fateor certi de hoc nihil affirmari poſſe. Illud vix dubium eſt, manifeſtationem eam non fuiſſe neceſſariam, cum Deus vi ſupremi dominii etiam inſcio, imo & renitenti Adamo potuerit voluntates noſtras alligare. Probabile nihilominus videtur, decretum hoc Adamo innotuiſſe: quia id pertinebat ad ſuavem Dei providentiam, quo Adam cautius ageret in tam grandi totius generis humani negotio; quia item rectus ordo poſtulare videtur, ut officium ſuum rite intelligat, qui omnium perſonam gerit; quia denique peccatum Adæ, ut capitis omnium, ob hanc ipſam circumſtantiam gravius erat, quam ſi ut privata tantum perſona deliquiſſet, ut paſſim PP. docent cum D. Thoma 3. p. qu. 1. Ar. 4.

Reſp. ad II. neque nunc ſublatam eſſe difficultatem omnem in explicando hujus transfuſionis modo: tum quod decretum hoc certo non conſtet ex Scripturis & Patribus, ſed ex iis probabiliter tantum deducatur; tum quia, ſuppoſito etiam illo, nondum eſt pronum quoad omnia aſſequi, qua nominatim ratione factum, ut a Deo voluntates noſtræ quoad ipſam præcepti transgreſſionem in Adami voluntate includerentur.

Cæterum, quod Auguſtinus quæſtionem de modo peccati Adæ a poſteris contracti ſæpe declinaverit, in cauſa fuit potiſſimum: quia, contra Pelagianos de peccato originali agens, totus erat in eo, ut illius præciſe exiſtentiam certo comprobaret; id quod & præſtitit graviſſimis ex Scriptura & Patribus depromptis argumentis. His vero preſſi Pelagiani cum identidem de modo etiam ejus culpæ contractæ quærerent, hunc autem videret ita dilucide oſtendi non poſſe, ut perinde rem

Digitized by Google

evinceret, idque præterea non foret ſcitu neceſſarium ad certo aſſerendam peccati originalis exiſtentiam: cum multa exiſtere ſit certum, quamvis eorum exiſtendi modus ignoretur; idcirco, ne a præcipua & neceſſaria controverſia deflecteret, ſimulque novis argutationibus & effugiis occaſionem daret, utique ſapienter reſponſum, quoad potuit, declinabat. Hinc in Ep. 29. nunc 167. ex Scriptura ait omnino conſtare de exiſtentia peccati originalis: non perinde autem etiam de illius modo, cum id non ſit æque neceſſarium. *Eleganter* (ibid. S. Pater) *dictum eſſe narratur: - - cum quidam ruiſſet in puteum, - - acceſſit alius, & eo viſo admirans ait, quomodo huc cecidiſti? at ille: obſecro cogita, quomodo me hinc liberes, non quomodo huc ceciderim quæras. Ita quoque fatemur, & fide Catholica tenemus de reatu peccati - - infantis animam Chriſti gratia liberandam; ſatis eſt ei, quod quomodo ſalva fiat novimus, etiamſi nunquam, quomodo in malum illud devenerit, noverimus.*

Quod porro etiam perſpicaciſſimo Auguſtino (ut ſæpe fatetur) de modo peccati Adæ in nos transfuſi impedita uſque adeo difficultas ſit viſa, magnam partem præterea inde provenit, quod de animarum origine nihil certi auderet ſtatuere; & quamvis videretur illi modum hunc explicari poſſe facilius in ea ſententia, qua animæ dicuntur eſſe *ex traduce*: ac propterea etiam in illam propenderet, amplecti nihilominus ipſam non eſt auſus. Nunc jam vero certa eſt ſententia, animas quotidie a Deo creari: atque in hac vix ſuppetit ratio alia, qua aptius explicetur modus contractæ originalis culpæ.

Si demum neque hic modus ſufficiat hæretico peccatum originale neganti, quin & forte ea contra illum proferat argumenta, quibus te ſatis expedire nequeas: tum omnino ſatius fuerit cum Auguſtino a particulari hac & minus neceſſaria quæ-

Digitized by Google

quæſtione totam diſceptationem eo denique deflectere, quod iſthic eſt præcipuum, ac etiam ex apertis S. Literarum teſtimoniis certum, ipſa videlicet quoad ſubſtantiam peccati originalis exiſtentia: *Etiamſi* (ait S. Doctor L. 3. de Pecc. mer. C. 4.) *refellere argumenta* contraria *non valeam*, *video tamen inhærendum eſſe iis*, *quæ in Scripturis ſunt apertiſſima.*

§. III.

An peccatum originale contrahatur nominatim etiam a fidelium filiis?

ADæ poſteros univerſim, niſi peculiariter a Deo exempti fuerint, culpam originalem contrahere dictum eſt; nunc quæritur: num hoc exemptionis privilegium iis, qui ex fidelibus parentibus progignuntur, ſit tribuendum? Zvinglius L. de Bapt. & in Declar. de pec. orig. aperte affirmat: Calvinus vero L. 4. Inſt. C. 16. §. 24. & 25. item in Antid. Trident. ad Cap. 5. Seſſ. 6. id ſaltem contendit, quod iis non imputetur; verum Eccl. Catholicæ oppoſita eſt

ASSERTIO.

Filii fidelium non ſecus ac alii peccatum originale contrahunt ita, ut illis imputetur.

HÆc fidei doctrina deducitur ex jam dictis, ſecundum quæ 119
culpam originalem vero ſenſu, cum imputatione proinde contrahunt omnes ex Adamo via naturalis generationis deſcendentes, niſi Dei privilegio ſpeciali a lege communi eximantur; at de fidelium filiis nuſpiam in Scriptura aut Patribus hujusmodi privilegii eſt veſtigium, nulla etiam ratio evincit aſſerendum illud: unde Apoſtolus ſicut ad Rom. 5. generatim dixe-

Digitized by Google

dixerat, *in quo omnes peccaverunt*, ita ad Eph. 2. *eramus natura filii iræ, ſicut & cæteri*, ergo &c. Idem imo aperte docent Patres, quos inter Auguſtin. L. 2. de pecc. orig C. 40. *ſive reus infidelis*, inquit, *ſive abſolutus fidelis*, *non generat abſolutos uterque, ſed reos: quomodo non ſolum oleaſtri, ſed etiam oleæ ſemina non oleas generant, ſed oleaſtros.* Nec alius fuit unquam ſenſus fidelium, idcirco feſtinantium de Baptiſmo filiis ſuis periclitantibus procurando. Jure proinde Trident. Seſſ. 5. Can. 4. anathematis fulmen evibrat in eum, qui parvulos - - baptizandos negat, *etiamſi fuerint a baptizatis parentibus orti*; aut dicit eos *nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro neceſſe ſit expiari.*

Animadverſio in Objecta.

120 ARgumentum præſens connexum eſt cum iis, quæ alias L. II. de Sacram. pro Baptiſmi neceſſitate diſputavimus; hinc etiam Bellarminus hujus Calvinianæ opinionis momenta L. de Bapt. C. 4. ex propoſito refellit. Fere autem petuntur ex illo Apoſtoli 1. Cor. 7. ubi de fidelium conjugum filiis ait, *nunc autem ſancti ſunt*, & ad Rom. 11. *ſi radix ſancta, & rami*; verum hæc, hisque ſimilia Scripturæ loca ad rem præſentem non facere, alioque, quam Calvinus aut Zvinglius voluerit, ſenſu intelligenda eſſe, oſtendimus cit. L. II. Diſſert. II. §. III. Num. 76. in Reſp. ad I. Quod vero addunt ſectarii: parentes fideles peccatum originale non habere, non poſſe igitur ab illis in filios tranſmitti id, quod ipſi non habent; iſtud inquam ſola explicatione diluitur. Nimirum: peccatum originale, quod non habent, nequeunt tranſmittere per modum cauſæ, ita videlicet, ut illud in filiis cauſent ipſi C. non etiam per modum conditionis, quæ eſt naturalis generatio, quaque poſita ultro fit culpæ originalis transmiſſio N. quorum ratio ex jam alias dictis abunde patet.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

An non ſaltem V. Dei-Mater a peccato originali fuerit immunis ita, ut illud in ſuo conceptu non contraxerit?

SI conceptus illibati eminens in B. Virgine prærogativa, adverſariorum item contra eam, aut pro illa vindicum conatus ſpectentur, vix ulla Mariana cauſa eſt alia ad differendum copioſior. At enim illi (tametſi pro debito in Dei & noſtram Matrem ſtudio etiam volupe foret) neceſſe non eſt amplius immorari multis: adeo nimirum pia de *Immaculata Virginis M. Conceptione* ſententia triumphat, ut jam adverſarii, Sedis Apoſt. auctoritate prohibiti, ne mutire quidem contra audeant. Cauſa hæc inſuper a Sec. XIV. numeroſiſſimis ex omni ſtatu ac ordine Virorum doctiſſimorum commentariis ita elucubrata ac firmata eſt, ut nihil pene addi poſſit: addere certe quidpiam neceſſum non ſit. Quod igitur nobis eſt reliquum, ſatis habebimus compendio perſtringere ea, quæ jam copioſe ab aliis pro vindicanda Dei Matre diſputata ſunt.

Exponitur ſtatus & progreſſus controverſiæ.

I. ABſque originali peccato natam eſſe V. Mariam, atque 121
adeo jam in matris utero ſanctificatam, etſi nondum definitum, certum nihilominus eſt, ut paſſim docent Theologi poſt D. Bernardum & Doct. Angelicum. Sed & his antiquiorem eſſe eam ſententiam, dubitari nequit: quando ut minimum a Sec. V. non in Græca tantum, ſed Latina etiam Eccleſia Nativitatis Marianæ feſtum celebratur, ut videre eſt apud noſtrum Plazza in Appar. ad *Cauſam Immac. Concept.* Ar. 2. §. 1. De ſuæ igitur *Nativitatis* ſanctitate V. Mater ſecura

Qqq eſt

eſt communi calculo; at *Conceptionem* ejus aliqui pro tribunali theologico ſiſtendam putant, controvertentes: num hæc quoque ſine originali labe fuerit? Ne quis autem in conceptionis vocabulo hæreat: hominis conceptio alia dicitur *inchoata*, ſeu *ſeminalis*, eſtque ipſe parentum carnalis congreſſus, & ſeminatio; alia *conſummata*, ſive *vitalis*, quæ conſiſtit in animæ in corpus rite formatum infuſione, ac propterea *animatio* vocatur. Atque hæc duntaxat poſtrema hodie, a multis imo jam annis apud DD. venit nomine *conceptionis*: deque illa una in præſenti agitatur quæſtio. Porro

122 II. Ut quæſiti ſtatus ſit planior, eo lis tota recidit: an B. Virgo in primo animationis ſuæ, hoc eſt, ipſo creationis animæ, ejuſque in corpus infuſionis momento fuerit ſanctificata, ut adeo ne uno quidem momento inquinata fuerit labe peccati originalis? De quo, quis olim in Eccleſia jam inde a primis temporibus fidelium fuerit tacitus ſenſus, infra N. 128. inſinuabimus; nunc notaſſe ſit ſatis: veteres de hoc argumento diſerte, clare, ac ex propoſito ſententiam non dixiſſe, cum nullus eſſet, qui controverſiam obmoveret. At vero, cum ſub initium Seculi XIV. Subtilis Doctor Joan. Duns Scotus ex Ord. Seraphico primus Immaculatam Virginis Conceptionem clarius explanare & propugnare cæpit, reperti ſunt ex ſacro Prædicatorum Ordine aliqui, qui Scoto ejuſque ſectatoribus palam ſe ſe opponerent, exiſtimantes videlicet, eam ſententiam cum D. Thomæ doctrina non ſatis cohærere, ab illa imo alienam eſſe. Crevit lis progreſſu temporis adeo, ut partes, utrinque novis acceſſionibus ſubinde auctiores, acrius etiam ſe ſe qua verbis, qua ſcriptis laceſſerent. Quin, præſertim a XV. Seculo, eo res proceſſerat, ut, ne quid Eccleſia ex fidelium offenſione detrimenti caperet, concertantium fervor temperandus fuerit Pontificum Decretis, quæ mox videbimus.

Re-

Digitized by Google

Referuntur Pontificum & Conciliorum acta ad Immac. Conceptionis B. V. M. cauſam pertinentia.

LEguntur hæc paſſim apud DD. pro immaculato Virginis conceptu pugnantes; eadem vero facile omnium & copioſius collegit, & ordinatius digeſſit Plazza in *Cauſa Immac. Conc.* Act. 4. & 5. ex quibus nos ſtrictim referemus præcipua: primum quidem ea, quibus directe probatur pia hæc ſententia; tum & illa, quibus ſpeciatim adverſarii ab ejus impugnatione prohibentur. Et quidem

I. Ad priorem claſſem hæc pertinent. Concilium Lateranen- 123
ſe ſub Martino I. celebratum An. 649. (ut habetur Tom. 7. Concilior.) Can. 3. Col. 358. ſtatuit, *ſecundum SS. PP. confitendum eſſe proprie & ſecundum veritatem, Dei Genitricem Sanctam ſemperque Virginem, & immaculatam* &c. Concilium Baſileenſe in Decreto An. 1439. Seſſ. 36. edito, *doctrinam illam*, inquit, *differentem -- Dei Genitr. Mariam -- nunquam actualiter ſubjacuiſſe originali peccato, ſed immunem ſemper fuiſſe ab omni originali & actuali culpa, ſanctamque, & immaculatam, tanquam piam, & conſonam cultui Eccleſiaſtico, fidei Catholicæ, rectæ rationi & Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam, & amplectendam definimus & declaramus &c.* Quamvis autem hoc Concilium Decreti hujus tempore, non fuerit legitimum, ad rem nihilominus præſentem (ut oſtendit laud. Plazza) multum ponderis habet pluribus titulis: quos inter & ille eſt, quod reprobatum ſit quoad ea tantum, quæ contra Eugenium & ſupremam Pontificis auctoritatem conſtituta fuerunt. Ut ut ſit interim de hoc, aliisque titulis; mihi cum Bellarmino ſatis eſt: quod, *tametſi certam fidem non faciat ut Conc. Oecumenicum, ex eo tamen facile poteſt intelligi, multos Eccleſiæ Doctores ex variis Provinciis congregatos ita ſenſiſſe.* Quin non *multos* tantum, ſed plurimos etiam, ac communiter ita ſenſiſſe, colligi-

tur ex ſenſu Sixti IV. S. P. eodem Seculo regnantis, qui, præterquam quod per Bullam, *Cum præexcelſa.* An. 1476. conceſſerit Indulgentias Immacul. B. Virginis Conceptionem celebrantibus: rurſum An. 1483. peculiari Bulla, *Grave nimis.* Immac. B. V. Mariæ conceptionem defendentium ſententiam, ceu piam, & S. Romanæ Eccleſiæ praxi conformem eſt tuitus, ac etiam, adjectis cenſuris, contra adverſarios vindicavit.

Atque hæc uſque ad Conc. Tridentinum: iſtud autem quantopere faverit piæ de Immac. V. Conceptione ſententiæ, ex his conjicias. P. Nicolaus Lancicius, qui ipſe originalia Tridentini Acta inſpexit, hæc ad verbum habet Tom. 2. Opuſc. 11. C. 13. *Legi & deſcripſi An.* 1599. *ex actis originalibus Conc. Tridentini (quæ aſſervabantur in Caſtro S. Angeli Romano, & cum expreſſa licentia Clementis VIII. fuerunt Petro de Arrubal, & mihi ad aliquot horas exhibita a Cardin. Cæſio) ex aliquot Decadibus Epiſcoporum, ad tractandum de hoc puncto Concept B. V. M. omnes illam aſſeruiſſe eſſe conceptam ſine peccato originali, ſolos quinque contrarium dixiſſe. Poſtea in alia Seſſione fuiſſe concluſum: ut tandem determinaretur a Conc. Tridentino illam eſſe conceptam ſine peccato originali; -- ſed ob inſtantiſſimas preces aliquot Epiſcoporum & Theologorum --, qui Concilio aderant, rogantium, ne hac vice propter notam, quæ inureretur NN. hoc Decreto, illud ederent, ſed ſuperſederent, & ad aliud tempus illud rejicerent, Concilium ſuperſedit, & Decretum illud non vulgavit. Ita habetur in illis Actis, quæ diligentiſſime legi, & hæc tunc exſcripſi.* Idem refert. Hieron. Ormachea in Cant. Proleg. 3. item Niremberg. & Velaſquez; quin facti ejusdem in Diſput. pro Verit. Immac. Concept. ad Synod. Trident. in Præfat. meminit Ambroſ. Catharinus, qui ipſe Concilio interfuit, ac fatetur ingenue: ſibi quoque non fuiſſe viſum, ut Decretum illud ederetur, *quod conſultius per tem-*

Digitized by Google

temporum conditionem videbatur, *prius adverſus manifeſtas hæreſes intendere*, *tum illa aggredi*, *quæ inter Catholicos* &c. Quamvis interim Concilium hoc Decretum non ediderit, nihilominus Seſſ. 5. de pec. Orig. ſub finem declaravit: *non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc Decreto*, *ubi de peccato originali agitur*, *Beatam & immaculatam V. Mariam*; inſuper obſervandas eſſe Conſtitutiones Sixti IV. ſub pœnis in eis contentis, quas ſimul innovavit.

Poſt Tridentinum (ut prætercam alia) Alexander VII. in Conſtitut. *ſolicitudo omnium*. An. 1661. edita, innovat, & ſub cenſuris obſervari mandat Decreta prius facta *in favorem ſententiæ aſſerentis*, *animam B. M. Virginis in ſui creatione*, *& in corpus infuſione Spiritus S. gratia donatam*, *& a peccato originali præſervatam fuiſſe &c.* Peculiare item eſt, quod Gregorius XV. per Decr. *Sanctiſſimus*. An. 1622. die 24. Maji præceperit omnibus, *ut in SS. Miſſæ Sacrificio ac divino officio celebrandis*, *tam publice*, *quam privatim*, *non alio* (non proinde *Sanctificationis* tantum, quod aliqui faciebant) *quam Conceptionis nomine uti debeant.* Jure demum nominandus nobis & hodie fel. reg. S. P. BENEDICTUS XIV. ſolemni Decreto in Conſiſtorio An. 1742. die 26. Nov. edito præcipiens: *ut Capella Pontificia*, 8. Dec. *in honorem Immaculatæ Virginis quotannis celebranda*, *cæteris annumeretur.* Quo quidem quantum in piæ hujus ſententiæ favorem præſtiterit, unus ille ignorat, qui, quid Capellæ Pontificiæ nomine veniat, eſt neſcius. Certe Immac. Conceptionis Feſto (a quo pro eadem graviſſimum eſt argumentum) jam antea a Pontificibus inſtituto & varie ornato ſummam impoſuit manum: ut jam ad ejus ſolemnitatem nihil ultra deſiderari queat.

II. Quod ad claſſem alteram attinet, haud diffiteor: Pon- 124

tificiis decretis cautum eſſe, ne Immac. Conceptionis adverſarii hæreſeos, peccati mortalis, aut impietatis cenſura notentur, eo quod cauſa hæc nondum ſit decretorio Eccleſiæ judicio definita; at fatendum una, arctos admodum iis conſtitutos eſſe limites, ut vix reperiant, quo vel paſſu uno progrediantur. Nimirum Sixtus IV. in ſupra laud. Bulla, *Grave nimis.* eorum *aſſertiones*, quibus hæreſeos vel erroris rei dicuntur Immaculatam B. V. Conceptionem tuentes, aut ejus Feſtum celebrantes, *tanquam falſas & erroneas damnat una cum libris id continentibus:* ſimulque ſub excommunicatione Pontifici reſervata prohibet, ne quid ejusmodi deinceps *prædicetur, doceatur, ſcribatur, aut* id genus *libri pro veris legantur, teneantur, vel habeantur.* Amplius præſtitit Paulus V. in Decr. *Sanctiſſimus.* An. 1617. edito, *præcipiens omnibus, ut in poſterum -- non audeant in publicis Concionibus, Lectionibus, Concluſionibus, & aliis quibuscunque Actibus publicis aſſerere, quod B. V. fuerit concepta cum peccato originali;* contrafacientes ſimul declaravit ſubjacere pœnis & cenſuris, ipſo facto incurrendis.

A publico ad privata etiam progreſſus Gregorius XV. in Decr. *Sanctiſſimus* priore N. laudato: in quo Pauli V. prohibitionem *extendit etiam ad privata colloquia & ſcripta, præcipiens, --ne etiam in ſermonibus & ſcriptis privatis audeant aſſerere, quod B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali: nec de hac opinione affirmativa aliquo modo agere, ſeu tractare;* quamvis ſubinde idem Pontifex eodem Anno, die 28. Jul. per Declaration. quandam *Fratribus Prædicatoribus* indulſerit, *ut de materia ejusdem Concept. B. V. Mariæ in privatis colloquiis inter ſe duntaxat, & non inter alios, diſſerere & tractare licite poſſint.* Hoc idem Gregorii XV. Decretum, ac etiam reliquas Anteceſſorum Conſtitutiones editas *in favorem ſententiæ aſſerentis,*

ani-

Digitized by Google

animam B. Virginis in ſui creatione , & in corpus infuſione Spiritus S. gratia donatam , & a peccato originali præſervatam fuiſſe, ſub pœnis & cenſuris jam alias latis innovat , & obſervari mandat Alexander VII. in Conſtit. *Solicitudo omnium.* facta An. 1661. die 8. Dec. & quidem (ut præmittit) contra eos nominatim, qui auſi ſunt *tum privatim , tum publice præfatam ſententiam aut impugnare , aut vellicare* &c. Sub finem vero addit , hæc ſe innovare & præcipere omnibus , *non obſtantibus Conſtitutionibus , & Ordinationibus , ac quibuſvis Indultis - - quibuſvis Perſonis* - - in oppoſitum ſcilicet , *quomodolibet conceſſis* &c. ex quo colligunt Theologi , abrogatum videri indultum a Gregorio XV. FF. Prædicatoribus conceſſum , cujus paulo ante meminimus. Novi equidem eſſe quoſdam , qui hanc Alexandri VII. Conſtitutionem non vereantur dicere ſubreptitiam , clanculumque quaſi ab invito Pontifice extortam ; at profecto hæc non ſine injuria , ut conſtat ex ejusd. Pontificis Brevi Apoſt. ad Philippum IV. dato eod. An. 10. Dec. quod recitat Plazza Act. 5. Ar. 2. in Obſervat. ad Teſtim. 17. item ex ejusd. Pontificis ſermone , quo Ludovicum Creſpi a Borgia , Ep. Placentinum, Regis Cath. pro Cauſa Imm. Conceptionis extraord. Oratorem affatus eſt , quemque in Exam. Theol. Par. 5. §. 1. refert noſter P. Everhardus Nidhardus , Hiſpaniar. Reginæ Confeſſarius, dein Cardinalis.

Hæc e multis aliis præliminarium inſtar commemoranda cenſui : quæ an non ea ſint , ut ex merito ad amplectendam piam de Immaculata Virginis Conceptione ſententiam invitent, prudens Lector arbitretur ; ego certe vel his (ſi amantes tamen & volentes poſſunt) compelli etiam me ſentio. Sit itaque

AS-

Digitized by Google

ASSERTIO.

B. V. Maria ſine peccato originali eſt concepta ita, ut ab illo in ſua Conceptione præſervata, & per gratiam Spiritus S. prævenientem in primo creationis animæ, ejuſque in corpus infuſionis momento ſanctificata fuerit.

PEne innumera, quæ hic ſe ultro offerunt, argumenta in compendium cogere, labor & opus eſt; præſtandum id tamen, non tam ut cauſam, totius jam fere Eccleſiæ ſuffragio probatam, vindicemus: quam ne noſtro in Immac. Virginem deeſſe videamur officio. Id vero acturi

125 Argumentum I. petimus ex ipſis S. Literis. Nullum quidem hinc, fateor, clarum in rem noſtram teſtimonium: at ejusmodi non pauca, ut paſſim videre eſt apud Theologos, ex quibus rite arguas, ſi Patres una & rationem in ſubſidium voces.

Tale eſt illud Gen. 3. *inimicitias ponam inter te & Mulierem, -- ipſa conteret caput tuum;* ubi ex communi Patrum & Interpretum ſenſu per *Mulierem* intelligitur B. Virgo: per ſerpentis *Caput* autem ipſum peccatum originale, & ex eo ducens originem diaboli poteſtas in Genus humanum. De primo vel Bernardum audi in Serm. de 12. prærogat. B. V. M. Domin. infra Oct. Aſſumpt. *ipſa eſt quondam a Deo promiſſa Mulier, ſerpentis antiqui caput pede contritura.* De altero Gregor. Nyſſ. Oratione in die Nat. Chriſti, *quod igitur*, inquit, *colliſum eſt caput? illud, quod impio conſilio mortem intulerat, quod morſu mortiferum homini virus injecerat.* Quid ni jam vero ex his ita arguam: inter dæmonem & B. Virginem perpetuam fore inimicitiam, neque eam poteſtati illius unquam ſubjiciendam,

verum

verum de illo penitus triumphaturam teſtatur Deus; atqui, ſi B. Virgo vel uno momento inquinata eſt originali culpa, jam aliquando ſubjecta fuit poteſtati dæmonis, neque ſemper erant inter hunc & illam inimicitiæ, ergo &c.

Tale item eſt illud Angeli ad V. Mariam Luc. 1. *Ave gratia plena;* per quam gratiæ plenitudinem complures PP. intelligunt immunitatem a peccato originali. Ita Fulgentius Homil. de laud. Mariæ ex partu Salvat. inquiens: *cum dixit*, Gratia plena, *oſtendit ex integro iram excluſam primæ ſententiæ;* & D. Bonavent. Serm. 2. de B. ſemper V. Maria, *fuit plena*, inquit, *gratia præveniente in ſua ſanctificatione, gratia ſcilicet præſervativa contra fœditatem originalis culpæ.* Sed libet addere rationem Patrum ſenſui junctam. S. Sophronius ſenior, S. Hieronymi familiaris, in Ep. de Aſſumpt. B. V. M. ad Paulam & Euſtoch. apud. eund. Hieron. Col. 86. *etſi*, ait, *in SS. PP. & Prophetis gratia fuiſſe creditur, non tamen eatenus plena; in Mariam vero totius gratiæ, quæ in Chriſto eſt, plenitudo venit, quamvis aliter.* D. Thomas 3. p. qu. 27. Ar. 1. *rationabiliter creditur, quod illa - - præ omnibus aliis majora privilegia acceperit, unde Angelus ei dicit: ave gratia plena.* Atqui fuerunt aliqui in utero poſt animationem ſanctificati; ex mente igitur Patrum B. V. ita fuit præ omnibus *gratia plena*, ut in ipſo animationis momento jam fuerit ſanctificata. Neque omittendum: Card. Bellarmini *Catechiſmum*, juſſu Clementis VIII. compoſitum, a S. Congreg. Reform. recognitum & approbatum, ab eodem Clemente per Conſtit. *Paſtoralis Romani.* 15. Jul. A. 1598. univerſæ Eccleſiæ uſui propoſitum eſſe, rurſumque poſt Urbanum VIII. ab ipſo hod. reg. BENEDICTO XIV. S. P. per Breve Apoſt. 7. Febr. An. 1742. univerſis commendatum; in hoc autem *Catechiſmo* Par. 2. ad quæſitum: *Quid ſignificat, gra-*

Rrr *tia*

tia plena ? ita reſpondetur : *Domina noſtra gratia plena eſt*, *nam - - nullius peccati macula*, *nec originalis*, *nec actualis*, *aut venialis infecta fuit.*

126 Argum. II. eſt ex Pontificum, Conciliorum, & Patrum ſenſu. Ac de Pontificibus & Conciliis jam dictum eſt a N. 123. ex Patribus etiam aliqui ſuper. N. laudati ſunt : ſuperſunt his addendi e multis aliis pauci ſequentes. Ambroſius Serm. 22. in Pſ. 118. de B. V. ait, quod ſit *per gratiam ab omni labe peccati integra.* Hieronymus in Pſ. 77. verba, *Deduxit eos in nube diei*, nubem hanc dicit eſſe B. Virginem, & addit: *pulchre dixit*, *Diei*, *quia nubes illa non fuit in tenebris*, *ſed ſemper in luce.* Anſelmus L. de conc. Virg. C. 18. *decens erat*, *ut ea puritate*, *qua major ſub Deo nequit intelligi*, *Virgo illa niteret* &c. Auguſtinus L. de Nat. & Grat. C. 3. *excepta S. V. Maria*, *de qua propter honorem Domini nullam prorſus*, *cum de peccatis agitur*, *habere volo quæſtionem ; unde enim ſcimus*, *quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum*, *quæ concipere ac parere meruit eum*, *quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.* Quæ verba accipienda ſunt etiam de peccato originali, & non tantum de perſonalibus, ut colligitur tum ex eo, quod diſerte dicat, *omni ex parte :* tum quod pro ratione afferat, *quæ concipere* &c. Collige nunc, quoad licet, in unum vel laudatorum Pontificum, Conciliorum, & Patrum teſtimonia, ac vide, quantopere piæ huic ſententiæ ſuffragentur.

Mihi animadverſionem unam adjicere viſum eſt. Auguſtinus propter honorem Domini, cum de peccatis ageret, ne quæſtionem quidem haberi voluit de B. Virgine: eandem Tridentinum in Decreto de peccato originali non eſſe ſuæ intentionis comprehendere, diſerte declarat; & unus tamen aliquis illam

illam peccati originalis ream apud animum ſuum denique decernat? fatalem hanc ſententiam evulgaturus etiam forte, niſi repetitis Pontificum edictis, & graviſſimis cenſuris loqui prohiberetur.

Argum. III. ſit a communi Doctorum, & Academiarum 127
conſenſu: *communi* inquam, comparate enim ad hos pauci admodum ſunt, qui contra ſentiunt. Porro

Doctorum agmen ducat ipſe Doct. Angel. D. Thomas, ex merito iſthic a nobis laudandus, ut in ſua *Innocentia Vindicata* ex propoſito oſtendit Cœleſtin. Sfondrati, ex celeb. Ordine S. Benedicti, dein Cardinalis, ipſe quoque D. Thomæ diſcipulus. Nimirum (ut vel unum ex multis adducamus) Doct. Angelicus 1. Sent. diſt. 44. qu. 1. Ar. 3. ait: *poteſt aliquid creatum reperiri, quo nihil purius eſſe poſſit in rebus creatis, ſi nulla contagione peccati infectum ſit; & talis fuit puritas B. Virginis, quæ a peccato originali & actuali immunis fuit: fuit tamen ſub Deo, quatenus fuit in potentia ad peccandum.* Quid clarius? ſed & plura his ſimilia D. Thomæ loca reperies apud cit. Sfondrati, item apud Plazza Act. 7. Art. 1. & 2. Quid jam vero dicam de DD. reliquis? infinitum me utique eſſe oporteret, ſi ſeriem eorum recenſerem. De Joanne Duns Scoto, D. Bonaventura, omnibuſque Ordinis Seraphici, & Societatis noſtræ Doctoribus alioqui conſtat; idem eſt paſſim de aliis, ut omnino peculiari exceptione opus non ſit.

Quin ex ipſo ſacro Prædicatorum Ordine (quamvis complures prioribus præſertim Seculis ab adverſa parte ſteterint) nunquam deerant, qui B. V. ſine omni labe conceptam agnoſcerent, atque etiam eruditis ſuis lucubrationibus profiterentur & propugnarent. Eorum nomina bene longo ordine reci-

tari reperies apud jam memoratos Sfondrati & Plazza, ac præſertim Theoph. Raynaudum Tom. 8. in Opuſc. *Pietas Lugdunenſis.* Atque hos inter leges: Bromiardum, S. Vincentium Ferrerium, Ambroſ. Catharinum, Dominicum Soto, S. Ludov. Bertrandum, Vincent. Juſtinianum, Petrum de Godoy &c. Peculiari ex his memoria digni ſunt tres ævo noſtro ex Ord. D. Dominici Viri ſane quam illuſtres. Alexander Natal. ſcilicet, Doctor. Pariſ. idemque juratus Im. Concept. defenſor, in ſua Hiſt. Eccl. Tom. 7. Sec. 13. & 14. egregie defenſa pia ſententia, demum C. 3. Ar. 23. Schol. 4. ſub finem ad ſuos converſus, *Auctor ſum*, inquit, *FF. meis Prædicatoribus, ut depoſitis antiquæ, & jam antiquatæ opinionis præjudiciis, cujus tenebras S. Spiritus diſpulit, -- communem, pi[illegible] & Eccleſiaſticam ſententiam, ac devotionem erga Immaculatam Deiparæ V. Conceptionem amplectantur, prædicent, & propagare ſtudeant.* Huic ſuccedat emin. Cardinalis Gotti, qui ex propoſito in Opuſc. contra Jacob. Picenin. An. 1719. Bononiæ edito piam hanc ſententiam vindicavit. Demum & Benedictus XIII. qui ſuum de Marianæ Conceptionis cultu ſtudium teſtatus eſt in Proem. Conſtitutionis An. 1727. datæ, qua ſimul *Archi-Confraternitatem* erexit ſub titulo *Conceptionis B. V. M. Immaculatæ.* Quid plura? teſte Ambr. Catharino in Diſp. pro verit. Im. Conc. B. V. ad Syn. Trident. P. 1. Coll. 66. Joannes de Fenario, An. 1532. creatus Magiſt. Generalis Ordin. dicere ſolitus erat: *Dubitandum non eſt, quin illi ipſi priores, ſi nunc nobiſcum in terris agerent, re jam per Eccleſiam patefacta, quanto magis docti & ſancti eſſent, tanto magis eam ſententiam* (de Im. B. V. Conceptione) *ultro amplecterentur.* Hæc commemorare libuit, cum in obſequium magni hujus, & de Eccleſia optime meriti Ordinis: tum ad refellendum errorem quorundam falſo exiſtimantium, eundem Ordinem Immaculatæ Dei-Matris Conceptioni univerſe omnino repugnare.

Sed

Digitized by Google

Sed & luculentum eſt ab Academiarum conſenſu in rem noſtram teſtimonium. Prima omnium nominanda videtur Pariſina, ut quæ non ſatis habuit pro ſuorum Majorum inſtituto Im. V. Conceptionem voce & ſcriptis tueri: ad id præterea (quod ſciam prima) peculiari Sacramento ſe devovit, ut conſtat ex ejusdem Statuto, quod An. 1497. publicatum eſt. Juverit ex eo paucas lineas exſcribere. Ut contra pugnantibus (inquit §. IV.) *reſiſtamus, pro noſtra profeſſione, -- Majorum noſtrorum veſtigia ſequentes, univerſi tertio congregati -- in ejus piiſſimæ doctrinæ - - propugnationem ſpeciali Sacramento conjuravimus, noſque devovimus; ſtatuentes: ut nemo deinceps ſacro huic noſtro Collegio adſcribatur, niſi ſe hujus religioſæ doctrinæ Aſſertorem, ſtrenuumque propugnatorem ſemper pro viribus futurum, ſimili juramento profiteatur.* Inſigne hoc exemplum ſecutæ ſunt mox reliquæ Academiæ, ac Colonienſis quidem ſtatim poſt biennium: tum & Moguntina, noſtra Viennenſis, Complutenſis, Neapolitana, ac ſubinde fere omnes. Ad quem Doctorum & Academiarum conſenſum provocans Catharinus in ſupra cit. Diſput. Par. 1. Tit. *Rationes aliquot* &c. non dubitavit dicere, *recte poſſe exiſtimari*, Digitum Dei hic eſſe. *Qui enim* (continuo adjicit) *fieri potuiſſet, ut etiam celeberrimæ Univerſitates tanto conſenſu in unam ſententiam -- conveniſſent, - - ſi non perſpexiſſent, Deo monſtrante, de Dei Matre ſententiam fuiſſe probabilem, piam, & omni acceptione, ac veneratione digniſſimam?*

Argum. IV. eſt a communi Fidelium ſenſu tam moderno, quam antiquo. 128

Modernum multis probare ſupervácaneum puto: quando ſatis dilucide eum teſtatur per Orbem Catholicum in Immac. V. Conceptionem hodie diffuſa devoti populi pietas; ejusdem Concept. Feſti ubivis recepta celebratio; Miſſæ & officii de

ead. Concept. uſus; Orationis adhæc, *Deus qui per Immaculatam &c.* in qua *ab omni labe præſervata* aſſeritur; Chriſtiana doctrina ex ſupra memor. Catechiſmo Bellarmini fidelibus tradi ſolita; Sodalitia ſub titulo Immac. V. Conc. erecta, & a Pontificibus confirmata; mos paſſim receptus nuncupandi Votum de Immac. V. Conceptione tuenda &c. Jam vero

Eundem fuiſſe etiam antiquitus fidelium ſenſum, illud probat: quod Joanne Duns Scoto ſub initium Sec. XIV. piam hanc ſententiam clarius, magisque, ac unquam alias diſertis verbis proponente (quamvis aliqui ex S. Ord. Præd. graviſſimi Viri acriter reclamaverint) populus Chriſtianus cum ſuis Paſtoribus continuo in eam conceſſerit; jam antea igitur hic idem in fidelium animis latebat ſenſus: ſecus tam prona voluntate ac communiter Scoto non acceſſiſſent. Ita autem rem ſe habere, teſtatur ex S. Ord. Prædic. Joannes a S. Geminiano, qui circa An. 1314. a morte proinde Scoti annum ſextum claruit; ita enim Serm. Funebrium diſt. 2. Conc. 6. monet: *attendat Lector, -- quod ab univerſali hac ſententia* (de incurrendo ſcilicet peccato originali) *uti Modernorum tenet Eccleſia, excipitur V. Maria in Conceptione puriſſima, quæ per gratiam prævenientem præſervata creditur, & colitur.* Simile teſtimonium Joannes Gerſon, eod. Seculo clarus, in Serm. de Immac. B. V. Concept. perhibet his verbis: *dicere poſſumus, hanc veritatem de illis eſſe veritatibus, quæ noviter ſunt revelatæ vel declaratæ -- per majorem partem Eccleſiæ, quæ hoc modo tenet.*

Neque vero deinceps ab hoc pio ſenſu fideles deſciviſſe, docemur teſtimonio Vincentii Juſtiniani, Sec. XVI. ex Ord. Præd. Theologiæ Magiſtri: *jam in Hiſpania* (inquit ille in Addition. ad Vitam B. Ludov. Bertrandi C. 3. §. 15.) *in Indiis, Gallia, totaque pene Europa contra piam opinionem* (de Im. V. Con-

Digitized by Google

Concept) *aut ſcribere, aut docere, aut concionari velle, nihil aliud fuerit, quam male canere, -- & occaſionem dare, ne illud Terentii eis occinatur: Fruſtra niti - - extremæ dementiæ eſt.* Altero dein Seculo, nempe XVII. in ſua Conſt. *Solicitudo omnium.* Alexander VII. S. P. ita ſcribit: *Vetus eſt Chriſti fidelium erga V. M. pietas, ſentientium, ejus animam in primo inſtanti creationis -- fuiſſe a macula peccati originalis præſervatam; crevitque horum numerus &c. Aucta rurſus & propagata fuit pietas hæc, -- ita ut, accedentibus quoque pleriſque celebrioribus Academiis ad hanc ſententiam, jam fere omnes Catholici eam complectantur &c.*

Argum. V. denique ſit a rationibus theologicis; ex omni- 129
bus autem adducam duntaxat duas, easque ex ipſo D. Thoma petitas: cum contra eos potiſſimum ſit agendum, qui hoc S. Doctore ſe tuentur.

Nimirum 1*mo* Doct. Ang. 3. p. qu. 27. Ar. 4. ait: B. *Virgo non eſſet idonea Mater Dei, ſi aliquando peccaſſet, quia - - ignominia Matris in Filium redundaſſet;* cum igitur idonea Mater fuerit, nunquam peccavit: at peccaſſet aliquando, ſi culpam originalem vel uno momento contraxiſſet, ergo &c. At forte de ſolo actuali perſonali peccato locutus iſthic Angelicus? mimime: nam generatim loquitur; ex hoc deinde principio a veniali etiam culpa liberam pronunciat; potiore igitur jure ab originali: hæc quippe, non illa, B. Virginem reddidiſſet inimicam Dei, ſervam dæmonis, filiam iræ &c. Qui igitur ex mente S. Doctoris non fuiſſet idonea, ſi peccaſſet venialiter: idonea tamen, ſi peccato originali aliquando ſubjiceretur?

Dein 2*do* idem Angelicus 3. p. qu. 27. Ar. 1. pro certa regula ſtatuit, *Eccleſiam non celebrare Feſtum, niſi pro aliquo Sancto;* at celebrat Feſtum de Conceptione, & quidem ex præ-

cepto,

cepto, ac intelligendo hoc nomine primum animationis momentum, ut conſtat ex Pontificum decretis; ergo ex ſenſu D. Thomæ & Eccleſiæ B. Virginis Conceptio fuit *Sancta*: ſi Sancta, ergo ab omni peccato immunis. Hoc certe ibid. argumento (ſecutus nempe D. Bernardum in Ep. ad Lugdun.) probat. B. Virginem fuiſſe natam ſine peccato originali: quia ſcilicet *Eccl ſia ejus Nativitatem celebrat.*

Plura id genus momenta ex D. Thomæ placitis refert in Op. ſupra laudato Card. Sfondrati, ſimulque adverſariorum effugiis occurrit. Nos (ut hactenus dicta in unum veluti colligamus) ſatis habemus pro coronide illa doctiſſ. Cardinalis recitare verba, quibus ſuum ex Ord. Præd. amicum, contrariæ opinionis Aſſertorem, ita ſub finem Præfat. affatur. *Si ergo & pietatis intereſt, & veritas urget tam clare propoſita; & Eccleſiæ exempla invitant; & tui quoque Doctores diſerte profitentur; & dignitas Virginis, amorque ei debitus exigunt; & nec Patres, nec Angelicus noſter repugnant, imo impenſiſſime favent; quid cunctaris, tibi, Virginique pacem donare? Clamant omnia Templa, clamant omnia ſuggeſta, omnes Academiæ, omnes calami, omnes linguæ, omnes Pontifices, & Immaculatam, ac lilio candidiorem dicunt; cur ergo nodum in ſcirpo, & maculas in ſole hoc quæris? Jam omnia ſuffragia convenere pro Virginis integritate, - - ut accedas Eccleſia rogat, præit.*

Adverſariorum momenta diluuntur.

130 OPpon. ex S. Literis. I. Omnes generatim in his dicuntur peccatum originale contraxiſſe; nam Job. 24. *nemo mundus a ſorde, neque infans* &c. & ad Rom. 5. *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, - - in quo omnes peccaverunt;* ergo & B. V. his generalibus locutionibus eſt comprehendenda. Ac revera

II. Quis

II. Quis B. Virginem ab illis excludat, quam Scriptura non excipit? imo quam includit vel ideo, quod ſolum Chriſtum ab omni peccato fuiſſe immunem aſſerat juxta illud ad Hebr. 7. *talis decebat ut nobis eſſet Pontifex, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus.*

Reſp. ad I. N. Illationem. Numquid enim perinde generatim ad literam dicitur Eccli. 40. *omnia, quæ de terra ſunt, in terram revertentur;* ad Rom. 3. *omnes ſub peccato eſſe, -- non eſt juſtus quisquam;* item Jac. 3. *in multis offendimus omnes;* his tamen (ut Eccleſiæ perſuaſum eſt) non comprehenditur B. Virgo, ut quæ poſt mortem fuit incorrupta, nunquam rea vel venialis culpæ, minus mortalis, qua deſiiſſet eſſe juſta; cur ergo comprehendatur illis ſolis, quæ peccati originalis meminerunt? Relinquunt illæ exceptioni locum, cur non & hæ? Scripturæ igitur verba, quibus peccatum originale ad omnes tranſiiſſe memoratur, in ſenſu reſtricto, *excepta ſcilicet B. Virgine*, accipienda ſunt conformiter ad illud Eſth. 15. *Non morieris, non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.* Reſtrictionis porro hujus fundamentum petitur tam ex ipſa Scriptura, quam ex cæteris momentis, quibus pro Aſſertione a N 125. pugnatum eſt.

Reſp. ad II. Quis imo Virginem includat, quam (ut patet ex N. paulo ante cit.) Scriptura excipit? At non excipit aperte, inquies: ſed nec aperte includit, repono. Ubi præterea illam aperte excipit ab omni peccato actuali, & corruptione? propterea tamen licet eam aſſerere omnis actualis peccati expertem, a morte incorruptam & in Cœlos aſſumptam; ergo etiam &c. Sane (ut recte notant Theologi) ſi præter Scripturam dicendum foret aliquid, æquius utique fuerit Dei

Digitized by Google

Matrem præter Scripturam abſolvere, quam præter Scripturam damnare. Neque urgent quidquam Apoſtoli ad Hebr. verba: non enim dicit *excluſive* ſolum Chriſtum caruiſſe peccato omni. Diſcrimen præterea inter Chriſti & ejus V. Matris immunitatem a peccato non unum eſt: immunis ille fuit non ſolum vi unionis hypoſtaticæ, ſed etiam vi generationis ſupernaturalis, & quidem ita, ut nullo penitus ſenſu in Adamo peccaverit; at B. Virginis immunitas erat ſolum ex meritis Chriſti, & ſpeciali privilegio: eademque aliquod culpæ originalis incurrendæ debitum, ſaltem improprie tale, contraxit, ut ſequ. §. dicetur.

131 Oppon. item ex Patribus. I. Ambroſius L. 2. Comment. in Lucam ait: *ſolus per omnia ex natis de fœmina Sanctus Dom. JESUS eſt, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus novitate non ſenſerit.* Auguſtinus L. 5. contra Julian. *ſi ſine dubio caro Chriſti non eſt caro peccati, ſed ſimilis carni peccati, reſtat, ut intelligamus, niſi ea excepta, omnem reliquam humanam carnem eſſe peccati.* En! uterque ſolum Chriſtum ab omni peccato excipit.

II. Clarius eſt, quod S. Bernardus in Ep. 174. ad Lugdunenſes graviter eos reprehendat, ob Feſtum Immac. Concept. in ſua Eccleſia inſtitutum; quin & ibidem, contra illos multis pugnans, diſerte dicat B. Virginem non fuiſſe ſanctificatam *in ipſo conceptu propter peccatum, quod inerat.*

III. D. Thomas (præter alia loca, quorum præcipua quindecim in Innoc. Vindic. §. 11. collegit Sfondrati) 3. p. qu. 27. Ar. 2. ad 2. ait: *ſi anima B. Virginis nunquam fuiſſet peccati originalis contagio infecta, hoc derogaret dignitati Chriſti, ſecundum quam eſt omnium hominum Salvator. -- Chriſtus non*

con-

Digitized by Google

contraxit peccatum originale, ſed B. V. contraxit quidem peccatum originale, ſed ab eo fuit mundata, antequam ex utero naſceretur. Sane his apertius nihil dicere potuit contra Immaculatam Dei Matris Conceptionem, ut ea nunc propugnatur.

Reſp. I. generatim. Patres, per quos nullus eſt immunis ab omni peccato præter Chriſtum, congrue dixeris loqui tantum de immunitatis modo, qui ſoli Chriſto competit: ſolus quippe ille etiam vi ſuæ generationis fuit immunis; ſolus præterea immunis erat etiam a debito remoto peccati incurrendi. Alii vero, qui aſſerunt B. Virginem non fuiſſe ſanctificatam in conceptione, probabilius hoc nomine intelligunt non *animationem*, ſed conceptionem mere inchoatam, quæ *ſeminalis* dicitur: at de hac non eſt nobis quæſtio, cum in id genus conceptu, anima nondum exiſtente, locus non ſit ſanctificationi. Si qui nihilominus ſint forte penitus nobis contrarii, officere nequeunt: quia paucis prævalent plurium Patrum teſtimonia; ac ſi hæc etiam deforent, prævalere debet Pontificum & communis fidelium ſenſus, præſertim poſt hanc quæſtionem accuratius & ex propoſito toties diſcuſſam. Cœterum, quod ſciam, nullus e Patribus proferri poteſt indubitatus piæ hujus ſententiæ adverſarius. Tales certe non ſunt illi, qui in Object. laudantur, ut jam videbimus. Hinc

Reſp. II. in particulari, & quidem ad I. Ambroſius non plus vult, quam ſolum Chriſtum (quamvis & ipſe aliqua ratione ex Adamo deſcenderit) vi generationis extraordinariæ ita immaculatum fuiſſe, ut per illam nullum omnino culpæ debitum incurrerit; illud vero ſatis innuit illis verbis, *per omnia ſanctus*: item, *partus novitate.* Certe ex ſenſu Ambroſii (vide ſupra N. 126.) fuit B. Virgo *ab omni labe integra:* quomodo autem, ſi aliquando peccati labe maculata? Eadem

ratione exponendus eſt Auguſtinus, ſi tamen *in omni reliqua humana carne*, quam ait *eſſe peccati*, etiam B. Virginem includat: præſertim cum paulo ante cit. N. proteſtetur, *excipere ſe B. Virginem*, imo *ne quæſtionem quidem ſe velle de illa habere*, cum de peccatis agitur. Atque hæc exceptio, ut pote generatim ab Auguſtino facta, pluribus ejusdem locis eſt ſubjicienda; ut cum e. g. in Enchir. C. 6. ait, *nullo excepto parvuli naſcendo peccatum traxerunt*; tu continuo adde: attamen *excepta B. Virgine*, de qua Auguſtinus quæſtionem habere noluit, imo eam univerſim excepit. Ac profecto niſi hac exceptione, ſemel ab Auguſtino generatim facta, plures ejus ſententiæ reſtringantur, dicendum erit (ut vel ex nunc cit. loco patet) in peccato natam eſſe B. Virginem, item Joannem Bapt. & Jeremiam; id quod tamen a mente S. Doctoris fuit, imo eſſe debuit alienum.

Reſp. ad II. Lugdunenſes fuiſſe a S. Bernardo reprehenſos nominatim propterea, quod Sede Apoſtolica inconſulta Feſtum inſtituerint: *ſi ſic videbatur* (inquit in ead. Ep.) *conſulenda erat prius Sedis Apoſt. auctoritas* &c. Dum autem ibid. negat B. Virginem fuiſſe ſanctificatam *in ipſo conceptu*, hoc nomine intelligit *conceptionem ſeminalem*, non vero *animationem*. Patet id ex Epiſtolæ contextu: *Unde*, inquit, *conceptioni ſanctitas? - - an forte inter amplexus maritales Sanctitas ſe ipſi conceptioni immiſcuit? - - aut S. Spiritui ſocietas cum peccato fuit? aut certe peccatum quomodo non fuit, ubi libido non defuit?* &c. Hæc, ut vides, indicant primam prolis conceptionem, in qua amplexus maritales, libido & peccatum; hanc ergo conceptionem negat fuiſſe ſanctam: de altera, quæ *animatio* dicitur, ne verbo meminit.

Hæc ipſa imo Epiſtola ex ſenſu D. Bernardi probat Immacula-

cula-

Digitized by Google

culatam Deiparæ Conceptionem. Etenim 1*mo*, ibidem Sanctam fuiſſe ejus Nativitatem & Aſſumptionem profitetur propterea, quia tum utriuſque Feſtum celebrabatur in Eccleſia: *Hæc mihi*, inquit, *de illa cantat Eccleſia*, *& me eadem docuit cantare; ego vero*, *quod ab illa accepi*, *ſecurus & teneo*, *& trado;* atqui jam nunc perinde in Eccleſia celebratur Feſtum Immac. Conceptionis; igitur ex mente D. Bernardi ſanctum & immaculatum Virginis M. conceptum jam nunc nobis cantat Eccleſia: nos vero, quod ab illa accipimus, ſecuri tenemus & tradimus. Deinde 2*do*, eandem Epiſtolam ita concludit: *quæ autem dixi*, *Rom. Eccleſiæ auctoritati & examini totum hoc reſervo; ipſius*, *ſi quid aliter ſapio*, *judicio paratus emendare*. Quid ni ergo Bernardus, ſi nunc viveret, & Feſtum Immac. Conceptionis per Eccleſiam receptum, imo præceptum videret: legeret adhæc faventia tot Pontificum diplomata &c. quid ni inquam, *ſi quid* forte *aliter ſapuit*, *emendaret?*

Reſp. ad III. Quamvis forte D. Thomas illibato Deiparæ conceptui videatur aliquando adverſari: at eidem quandoque (etiam graviſſimorum ex S. Ord. Præd. Doctorum judicio) haud obſcure ſuffragatur, ut patet ex textu a nobis N. 127. relato, pluribusque aliis apud Sfondrati & Plazza; cur non ergo potius ei accedamus, cum Dei Matri favet, quam cum adverſatur? an minori fide dignus, dum eam abſolvit, quam cum damnat?

Sed nec damnat uſpiam. Si quæ enim ex Operibus S. Thomæ proferantur loca, Immaculatæ V. Conceptioni aperte adverſantia, jure ſuſpecta ſunt: quando (præter alios) Sfondrati non dubitat aſſerere, S. Doctoris de Concept. Immac. ſententias corruptas fuiſſe, id quod etiam §. 11. multis probat. Quoad reliquos autem textus, de quorum fide conſtat,

lum per hoc *peccatum intravit mors*; atqui V. Mater mortem oppetiit; ergo & peccatum originale contraxit.

III. Tametſi hæc controverſia toties ad Eccleſiæ tribunal delata fuerit, nunquam tamen pro immaculato Virginis conceptu Eccleſia quidquam definivit ; haud fuerit igitur conſentaneum a privatis quibuslibet tanta fiducia pronuntiare ſententiam.

Reſp. ad I. D. Maj. certum eſt fuiſſe redemptam redemptione *præſervativa* C. etiam *curativa & liberativa* N. idem eſt de Min. ſi peccatum non contraxit, non eſt redempta redemptione *liberativa* C. nec *præſervativa* N. ſimul & Illation. Non eſt igitur B. V. redempta eo ſenſu, quaſi liberata fuerit a peccati captivitate, in quam aliquando inciderit; verum eo duntaxat, quod ex meritis Chriſti Redemptoris præſervata ſit, ne unquam incideret: ad hujusmodi ſcilicet *redemptionem præſervativam*, (hæc vero priori eſt multo nobilior, ac vel ideo Dei Matri convenientior) non requiritur prævium peccatum, ſed *debitum* tantum, vel *potentia* peccatum incurrendi. Neque hæc arbitrarie : hujus enim præſervativæ redemptionis frequens mentio eſt in Scriptura, & Patribus. Ita Pſ. 43. David de ſe ipſo ad Deum ait : *qui redemiſti David de gladio* Goliathi, & 85. *eruiſti animam meam ex inferno;* neque tamen unquam David aut gladio Goliathi ſuccubuit, aut in infernum devenit: quid igitur ? utriuſque ſubiit periculum; atque ab hoc ſe redemptum, ex hoc erutum profitetur. Inde Auguſtinus in cit. Pſ. 85. *liberavit te ab ægritudine, non in qua eras, ſed in qua futurus eras.* Et Bernard. Serm. 22. ſuper Cant. Num. 5. & 6. ex propoſito defendens, Chriſtum fuiſſe Redemptorem non tantum hominum, ſed & Angelorum, hæc habet : *qui erexit hominem lapſum, dedit ſtanti Angelo, ne laberetur; ſic illum de captivitate eripiens, ſic hunc a captivitate defendens: & hac ratione fuit utrique Redemptio, ſolvens illum, & ſervans iſtum.* Reſp.

Digitized by Google

Reſp. ad II. D. Maj. mors eſt pœna (intellige, *proprie ſumpta*) in iis, qui peccatum originale contraxerunt C. etiam in eo, qui ab omni peccato fuit præſervatus N. dein Min. admiſſa, N. Illation. Cur igitur, inquies, Dei Mater mortua eſt? alii iſtud referunt ad proximum, vel ſaltem remotum debitum peccati; alii eo, ut aſſimilaretur Filio mortem ſubeunti. Illud poſt Baji propoſ. 73. damnatam, certum: non eſſe mortuam *propter peccatum ex Adam contractum*. Mihi videtur dicendum: B. Virginem eſſe mortuam vel ex naturali hominis conditione, in qua Deus omnes Adæ poſteros *poſt illius peccatum* naſci voluit; vel mortuam eſſe *ob Adæ peccatum* hoc ſenſu, quod Deus propter peccatum ab Adamo commiſſum omnibus ejus poſteris donum immortalitatis, alioqui mere gratuitum & indebitum, penitus ſubtractum voluerit: non excepto proinde etiam illo, quem a peccato originali, aut etiam ejus proximo debito præſervat. Quidvis, horum dixeris, ſalva manet Apoſtoli ſententia: *per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit.*

Reſp. ad III. C. Ant. N. Illationem. Cur enim propterea id non ſit conſentaneum? quando novimus multas alias ſententias ad fidem & mores pertinentes acriter propugnari ut certas, tametſi de illis Eccleſia nihildum pronuntiaverit. Certa eſt adverſariis Præmotio phyſica: ubi autem Eccleſiæ judicio definita?

Cæterum obſerva. Licet ſententia Immac. V. Conceptui favens non ſit definita *expreſſe* & *formaliter*, dici tamen poteſt definita *virtualiter*. Nimium hoc! inquies. At certe ad mentem graviſſimorum Doctorum, quorum (ut videre eſt in BENEDICTI XIV. erud. Op. de Serv. Dei Beatif. L. I. C. 45.) non pauci exiſtimant, formalem Sanctorum Canonizationem eſſe definitionem de fide Sanctitatis ipſorum. Quid ni igitur in-

inferre liceat? ergo virtualis Canonizatio Sanctorum eſt virtualis definitio eorum ſanctitatis; atqui per nunc laud. Sum. Pontificem eod. L. C. 41. Canonizatio *æquipollens*, ſeu virtualis eſt, cum Pontifex non tantum permitit, ſed etiam (citra formalem ſententiam definitivam Sanctitatis) mandat, ut aliquis Dei Servus, jam e vivis ſublatus, ab univerſa Eccleſia die deſignato colatur per Officii recitationem & Miſſæ celebrationem: iſtud vero conſtat factum de Immac. V. Conceptione; ergo ex ſenſu ejusd. erudítiſſimi Pontificis virtualiter cononizata eſt Imm. V. Conceptio; ergo ſimul ex graviſſimorum Doctorum ſententia eſt virtualiter definita. Quid? quod eadem in proximo fuerit ad definitionem formalem, ut ſupra N. 123. ex Actis Conc. Tridentini retulimus; concluſum jam erat, jam conceptum Decretum: ſupererat, ut ederetur, ut vulgaretur. Ne id *hac vice* fieret, pauci interceſſerunt; ad horum igitur preces non eſt vulgatum Decretum: neque tamen penitus, ſed *ad aliud tempus* duntaxat rejectum, ut petebatur.

Si denique urgeas. Definitio virtualis illa apud multos eſt controverſa: Tridentini PP. vero, quamvis in proximo fuerint, ut definirent, ceſſerunt attamen; nihil igitur adhuc certi Eccleſia pro Virgine M. decidit. *Eſto* (libet rurſum toties nobis laud. Sfondrati in Præf. ſui Op. ad Amicum verbis reſponſum concludere) *Eſto*, non decidit: *ſed neque contra Virginem; imo invitat, rogat, colit, exemploque ſuo omnes Fideles provocat, allicitque, ut veneremur ſine macula conceptam. Si ergo ſine Eccleſia Deiparam V. originalis culpæ damnas, cur non potius cum Eccleſia a peccato abſolvis? Quid expectas imperium, cum exempla provocent? Matrem agit Eccleſia, non Dominam; & ideo ſufficit exemplo præiviſſe, quamvis imperio ceſſante. Quid imperium & præceptum quæris, cum de voto Eccleſiæ conſtet?*

Corollarium

De Voto immaculatum V. Mariæ conceptum tuendi uſque ad Sanguinem.

133 FIdelium erga V. ſine labe conceptam pietas eo uſque temporis progreſſu crevit, ut jurata etiam fide, ac interpoſito Voti ſacramento ad tuendam illam ſe ſe obſtringerent. Iſtud porro Marianæ pietatis officium etiam Sedi Apoſtolicæ probari (ut omittam alia) vel illud ſatis docet: quod Clemens XII. per Conſt. *Imperſcrutabilis*. An. 1730. editam Cervarienſis in Cathalonia Academiæ leges *de verbo ad verbum* approbaverit; has vero inter Tit. 26. hæc habeatur: *Candidati* graduum Academicorum *jurabunt ſe Immac. B. V. Conceptionem - - ſtrenue propugnaturos* &c. unde hoc voti aut juramenti genus a nemine jam controvertitur. Sed enim fidelium pietas ultro progreſſa eſt: erant, ſuntque etiamnum aliqui, qui præterea conceptis verbis ſpondeant, piam hanc de Im. V. ſententiam uſque ad vitæ & ſanguinis profuſionem ſe tuituros. Ita nominatim in Academiæ Granatenſis An. 1617. præſcripta formula, poſt juratam piæ ſententiæ defenſionem, additur: *Et pro hac piiſſima veritate ſanguinem (ſi oportuerit) profundere, & mortem ſubire non recuſabo.* Atque hoc votum (idem eſt de juramento) nuper controverſiam ſubiit, ut jam dicemus.

Refertur hujus argumenti controverſia a Lamindo excitata.

134 I. ANtonius Muratorius, hoc Seculo ab eruditione clarus, ſub nomine Lamindi Pritanii An. 1722. ſcripſit *de ingenior. Moderat. in Religion. negotio*; ubi per occaſionem L. 2. C. 6. improbat votum de Im. V. Concept. tuenda uſque ad profuſionem vitæ & ſanguinis. Continuo nactus eſt adverſarios;

rios; quibus ut reſponderet, edidit L. *de ſuperſtitione vitanda* ſub nomine Antonii Lampridii: ac rurſum pro hujus L. appendice *Epiſtolas* ſub nomine Valdeſii. Utrobique opinioni a Lamindo inſinuatæ inſiſtit, non dubitans votum, quod impugnat, dicere *imprudens*, *ſuperſtitioſum*, & (per contemptum quendam) *Sanguinarium*. Quo ſe porro contra impugnantes tueatur, eo potiſſimum provocat: quod pia de Im. V. Concept. ſententia non ſit certa, ſed probabilis tantum; a prudentia autem & vera pietate alienum eſſe, pro id genus ſententia (quæ ſcilicet hoc ipſo eſſe poteſt falſa) velle vitam ponere.

II. Hac ſui defenſione, ſimulque repetita Voti impugna- 135
tione plures in ſe concitavit Lamindus, validius, atque antea, a multis laceſſitus. Prætereo alios: nominaſſe ſatis habeo noſtrum Bened. Plazza, qui id ordine quidem (quod ſciam) poſtremus, at cæteris copioſius præſtitit. Ut enim adverſarii præcipuum (quod unum ex propoſito egit) ſubverteret fundamentum, peculiari Commentario, de *Cauſa Immac. Concept. SS. Dei Matr. Mariæ* An. 1747. vulgato, multis ac dilucide veritatem comprobat piæ ſententiæ: ejusdem ſubinde in *Concluſione Cauſæ* ex jam præmiſſis oſtendit certitudinem theologico-moralem, & definibilitatem proximam; toto adhæc Op. ſparſim impugnatoris lapſus detegit: ac etiam, quaſi per occaſionem, Act. 7. Ar. 3. in Obſerv. ad Teſtim. 5. contra Lamindi opinionem ita cauſam dicit, ut (ſi rem aſſequor) evincat. Jure igitur

Rejicitur opinio Lamindi.

ADeo conatu ſuo, etiam in comitatu Lampridii & Valdeſii, 136
non profecit Lamindus, ut potius hoc ſpeciale Votum, antehac (quod obſervat laud. Plazza) non adeo frequentatum,

amplius frequentandum perſuaſerit. Scilicet cum utriuſque partis proferrentur momenta copioſius, expendebantur conſideratius; his vero invicem collatis, viſum denique: Votum de Im. V. Concept. etiam ad Sanguinem uſque tuenda eſſe prudens, religioſum, laudabile, ac licitum. Et merito quidem; etenim

I. Quod impugnatori injecit ſcrupulum, erat: piam de Im. Concept. ſententiam eſſe tantum probabilem, non certam. At qui iſtud? non eſt equidem certa certitudine fidei: eſt tamen ita moraliter certa, ut etiam ſit proxime definibilis: quod utrumque graviſſimi Theologi docent, ac vel momenta a nobis hoc §. allata ſatis evincunt. Dum igitur hæc evertantur, certitudinis poſſeſſionem retinet pia ſententia. Si autem certa, unde hoc Votum imprudens? unde ſuperſtitioſum? Præterea

II. Qui piam hanc ſententiam ſe tuiturum ſpondet, utique firmiter ſibi perſuadet eſſe veram; ſi igitur (necem forte intentante alio) ab ea diſcedat, ac metu mortis affirmet B. V. fuiſſe in ſuo conceptu peccati labe maculatam, numquid non loquitur contra proprium judicium? an non dicit teſtimonium (ut ipſe judicat) falſum? iſtud vero nunquam eſt licitum; ergo ab oppoſito &c.

III. Perinde ac virtutem aliam indubitatam, e. g. caſtitatis, ſic & nominatim *Pietatis* virtutem licitum ac laudabile eſt, interpoſita etiam voti religione, tueri uſque ad ſanguinem; atqui pietatem utique tuetur, qui tuetur hanc ſententiam: ut quæ *Pia* eſſe declarata eſt a Pontificibus, ac pro tali habetur in Eccleſia; rurſum ergo &c. Denique

IV. Piam hanc ſententiam ſuſtinenti (ut notat Plazza) non poteſt aliunde mortis periculum imminere, quam ab impio Tyran-

Digitized by Google

ranno, qui necem ſcilicet comminetur, niſi & contra legem Pontificiam, & contra votum ſerio aſſeras, B. Virginem in ſuo conceptu peccati labe maculatam fuiſſe. Quorſum vero hæc Tyrannus? an non prudenter præſumitur id imperare ex odio & contemptu legis Pontificiæ, vel voti, vel ſaltem pii ſenſus & cultus Im. Conceptionis? cum igitur hujusmodi contemptus & imperium ſint ex ſe ac intrinſece mala, ne illis obſecundemus, mors potius eſt eligenda.

Atque ex his una confici videtur: quod licet votum ſimpliciter prolatum (ut docet Suarez de Voto L. 4. C. 20.) ex ſe non obliget imminente mortis periculo; ſimplex nihilominus votum, prout communiter de Immac. V. Conceptione tuenda concipitur, ad mortis uſque diſcrimen & ſanguinis etiam profuſionem obliget, ſaltem ita, ut obligatio ſit defendendi illam *defenſione negativa*, hoc eſt, non abnegandi. Iſtud porro, præter momenta jam adducta, & illud ſuadet: quod in hoc ſimplici Voto non alia fiat exceptio, quam, *Donec aliter a Sede Apoſt. definitum fuerit.*

Occurritur quibusdam Lamindi effugiis.

Argumenta, quibus hoc Votum ſubinde, ſeu Lampridii ſeu Valdeſii larvam indutus, impugnavit, ſingillatim referre longum foret; idque præterea neceſſum non eſt, cum ad infirmandam potiſſimum piæ ſententiæ certitudinem referantur, his vero ſatis occurri poſſit ex jam adductis toto hoc §. momentis. Solum igitur ejus aliqua e multis commemoranda cenſui effugia: quo pateat, haud firmo pede illum ſuæ opinioni inſtitiſſe.

I. Supervacaneam putat eſſe curam in propugnanda hujus 137

piæ ſententiæ certitudine, ac vel ideo ſuperſtitioſam pietatem Voto etiam *Sanguinario* illam tueri velle. Cur ita? quia (ut ait ſub nomine Lampridii de Superſt. vit. C. 5.) *Sancta & Sanctiſſima ſemper fuit -- B. Parens Salvatoris noſtri, ſive fuerit, ſive non fuerit concepta ſine originali peccato.* Mirum! quando, ſi cum originali peccato concepta, jam utique aliquando *Sancta* non fuit, primo ſcilicet vitæ ſuæ momento. At enim ſub nomine Valdeſii Ep. 10. cenſet *non incongruum fore cogitare, B. Virginem in eodem primo inſtanti ſuæ conceptionis contraxiſſe labem, & ſanctificatam fuiſſe;* quam in rem ad Suarezium provocat. Verum ſecernere Valdeſium oportebat peccati debitum a peccato; poteſt eodem inſtanti debitum peccati cum gratia conjungi, quod unum vult Suarezius: at ipſum peccatum poſſe componi cum gratia, commentum eſt, jam nunc communi Theologorum ſuffragio rejectum.

138 II. Si certa adeo (urget Lampridius) de immaculato V. conceptu ſententia, cur ex Theoph. Raynaudi L. de Mart. per peſt. juſſu S. Congreg. Indicis expungenda fuerunt hæc verba: *eum futurum Martyrem, cui mors intentaretur, ſi piam ſententiam de Conc. B. V. Immac. non improbaret, iſque mallet mortem prius acceptare eam ob cauſam, & re ipſa eam acceptaret.* Ita res omnino habet, ipſo Raynaudo Tom. 20. in Correct. facta a Congr. Ind. illud referente: quin & deinde verba hæc expuncta fuiſſe, patet ex Tom. 18. edit. Lugdunenſis. Quid igitur? multa hic ajo dici poſſe; nunc ſufficiat: hanc Cenſorum Romanorum animadverſionem ad nos non pertinere, ut qui ſolam memorati Voti pietatem propugnamus, non etiam Martyrii prærogativam.

Obſervatu attamen dignum, a Cenſoribus Romanis in eod. L. de Mart. per peſt. C. 3. edit. Lugd. pag. 431. relicta eſſe hæc

hæc Raynaudi verba. *Quamvis certum eſſet, propoſitionem aliquam non eſſe Eccleſiæ ſuffragio firmatam, cum tamen pro Martyre plurimi habent Doctores, qui renueret talem propoſitionem ſuffigere: ne vel contra conſcientiam ageret, qua cenſeret propoſitionem illam veritate ſubniti; vel pietati, quam aſſertione illius propoſitionis promovendam arbitraretur, quoquomodo incommodaret; & ſic renuens, mortem ea ex cauſa exciperet, malens de vita quam de ea pietate periclitari.* Ex his generatim dictis, & per Cenſores Rom. approbatis, fac (ſi lubet) particularem illationem. Mox ibid. adjicit Raynaudus: doctrinam hanc tradi a Suarez Ep. de hoc dubio, a Jacobo Granado L. de Immac. Concept. C. 31. Ægidio a Præſent. L. 3. de Im. Conc. qu. 8. item ab Alvaro Piſana Diſcur. 2. de Concept. Quos AA. cum propterea mulctatos cenſura nuſpiam reperias, rurſum erit illationi locus.

III. Quomodo univerſim certa hæc ſententia? quando 139
Pontificio decreto eſt vetitum damnare contrariam, quæ proinde hoc ipſo manet probabilis; quando, poſt imperatum adverſariis ſilentium, incertum eſt, *quid Viri Docti revera ſentiant*, id ipſum Caramuele in Theol. Mor. fundamento 5. inſinuante. His plura ſimilia ſparſim legere eſt, apud Lampridium & Valdeſium congeſta ea fiducia, ut dein Ep. 17. non dubitet Valdeſius dicere: *meridiano ſole clarius eſt, in Eccl. Romana haberi quidem piam & probabilem -- Scotiſticam ſententiam, non vero Certam.* Sed fruſtra hæc omnia.

Etenim 1*mo*, in Pontificum decretis ſolum legitur prohibitio contrariam ſententiam damnandi hæreſeos, erroris, & peccati mortalis; an eadem vero propterea ex mente eorum probabilis? Non ita profecto Theologi, cum quibus Cardin. Lugo in Tract. de Fide diſp. 20. Sect. 3. *aliquando*, inquit, *ſolet*

Digitized by Google

let Pontifex juſtis de cauſis prohibere, ne interim alterutra ex duabus ſententiis cenſura aliqua theologica ab adverſariis notetur; per quod tamen præciſe non declarat poſitive, utramque eſſe probabilem: ſed permittit utramque impune defendi, & ad vitanda ſcandala prohibet utrinque cenſuras. Hujus rei exemplum eſt in Innocentio XI. qui Propp. 75. damnans, monet, ſe *non intendere per hoc Decretum alias propoſitiones in ipſo non expreſſas - - ullatenus approbare;* & tamen, *ut paci & charitati conſulatur,* graviſſime præcipit omnibus, *ut caveant ab omni cenſura - - contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos controvertuntur* &c. Pontificum igitur prohibitio non favet opinioni Immac. V. Conceptionem negantì, quin ea (tametſi forte aliquando fuerit probabilis) hodie jam dicatur omnino inprobabilis. Illud autem dicere, non eſt contra Pontificum decreta huic opinioni cenſuram inurere: tum quod improbabilitas non ſit cenſura theologica, cum inter tot cenſuras ab Eccleſia latas nuſpiam inveniatur; tum quod, ſi cenſura ſit aliqua, id genus cenſuram nulla conſtitutione Pontificia prohibeamur ferre in hanc nominatim piæ ſententiæ contrariam opinionem.

Deinde 2*do*, qua fronte dici poteſt? *incertum eſſe, quid Viri docti revera ſentiant.* Certe Alexander VII. in Conſt. *Sollicitudo omnium.* indubitanter aſſerit, pietatem in Im. V. Concept. ita eſſe auctam, *ut accedentibus quoque pleriſque celebrioribus Academiis ad hanc ſententiam, jam fere omnes Catholici eam complectantur.* An autem hallucinatur Alexander? Sed & Caramuelem mala ſua fortuna appellat Lampridius; noſſe ſcilicet debebat, quid in hac quæſtione ſenſerit Caramuel, qui Tom. 2. Theol. Regul. epiſt. 43. ad Thomaſin. ita proteſtatur de ſe ipſo: *Qui non ſolum quamdiu vixerit, ſed quamdiu fuerit, non jam illam* (ſcilicet Deiparam) *bene natam, - - ſed etiam bene fuiſſe Conceptam, quod in ipſa ſingulare fuit, etiam toto pro-* ſuſo

fuſo, *ſi occaſio detur*, *SANGUINE propugnabit*. Sed ad vocem *Sanguinis* totus, cum Lamindo & Valdeſio ſuo, horreſcit Lampridius. Satis igitur.

§. V.

An B. Virgô immunis fuerit etiam a debitô côntrahendi peccatum originale?

CUm de illibato V. Deiparæ conceptu ferveret diſceptatio, quaſi ſub manu enata eſt quæſtio alia: an ſcilicet non tantum a culpa originali, ſed etiam a debito illud contrahendi immunis fuerit? De quo ut rite ſtatui poſſit, explicanda eſt prius

Notio debiti culpæ orig, & de eo controverſia.

I. DEbitum peccati originalis eſt quædam velut neceſſitas, 140
quam ſubeunt homines ad peccatum Adæ in primo animationis momento contrahendum. Dividi ſolet in remotum, & proximum. *Remotum* communiter reponitur in naturali propagatione ex Adamo? vel ex hoc autem patet, debitum iſtud improprie tantum participare rationem debiti. Cur ita? quia hæc propagatio, ſecluſo Dei decreto, proinde ex ſe non fundat dictam neceſſitatem, ut clarum eſt: tametſi eadem culpæ originalis incurrendæ periculum aliquod ſaltem remotum pariat eatenus, quatenus proclive eſt, ut nemo ex Adæ poſteris eximatur ab ea lege, qua per naturalem generationem ab Adamo deſcendentes in ejus voluntate includuntur quoad præcepti transgreſſionem, ipſumque adeo peccatum contrahendum. Debitum *proximum*, quod unum habet rationem debiti

proprie talis, fundatur in illo Dei decreto, quo voluntates poſterorum naturali generatione ex Adamo deſcendentium includuntur in voluntate Adami per pomi vetiti eſum peccantis. Idem proinde eſt peccati originalis contraxiſſe debitum proximum, ac ſenſu memorato fuiſſe incluſum in voluntate Adami; uti enim, ſuppoſita hac incluſione, Adæ poſteris erat neceſſitas peccante Adamo peccare in ipſo: ita neceſſe quoque habent hoc idem peccatum primo ſtatim vitæ momento in ſe ipſis contrahere, niſi quis peculiari privilegio per prævenientem Spiritus S. gratiam præſervetur. Jam vero

141 II. De *remoto debito* non eſt, cur iſthic peculiaris inſtituatur quæſtio. Certe dubium non eſt, B. Virginem via naturalis generationis ex Adamo deſcendiſſe: dubitari igitur etiam non poteſt, eam incurriſſe debitum culpæ originalis remotum, communi ſenſu intellectum: alio autem ſenſu remotum debitum exponendi non eſt ulla neceſſitas. Tota proinde hujus loci controverſia ad *debitum proximum* recidit, ac in eo verſatur: num B. Virgo incluſa, an potius excepta fuerit a communi illa lege, qua Deus voluntates poſterorum generatione naturali ex Adamo deſcendentium incluſit in voluntate Adami peccantis? Si incluſa: jam debitum proximum incurrit, & in Adamo peccavit. Si autem excepta: non incurrit hoc debitum, nec peccavit in Adam. Atque de hoc omnino non conſentiunt Doctores: non pauci ſcilicet etiam ex illis, qui pro immaculato V. Matris conceptu acriter depugnant, exiſtimant eam a peccati originalis debito proprie tali eximi non poſſe; contra alii ab hoc etiam immunem fuiſſe pronuntiant. Primam opinionem ſecuti ſunt etiam Suarez, Vaſquez, Bellarminus &c. alteram (præter S. Franciſcum Saleſium, Ambroſium Catharinum, Maironum, Baſilium Legion. alioſque Ordinum variorum Doctores) e noſtris cum Alphonſo Salmeron, Franc. Turriano, Granado & Salazario

Digitized by Google

rio jam nunc tuentur fere omnes. Hos ac plures alios, laudatis etiam eorum locis pro utraque parte nominari reperies in Tract. de Im. V. Concept. Thyrſi Gonſalez, qui ipſe dein ibid. Diſp. 6. Sect. 3. accedit poſtremis: cum quibus & nos ſentiendum putamus.

ASSERTIO.

Probabile eſt, V. Dei Matrem etiam a proprie tali, hoc eſt, proximo debito contrahendi peccatum originale immunem fuiſſe: non peccaſſe proinde in Adamo.

PRobatur I. Decuit Matrem Dei ita eſſe immunem; ergo tribuenda eſt illi hæc immunitas. Antec. in dignitate Matris Dei fundatur juxta illud Anſelmi L. de Concept. Virg. C. 18. *decuit ſane, ut B. V. ea puritate niteret, qua ſub Deo major non poſſit intelligi.* Illatio videtur legitima: ſi enim Matrem Dei decuit hæc immunitas, eique præterea non adverſantur, imo favent potius tam S. Literæ, quam Patres, tribuenda eſt illi utique; atqui ita res habet; ergo &c. Sola Min. prop. hic probationem requirit quoad membra ſingula: ac horum quidem nihil adverſari, patebit ex Reſp. ad Objecta; favere autem, his conficitur. 142

Favet 1mo Scriptura, dum Gen. 3. dicit *inimicitias futuras inter Mulierem & ſerpentem*, hujusque *caput ab illa* omnino *conterendum*; id quod indefinite prolatum multo veriſimilius intelligitur de hac etiam immunitate B. Virginis: quod ſi enim a debito proximo immunis non fuit, atque adeo in Adamo peccavit, jam aliquando (moraliter ſcilicet in Adamo exiſtens ac peccans) non habuit inimicitiam cum ſerpente, neque ejus caput contrivit. Sed & illud Luc. 1. Angeli ad Mariam, *gra-*

Digitized by Google

tia plena: ejusque de ſe ipſa, *fecit mihi magna, qui potens eſt*, hæc etiam, inquam, indicium præbent non leve, conformiter ad Scripturam poſſe V. Matri attribui eam immunitatem; ita quippe immunis reddita uberiore ſenſu dici poterat *gratia plena*, cui *potens Deus magna fecerit*, hoc ſcilicet etiam ſingulari modo, gratiæ & potentiæ theſauros in illam effundens. Univerſim autem Scripturæ textus, qui Deiparæ favent, non reſtringendi, ſed ampliandi ſunt potius: cum juxta doctrinam Petri Cellenſis. Sec. XII. Ep. Carnoten. L. 9. Ep. 9. Dei Matri *concedenda ſint omnia privilegia, quæ ei fuiſſe negata poſitive & efficaciter non probantur;* præſertim cum *multa* (ut ibid. pergit) *præſumantur de Virgine, quæ nunquam leguntur: & præſumptionibus ſtandum, donec probetur contrarium.*

Favent 2*do* Patres. Auguſtinus quidem, cum L. de Nat. & Grat. C. 36. proteſtetur, *nullam prorſus, cum de peccatis agitur, ſe habere velle quæſtionem de B. Virgine, quæ concipere ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum;* ergo nec voluit habere quæſtionem de contrahendo peccati debito, cum, ſi illud B. V. incurrit, jam in Adamo peccavit. Ac omnino ne de hoc quidem debito voluiſſe ſe habere quæſtionem ſatis indicat in Explicat. Symb. ubi, Verbo *Maria*, ait: *conveniens fuiſſe, ut legi peccati Mater Dei non teneretur obnoxia per generationem.* Prætereundus non eſt S. Ildephonſus Sec. VII. Ep. Tolet. qui in L. de Parturit. & Virginit. Mariæ, ait eam *nec Adam ad ſe admiſiſſe;* & rurſum, *in totum fuiſſe extraneam a maledicto primæ damnationis.* Anſelmi verba jam paulo ante recitata ſunt. Videtur favere & D. Thomas 1. ſent. diſt. 44. qu. 1. Ar. 3. eam B. Virgini attribuens puritatem, *qua nihil purius eſſe poſſit in rebus creatis;* hinc ibidem ita ab omni peccato immunem pronuntiat, ut non plus de illa aſſerat, quam *quod fuerit in potentia ad peccandum.* Conclu-

cludat S. Franciſcus Saleſius, a ſanctimonia æque ac doctrina ſub init. prioris Seculi illuſtris Epiſcopus, in aureo Op. de Amore Dei L. 2. C. 7. ita ſcribens: Chriſtus redemptione admirabili *præveniens Matrem ſuam in benedictionibus dulcedinis, eam non ſolum a peccato, uti Angelos, ſed ab omni peccati periculo præſervavit.* Quid autem eſt peccati originalis debitum proximum, niſi ejusdem peccati periculum?

Probatur II. Dedecebat quin imo Matrem Dei non eſſe ita 143
immunem, ac proinde obnoxiam eſſe debito proximo. Si enim illi obnoxia fuit: ergo & incluſa in voluntate Adami peccantis; ergo hoc peccante, & ipſa peccavit voluntate ſua in Adamo moraliter exiſtente; ergo moraliter in Adamo exiſtens per ſuum peccatum, moraliter in Adamo admiſſum, fuit effecta peccati ſerva, iræ & damnationis filia, digna privatione gratiæ &c. Quis autem non videat hæc Matrem Dei dedecere? Dedecuit illam gratia privari in ſuo conceptu: & non dedecuit moraliter committere peccatum, quo ipſo merita ſit privari gratia? Denique: communi Theologorum calculo B. V. præſervata eſt a peccati fomite, quia is non decebat Dei Matrem; minus decebat igitur peccati debitum; ſicut enim fomes iſte a peccato eſt, & in peccatum inclinat: ita debitum hoc a primi Parentis peccato eſt, & in peccatum originale re ipſa contrahendum inclinat, imo ejus contrahendi quandam adfert neceſſitatem. Quod ſi proinde ob dignitatem Matris Dei conveniens erat, ut præſervaretur a peccato originali: ex eadem cauſa dicendum videtur, a debito etiam proximo illud contrahendi præſervatam fuiſſe.

Reſpondetur ad Objecta.

IMmunitati tantæ adverſari videtur Scripturæ, Patrum, & 144
Doctorum auctoritas. Etenim

I. Apoſtolo teſte ad Rom. 5. in mundum intravit peccatum per unum hominem, *in quo omnes peccaverunt;* & 1. Cor. 15. *ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur;* demum 2. Cor. 5. *ſi unus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Hos eosdem porro Apoſtoli textus generatim prolatos & ipſi PP. generatim ſumendos putarunt, ut patet vel in Auguſtino, qui L. 2. de Bapt. parv. *non eſt*, inquit, *in filiis hominum, nec fuit, nec erit, qui nullo unquam peccato fuerit obſtrictus;* dein Conc. 2. in Pſ. 60. *ipſa redemptio clamat captivitatem noſtram, unde enim redempti niſi captivi?* porro & Dei Matrem a Chriſto eſſe redemptam fatentur PP. ut D. Bernardus Serm. de Aſſumpt. ubi ait, *plus pro Virgine redimenda eum veniſſe, quam pro omni alia creatura* &c. Scripturæ igitur & Patrum teſtimonio, omnes univerſim aliqua ratione in Adamo peccarunt, omnes in eo ſunt mortui, omnes per Chriſtum a morte vivificati, a peccato redempti; ſi omnes, ergo & Mater Dei: quomodo autem in Adamo peccavit, quomodo a morte peccati per Chriſtum vivificata & redempta, ſi ne debitum quidem proprie tale peccati contraxit? Certe

II. Saltem ex meritis Chriſti ne *præſervative* quidem redempta dici poteſt in hac ſententia: id quod tamen a Scripturæ & Patrum ſenſu eſt prorſus alienum. Nimirum ab illa culpæ originalis in Adamo contrahendæ communi lege exempta fuiſſet B. V. jam ante prævifum Adæ peccatum: cum tamen non niſi poſt hoc prædefinitus ſit Chriſtus, ut Redemptor; ex ejus igitur meritis ab illa lege eximi non potuit, proinde nec præſervativa redemptione redimi a debito peccati originalis. Atque hinc eſt,

III. Quod complures DD. huic ſententiæ adeo adverſentur, ut (quod videre eſt apud Thyrſum Gonſalez in laud. Tract.

Tract. Diſp. 6. Sect. 2.) Cajetanus exiſtimet eſſe fidei contrariam, Corduba hæreticam, Ægidius parum tutam in fide, Bellarminus non ſatis tutam, Vaſquez erroneam &c.

Reſp. ad I. generales illas Scripturæ & Patrum ſententias, quibus aſſeruntur omnes in Adam peccaſſe, atque adeo peccati originalis debitum contraxiſſe, congrue accipi reſtricto ſenſu, cum exceptione ſcilicet V. Dei Matris. Et vero eædem ſententiæ, etiam per adverſarios immaculatam V. Conceptionem propugnantes, poſſunt ita reſtringi quoad peccatum originale contractum: cur non etiam quoad ejus debitum? ſicut enim primi, ſic & alterius habetur fundamentum ex Scriptura, Patribus, ac etiam ratione depromptum, ut patet ex momentis pro Aſſertione adductis. Quin huic exceptioni peculiariter favet ipſum Tridentinum, cum Seſſ. 5. ſub finem Decr. declaret, *non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, B. & Immac. V. Mariam*; ergo nec intendit comprehendere ſub illis Apoſtoli verbis in eod. Decr. memoratis, *in quo omnes peccaverunt.* Quin cum ibid. Concilium ex his verbis probet, omnes Adæ poſteros naturali propagatione ab illo deſcendentes concipi in peccato, videtur cenſuiſſe: omnes qui in Adamo peccarunt, eſſe conceptos in peccato; cum igitur B. V. non ſit in peccato concepta, congrue infertur, nec peccaſſe illam in Adamo.

Quod vero attinet ad textus de omnium Redemptione agentes, ab his omnino Dei Mater eximenda non eſt. At enim, quamvis debito etiam peccati caruerit, per Chriſtum tamen & ipſa redempta eſt: redemptione nimirum peculiari, qua non modo a culpa originali, ſed etiam ab ejus contrahendæ debito eſt præſervata. Quæ quidem redemptio etſi non ſit æque ſtricto ſenſu propria, ac liberativa ab ipſo peccato jam contra-

cto:

Digitized by Google

ſto: eſt nihilominus etiam vero ſenſu redemptio, eaque nobilior, ac vel ideo Deiparæ magis conveniens; hinc eam S. Franciſcus Saleſius ſupra laud. C. vocat *admirabilem*, *canonem operum Redemptoris*, *& redemptionem omnium redemptionum principem.* Eandem vero eſſe propriam aperte colligitur ex ſenſu Scripturæ, item Auguſtini & Bernardi, ut patet ex prioris §. N. 132. in Reſp. ad I. Declaratur idem exemplo. Si Princeps ferat legem, qua Provinciam integram tributo ſubjiciat, ac in hac ipſa lege aliquem ob Parentis merita excipiat; indubie hic a ſolutione tributi liberatur per Parentis merita: niſi enim hæc interveniſſent, adſtringendus & ipſe erat communi lege Provinciæ, cujus eſt incola perinde, ac reliqui. Quo igitur & B. Virgo vero ſenſu dicatur ex meritis Chriſti a peccato originali redempta ac liberata, ſatis eſt, quod ob naſcendi conditionem cum reliquis Adæ poſteris includenda eſſet, imo incluſa fuiſſet in communi lege, niſi interceſſiſſent Chriſti merita, quorum intuitu illam Deus ab hac lege exemit, ac vel ideo ſimul a culpa originali præſervative liberavit. Adde: non minus Chriſtus humanum genus redemit ab originali peccato, quam peccatis perſonalibus; atqui B. Virginem a perſonalibus peccatis non redemit niſi redemptione hujusmodi præſervativa; ergo hæc redemptio ſufficit, ut B. V. dicatur a Chriſto vere ac proprie redempta etiam a peccato originali.

Reſp. ad II. N. aſſertum. Nec probat quidquam adjecta ratio, ſi ex Tract. de Incarn. ſupponas, Chriſtum ut Redemptorem fuiſſe abſolute prædefinitum ſtatim poſt ſcientiam mediam de peccato Adami conditionate futuro. Secundum hanc nimirum ſententiam ſequens ſtatuitur Decretorum divinorum ordo. In ſigno 1*mo*, poſtquam Deus per ſcientiam med. vidit Adamum peccaturum, ſi conſtitueretur ſuorum poſterorum caput morale, ac in his nominatim circumſtantiis poneretur,

tur, continuo abſolute prædefinivit Chriſtum, ut Redemptorem. 2*do* propter merita Chriſti jam prædefiniti Redemptoris abſolute futura, ac etiam abſolute prævifa decrevit exiſtentiam B. Virginis: eandem elegit in Chriſti Matrem: ſimulque illam ſtatuit ornare peculiaribus gratiis, nec tantum a peccato originali jam conditionate præviſo, ſed & ab ejus debito proprie tali præſervare. Demum in 3*tio* decrevit condere hoc univerſum, ac in eo Adamum: tum & juxta Decretum alias memoratum in Adami voluntatem poſterorum, ab eo ſcilicet via generationis naturalis deſcendentium, voluntates alligavit in ordine ad præcepti de fructu non comedendo obſervationem & transgreſſionem, excepta attamen (ſaltem quoad transgreſſionem) Virgine futura Chriſti Matre. En! ut ſuppoſita hac Decretorum ſerie ex meritis Chriſti Redemptoris ab ipſo peccatum originale contrahendi debito B. V. præſervata ſit, in ſigno quidem ſecundo *intentive*, in tertio autem *executive*. Non deſunt interim, fateor, quæ huic Decretorum ſyſtemati opponantur, eſtque cum primis illud: quod prædefinitio Chriſti ut Redemptoris, ante peccatum abſolute præviſum facta, videatur eſſe virtualis volitio peccati Adæ; at hæc, idque genus alia reſolvere proprium eſt Tractatus de Incarn. ex quo ſyſtema iſtud hoc loco ſupponi poteſt.

Cæterum hanc B. Virginis præſervationem, ex meritis Chriſti Redemptoris factam, propugnandi non deſunt alii quoque modi: quorum complures adferuntur etiam ab illis, qui exiſtimant Chriſtum ut Redemptorem fuiſſe prædefinitum poſt Adæ peccatum abſolute præviſum. Ita Card. Lugo diſp. 7. de Incarn. Sect. 3. docet: in communi illa de peccato originali lege, ſeu pacto, aut decreto exceptam fuiſſe conditionate eam Virginem, quæ poſt peccatum Adæ abſolute præviſum, &

Digitized by Google

Chriſtum ut Redemptorem prædefinitum eligenda foret in Matrem Chriſti; in qua ſententia juxta decretorum ſeriem, quam Lugo ſtatuit, abſoluta B. Virginis a debito peccati exemptio & præſervatio rurſum oſtenditur eſſe ex meritis Chriſti Redemptoris. Conſule, ſi lubet, de hoc argumento Thyrſum Gonzalez in laud. Op. de Immac. Concept. Diſp. 7. copioſe diſſerentem.

Reſp. ad III. Doctorum eorum auctoritas non officit, cum multo plures, iique ab eruditione non minus quam ſanctitate clari nobiſcum propugnent hanc Dei Matris a debito peccati immunitatem. Quod autem aliquando quibusdam hæc ſententia viſa ſit minus tuta, aut etiam erronea, id provenit inde: quod non ſatis aſſequerentur, quomodo cum ea immunitate componi poſſit Deiparæ redemptio ex meritis Chriſti facta. At iſtud jam hodie difficultatem non habet ullam, poſtquam a doctiſſimis Theologis progreſſu temporis complures modi detecti ſunt utrumque hoc invicem conciliandi. Unde Salazarius in Op. de Concept. C. 7. *opinio hæc*, inquit, *quæ primo graviſſimorum Doctorum aures læſerat, jam nunc multorum doctiſſimorum hominum plauſu celebrari cœpit.*

145 Eidem immunitati adverſatur & ratio theologica: neque enim hæc a debito originalis culpæ præſervatio ſatis cohæret cum Decreto Dei, voluntates poſterorum in Adamo includentis. Nimirum

I. Sub lege de juſtitia originali per obſervationem præcepti ab Adamo in poſteros tranſmittenda fuit Dei Mater ita incluſa, ut, Adamo præceptum obſervante, & ipſa in illo obſervaret, atque ſic propter Adami obſervationem in originali juſtitia conciperetur cum reliquis poſteris; atqui una eadem-

que

Digitized by Google

que prorſus fuit lex de peccato ad poſteros tranſmittendo, ſi Adam præceptum tranſgrederetur; ergo B. V. in hac lege etiam quoad transgreſſionem Adami fuit incluſa. Quid vero iſtud aliud eſt? quam in Adamo peccante Dei Matrem peccaſſe, ac debitum proximum culpæ originalis contraxiſſe. Id quod vel ideo aſſerendum videtur, quia

II. Hæc, etiam quoad transgreſſionem, Deiparæ in Adamum incluſio non erat malum aliquod morale; non dedecebat igitur illam: niſi velis peccandi quoque potentiam, quam B. V. habuit, dedecuiſſe Matrem Dei. Imo

III. Quamvis ea incluſio ſit malum morale quoad peccatum vi hujus incluſionis in Adamo commiſſum a poſteris, cum nihilominus deinde B. V. fuerit præſervata a peccato in ſuo conceptu reipſa contrahendo, ſatis utique proviſum eſt dignitati Matris Dei; cur igitur citra indecentiam non potuerit ita includi in voluntate Adami, etiam quoad præcepti transgreſſionem?

Reſp. ad I. argumenti hujus vim multiplici ratione elidi poſſe oſtendunt Theologi, conformiter ſcilicet ad ſententiam, quam de Chriſti, ut Redemptoris prædefinitione, & Decretorum ordine ſuſtinent. Ut ut ſit interim de aliis;

Si deſcriptam ſuper. N. divinorum Decretorum ſupponas ſeriem, negari poteſt prop. Maj. quin etiam videtur neganda: ſecundum hoc quippe ſyſtema jam ante Adamum, ſive in ſigno *2do* Deus decrevit V. Mariam, ut electam Chriſti Matrem, ex ejusdem meritis præſervare a peccato originali, proinde in originali juſtitia concipi; non fuit igitur opus, ut in illam, hæc juſtitia ab alio quopiam tranſmitteretur. Non erat ergo (inquies) reſpectu B. Virginis caput morale Adamus, ne quidem quoad præcepti obſervationem & juſtitiam originalem?

non erat omnino. Quid vero hinc incongrui? poterant primi Parentes gratiam originalem accipere citra caput morale aliud, in quo includerentur quoad hanc gratiam; cur non & B. Virgo? imo videtur fuiſſe inconveniens, ut vel quoad hoc in Adami voluntate includeretur illa, quæ erat futura Mater Dei; prima ex Patrum ſenſu Chriſti cooperatrix ad ſalutem omnium etiam primorum parentum, gratia certe & ſapientia Adamo longe ſuperior. Si inferas: ergo, ſi Adam non peccaſſet, B. Virgo caruiſſet Juſtitia originali? minime iſtud quidem; nam, ſi Adam non peccaſſet, ac B. V. nihilominus etiam Chriſto in hac hypotheſi non venturo extitiſſet, jam tum in communi illa lege de juſtitia originali ab Adamo præceptum implente ad poſteros tranſmittenda incluſa fuiſſet, non quidem ut Mater Dei, ſed ut una ex communibus Adæ poſteris. Cæterum hæc hypotheſis prorſus ſupervacanea eſt ſuppoſita Decretorum memorata ſerie; quamvis enim Adamus poterat non peccare *potentia antecedente*, at certe peccaturus erat: venturus igitur & Chriſtus ut Redemptor, B. V. futura Chriſti Mater, ac ut talis habitura originalem juſtitiam.

Sunt etiam, qui, hac ipſa Decretorum ſerie ſuppoſita, in propoſito argumento admittant propoſitionis Maj. aſſertum; negent autem Illationem, hac diſtinctione Min. explicantes: una fuit lex, eadem tamen *virtualiter* multiplex C. neque ſic multiplex N. Vel ideo autem poterat Deus legem illam ita concipere, ut Adamus, ceu caput morale, repræſentet quidem B. Virginem quoad præcepti obſervationem: non item quoad transgreſſionem. Atque in hujusmodi legis providentia ea ſolum Adami libertas, quæ erat *contradictionis*, ac in potentia merendi & non merendi conſiſtebat, fuiſſet ſimul moraliter Deiparæ libertas: non item etiam libertas *contrarietatis*, quam ſcilicet Adamus habebat ad merendum vel demerendum. Nihil

hil porro in his eſſe abſoni, docet exemplum a pupillo & tutore peti ſolitum : ſine ullo quippe inconvenienti Reſpublica pupilli voluntatem alligat Tutoris voluntati quoad contractus pupillo utiles, non item quoad perniciosos; unde pupillus cenſetur moraliter habere eandem cum Tutore libertatem contractus utiles ineundi vel non ineundi: non tamen etiam ineundi contractus utiles vel perniciosos.

Reſp. ad II. D. Antec. incluſio hæc quoad ſe præciſe ſpectata non erat malum morale C. non etiam quoad effectum, cujus neceſſitatem ſecum ferebat, quemque certo operatura erat N. effectus autem hic fuit peccatum, a B. Virgine vi incluſionis illius in Adamo peccante infallibiliter committendum: an non vero hoc peccatum eſt malum morale, ac vel ideo Matri Dei inconveniens? Imo inconveniens futura erat incluſio illa in ſe ipſa: dedecet quippe Dei Matrem vel neceſſitas peccandi in alio; atqui incluſio hæc fuiſſet ejusmodi neceſſitas, ergo &c. Hinc autem patet, perperam provocari ad peccandi potentiam: nam hæc ex ſe non eſt malum morale; ea adhæc peccandi potentia, quam B. V. habuit, nunquam erat in actum peccaminoſum deducenda, minus inferebat ullius peccati neceſſitatem; non eſt proinde, cur perinde illa dedecuiſſet Dei Matrem: imo deſerviebat illi ad majorem libertatem & majus meritum.

Reſp. ad III. N. Antec. quamvis enim hac præſervatione proviſum ſit, ne in conceptu ſuo peccatum contraheret: non fuiſſet tamen proviſum, ne in Adamo peccaret; dedecebat autem Dei Matris dignitatem vel in alio peccare. Præterea: ſi B. V. incluſa fuit in Adamo quoad transgreſſionem, atque ſic proximum peccati originalis debitum contraxit, dum deinde ab hoc peccato in conceptu ſuo præſervata eſt, id quidem obti-

nuit, ut non fieret *ſerva* peccati : attamen vero Juris ſenſu fuit ſaltem *liberta*, hoc eſt, liberata a peccati ſervitute, cui vi debiti contracti obnoxia erat. An non autem hoc Dei Matri ignominioſum ? Certe Petrus Gregorius in Syntagm. Juris univ. L. II. C. I. poſtquam definivit libertos eſſe illos *qui vel ſervierunt*, *aut ſervituti obnoxii fuerunt*, *ſed tamen libertatem adepti ſunt*, deinde ſubdit : *Libertis nota & macula quædam inter ingenuos remanet.* Si ergo B. V. peccati originalis debitum contraxit, atque ita peccati ſervituti vere obnoxia fuit, licet ſubinde ab illo obtinuerit libertatem : non tamen obtinuit eam ingenuitatem & libertatem, quæ omnem ſervitutis ignominiam excludit, & quæ Dei Matrem decet. Ita arguit Thyrſus Gonzalez in jam laud. Tract. Diſput. 6. Sect. 3.

LI-

Digitized by Google

LIBER III.

De peccatorum Pœnis.

CUm peccatum in communi ſit aut perſonale, aut originale de utriusque nominatim pœnis dicendum eſt: quo argumentum huic Libro proprium integre complectamur. Id vero præſtabunt Diſſertationes duæ; I. aget de Pœnis peccati Perſonalis. II. de Pœnis peccati Originalis. At juverit prius referre huc facientia Conciliorum Oecumenicorum Decreta, & Propoſitiones damnatas.

DECRETA CONCILIORUM.

C*Oncil. Conſtantinopolitanum II. An.* 553. *Can.* 11. *anathematizat Origenem, & quidem nominatim (ut refert Nicephorus Caliſt. L.* 17. *C.* 27. *&* 28. *) quod diceret,* omnium impiorum hominum, ipſorumque etiam dæmonum tormenta finem habitura, atque impios & dæmones in priorem ſuum ſtatum reſtitutum iri.

Lateranenſe IV. An. 1215. *profitetur (ut conſtat ex Cap.* Firmiter. *de Trinitate) Chriſtum venturum ad judicandos tam* reprobos, *quam* electos: ut recipiant ſecundum opera ſua -- illi cum diabolo pœnam perpetuam, & iſti cum Chriſto gloriam ſempiternam.

Florentinum An. 1439. *in Definitione, ſeu Græcorum unionis Decr.* Lætentur Cæli. *Sacro univerſali approbante Concilio* diffinimus, *inquit*, ut hæc fidei veritas ab omnibus Chriſtianis credatur, -- ſi vere pœnitentes in Dei charitate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis & omiſſis ſatis-

ſatisfecerint, eorum animas pœnis purgatoriis poſt mortem purgari, & ut a pœnis hujusmodi releventur, prodeſſe eis fidelium vivorum ſuffragia &c. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.

Tridentinum Seſſ. 5. in Decr. de pec. orig. Can. I. definit, Adamum per transgreſſionem mandati ſimul incurriſſe mortem, -- totumque per illam prævaricationis offenſam, ſecundum corpus, & animam in deterius commutatum fuiſſe. -- *(& Can. II.)* per inobedientiæ peccatum mortem & pœnas corporis -- in omne genus humanum transfudiſſe. *(rurſum Can. IV.) parvulos ex Adam trahere originale peccatum*, quod regenerationis lavacro neceſſe ſit expiari ad vitam æternam conſequendam.

Idem Concilium Seſſ. 6. de Juſtific. Can. XXX. Si quis poſt acceptam juſtificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exolvendæ vel in hoc ſæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cælorum aditus patere poſſit, anathema ſit.

Idem Seſſ. 22. de Sacrif. Miſſæ Cap. 2. ſub finem declarat, Sacrificium Miſſæ *etiam* pro defunctis in Chriſto nondum ad plenum purgatis rite juxta Apoſtolorum traditionem offerri. *Et ibidem Can. III.* Si quis dixerit, Miſſæ Sacrificium tantum eſſe laudis, -- neque pro vivis & defunctis -- offerri debere, anathema ſit.

Demum Seſſ. 25. in Decr. de Purgator. Cum Catholica Eccleſia, Spiritu Sancto edocta, ex Sacris Literis, & antiqua Patrum traditione in Sacris Conciliis, & noviſſime in hac œcumenica Synodo docuerit, Purgatorium eſſe; animasque ibi detentas

tentas fidelium ſuffragiis, potiſſimum vero acceptabili Altaris Sacrificio juvari; præcipit S. Synodus Epiſcopis, ut ſanam de Purgatorio doctrinam, a Sanctis Patribus & Sacris Conciliis traditam, a Chriſti fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari diligenter ſtudeant.

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

A Leone X. Lutheri Artic. XXXVII. Purgatorium non poteſt probari ex S. Scriptura, quæ ſit in Canone.

XXXVIII. Animæ in Purgatorio non ſunt ſecuræ de earum ſalute, ſaltem omnes.

XXXIX. Animæ in Purgatorio peccant ſine intermiſſione, quamdiu quærunt requiem, & horrent pœnas.

XL. Animæ ex Purgatorio liberatæ ſuffragiis viventium minus beantur, quam ſi per ſe ſatisfeciſſent.

A Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. Mich. Baji Propoſ. LXXVIII. Satisfactiones laborioſæ Juſtificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem, reſtantem poſt culpam condonatam.

DISSERTATIO I.
DE POENIS PECCATI PERSONALIS.
§. I.
Quæ ſit, & in quo conſiſtat cum peccato Mortali ex hac vita decedentium Pœna?

PEccatis hactenus explanatis ſuccedunt jam eorundem Pœnæ: quo ex his nimirum intelligatur certius, quantum inſit pec-

peccato malum. Certe autem graviſſimum illud eſſe nemo non intelliget, ſi animum referat ad pœnas peccatorum graviſſimas; graviſſimas inquam: quia ab omniſcio & juſtiſſimo Judice dictatas, ab omnipotente Vindice inflictas. Inde repetitum illud Luc. 12. monitum: *Timete eum, qui -- habet poteſtatem mittere in gehennam; ita dico vobis, hunc timete.* Juſtus ſane, ac ſalutaris timor! cui penitius omnium animis ingenerando nos quoque intenti, peccatorum Pœnas (certa ſecernentes a controverſis) ex ordine referemus, facturi initium ab illis, quæ juſto Dei judicio debentur peccato Perſonali, eique nominatim Mortali. Prius attamen explicanda eſt

Notio & varietas Pœnæ peccati in communi.

1 I. Doctor Ang. 1. 2. qu. 46. Ar. 6. ad 2. *vindictam* ait *fieri per illationem pœnæ; eſſe autem de ratione pœnæ, quod ſit contraria voluntati, & quod ſit afflictiva, & quod pro aliqua culpa inferatur.* Ex mente igitur Angelici (conſentientibus quoque DD. cæteris) Pœna proprio ſenſu ſumpta eſt *culpæ vindicta*, conſiſtens ſcilicet in incommodo aliquo ex ſe cruciatum afferente, eoque propter peccatum illato; niſi enim cruciet, non erit vindicta: ſed nec vindicta culpæ, niſi propter peccatum inferatur. Unde conficias: neminem poſſe puniri, nec pœnam proprie dictam ſubire pro peccato alterius, niſi & ipſe illius ſit reus. Huc faciunt illa Scripturæ verba Ezech. 18. *anima, quæ peccaverit, ipſa morietur: filius non portabit iniquitatem patris;* & ad Gal. 6. *unus quisque onus ſuum portabit;* hinc Auguſtin. L. 1. Retract. C. 9. *omnis pœna*, inquit, *ſi juſta eſt, peccati pœna & ſupplicium nominatur.* Dum ergo Exod. 20. dicitur Deus *viſitans iniquitatem patrum in filios*, ſermo eſt de filiis peccata patrum imitantibus; idcircoadditur, *qui oderunt me.*

II. Hu-

Digitized by Google

II. Hujusmodi jam vero pœna, qua peccatum vindicatur, alia eſt *præſentis vitæ*, alia *futuræ*. Inter præſentis vitæ pœnas (ut docemur ex S. Literis) numerantur adverſa corporis & animi, bella, fames, morbi, mors ſaltem accelerata, remorſus conſcientiæ, triſtitia, gratiæ copioſioris ſubtractio, quin etiam ad hanc conſecuti in alia peccata lapſus. Poſtremum iſtud aliqui controvertendum putant; at fruſtra, cum ad Rom. 1. de Gentilibus idola colentibus dicatur, *propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam* &c. Super quæ verba Auguſtinus L. 5. contra Julian. C. 3. *hic utique*, inquit, *vides cauſam, propter quam traditi ſunt, ſine ulla ambiguitate monſtratam. Dixit quippe, quid mali antea feciſſent, & adjunxit:* propter quod tradidit &c. *Proinde præcedentis eſt hæc pœna peccati, & tamen etiam ipſa peccatum.* Qua ratione autem hæc poena ſit intelligenda, ibid. dein explicat, referens ſcilicet illam ad ſpecialis gratiæ divinæ ſubtractionem: unde conſequitur vis tentationum major, vehementior æſtus concupiſcentiæ, vires ad reſiſtendum debiliores, ſenſimque in plura peccata lapſus. Alterius vitæ pœna peculiari nomine dicitur *pœna damni & ſenſus*; atque hæc illa eſt, de qua una hoc L. ex propoſito diſſerere conſtituimus. 2

Pœna damni, & ſenſus peccato Mortali debita.

Quid pœna hæc utraque ſit, quamque certo in alterius vitæ ſtatu propter peccatum mortale reprobis luenda, nunc ex fidei doctrina referendum eſt. Secundum hanc vero

I. Pœna *damni* conſiſtit in eo, quod reprobi, a Dei regno excluſi, priventur viſione Dei intuitiva, eaque beatifica. Gravem eſſe pœnam, quis ambigat? cum privet poſſeſſione ſummi boni; hinc & a Theologis abſolute dicitur *pœna damni*, 3

quaſi pœna maximum damnum inferens. Infligi porro illam decedentibus in peccato mortali, fide certum eſt docente Scriptura ad Gal. 5. *qui talia agunt regnum Dei non poſſidebunt*; & 1. Cor. 6. *iniqui regnum Dei non poſſidebunt*, ſcilicet *fornicarii, idolis ſervientes* &c. cumque Matth. 5. dicantur *beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*: ex adverſo peccatis inquinati Deum non videbunt. Eadem ſæpe legere eſt apud Patres, & conſentit univerſa Eccleſia.

4 II. Pœna *ſenſus* eſt cruciatus ille, quo reproborum animæ & corpora per ignem ac reliqua inferni ſupplicia torquebuntur. Generatim dicitur *pœna ſenſus*: quia potiſſimum ſenſu percipiuntur, quæ hominem excruciant. Hanc quoque pœnam reprobos manere, rurſum fides docet ex apertis Scripturæ teſtimoniis. Fiet nimirum, ipſo Chriſto apud Matth. C. 13. monente, cum *exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Et Apoc. 20. *qui non eſt inventus in libro vitæ, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* De his pœnis jam Iſaias quoque antea C. 33. *quis*, inquit, *poterit habitare cum igne devorante? quis - - cum ardoribus ſempiternis?* rurſumque C. 66. *vermis eorum non morietur &c.*

5 III. Quamvis autem utraque hæc pœna omnes univerſim reprobos maneat, non eſt tamen in omnibus futura æqualis: quia nimirum infligenda ad menſuram peccatorum juxta illud Deut. 25. *pro menſura peccati erit & plagarum modus*; hinc Apoc. 18. dicitur, *quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Neque iſtud tantum de pœna ſenſus, ſed & de pœna damni intelligendum: tametſi enim reprobi omnes penitus ſint privandi viſione Dei, hæc ipſa nihilominus privatio ſingulos excruciabit ſolum pro ratione co-

cognitionis, qua alii aliis clarius cognoſcent magnitudinem damni ex hac privatione provenientis. Atque hæc certa; nunc jam reſolvenda eſt hujus loci præcipua

Controverſia de Pœna ſenſus.

Controvertitur I. de igne in reproborum pœnam deſtinato: 6
num ſcilicet ſit verus, materialis, ac corporeus? Negavit Origenes, metaphorice duntaxat illum accipiendum ratus pro conſcientiæ remorſu. Conſtat id ex ejus Comment. in Iſaiæ C. 50. & teſtatur Hieronymus in Ep. 59. ad Avit. ac rurſum in Apol. 2. contra Ruffin. ubi ait: *ignes æternos, quos intelligere ſolet Origenes, puto, quod non te fugiat, conſcientiam videlicet peccatorum, & pœnitudinem interna cordis urentem* &c. Ex his locis quidam arguunt, Hieronymum etiam Origenis opinioni adhæſiſſe; at vindicat illum Petavius: opinionem quippe referre aliquam, quin ei notam inuras, non eſt continuo ſuffragari. Vindicari autem non poteſt Ambroſius L. 7. in Luc. C. 14. ſententiam Origenis integre ac totidem pene verbis amplexus. Damaſcenus quoque ſub fin. Op. de Fide orthod. eandem, ex parte ſaltem, videtur ſequi opinionem, cum reproborum ignem dicat *non materialem, ut eſt noſter: ſed qualem novit Deus.* Apertius illo Theophilactus in Marci C. 9. *vermis & ignis*, inquit, *qui peccatores puniunt, cujuſque conſcientia eſt, & memoria eorum, quæ in hac vita turpia commiſſa ſunt: quæ tanquam vermis conſumit, & ſicut ignis incendit.* De reliquorum Patrum ſenſis, iisque compluribus ambiguis, vide Petavium Theol. Dogm. L. 3. de Angel. C. 5. Nunc jam communiter apud Catholicos recepta eſt contraria ſententia, verum ſcilicet ac materialem ignem aſſerens: tametſi de hoc nondum exſtet ullum fidei decretum.

Controvertitur II. de modo, quomodo nimirum hoc igne 7
corporeo dæmones, aut animæ hominum extra corpus poſi-

tæ torqueantur? Auguſtinus, qui reproborum ignem profeſſus eſt eſſe corporeum, ad hanc quæſtionem L. 22. de Civ. Dei C. 10. ita primum reſpondet: *niſi quia ſunt quædam ſua etiam dæmonibus corpora, ſicut doctis hominibus viſum eſt, ex iſto aere craſſo &c.* Ac mox ibid. *ſi autem*, inquit, *quiſquam nulla habere corpora dæmones aſſeverat, non eſt de hac re laborandum operoſa inquiſitione. -- Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affici &c.* Atque omnino hoc poſtremum duntaxat nobis quoque cum Auguſtino profitendum eſt: ſpiritus damnatos ſcilicet ab igne corporeo uri modo, qui *mirus* ſit, *verus* attamen. Hoc certum unum; incerta reliqua, quæ DD. proferunt: ut cum modum hunc aliqui poſt D. Thomam explicant per alligationem ſpiritus ad ignem, vel illius cum hoc (quantum ad pœnam eſt) unionem realem, aut qualitatem ſpiritualem ab igne elevato productam in ſpiritu &c. Peculiaris eſt opinio Simonneti Tract. 3. de Ang. Diſp. 4. Art. 3. ita modum hunc explicantis: ſpiritum ait reddi impenetrabilem igni; tum vero hujus partium motu perturbato quaquaverſum agitari ea ratione, qua corporis ab igne uſti partes exagitantur; ad hanc demum agitationem tali ſpiritum damnatum affici dolore, quali afficitur anima unita corpori, quod ab igne uritur. Mihi quid in hac re videatur cæteris planius, ac intellectu expeditius, ſequ. Aſſertionis parte altera conjecturæ inſtar depromam.

ASSERTIO.

Ignis in reproborum pœnam deſtinatus eſt verus & corporeus, eodemque etiam ſpiritus damnati torquentur; modus attamen, quo id fit, nobis eſt incognitus: licet ſat veriſimiliter explicari poſſit per quandam analogiam ad eum dolorem, qui cauſatur in anima corpori uſto unita.

8 PArs I. deducitur ex Scriptura, juxta receptam interpretandi regulam intellecta, Lo-

Digitized by Google

Loca huc facientia ſunt. Iſ. C. 33. *quis poterit habitare de vobis cum igne devorante?* & C. ult. *ignis eorum non extinguetur.* Eccli. 21. *ſtupa collecta Synagoga peccantium, & conſummatio illorum flamma ignis.* Luc. 16. Epulo de ſe, *crucior in hac flamma.* Apud Matth. C. 3. *arbor, quæ non facit fructum bonum, -- in ignem mittetur; paleas comburet igni inextinguibili;* C. 5. *reus erit gehennæ ignis;* C. 26. *diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus.* Judæ V. 7. *ignis æterni pœnam ſuſtinentes.* Apoc. 14. *ſi quis adoraverit beſtiam, -- cruciabitur igne & ſulphure.*

En! quot locis Scriptura commemorat pœnam *ignis*; hoc ipſo præterea dicit *puniri* & *cruciari* dæmones, quin univerſim damnatos: proinde etiam reproborum hominum animas, ante ultimum Judicii diem extra corpora inferni pœnis addictas; hæc vero ſenſu proprio & literali accepta ſignificant verum ignem corporeum, & verum ab hoc igne cruciatum. Sed nec eſt, cur ſenſu proprio ac literali accipi nequeant: quid enim obſtet? quæ ratio ſuadeat oppoſitum? imo ſenſui huic favet plurium Patrum opinio, ac poſt D. Thomam communis Doctorum & fidelium acceptio, a qua recedere non eſt tutum; cum ergo juxta tritam Interpretum & Patrum regulam, quoad fieri poteſt, maxime obvio & proprio ſenſu accipienda ſint Scripturæ verba, prorſus cenſendum eſt, univerſim ſpiritus damnatos vero igne corporeo torqueri. Hanc certe ſententiam, præter Auguſtinum ſupra laudatum, amplexi ſunt Iſidorus Hiſpal. L. 2. Sent. C. 31. Hugo Victor. L. 2. de Sacram. D. Thomas in 2. diſt. 6. qu. 1. Art. 3. ad 6. ac jam antea Cyprianus L. ad Demetr. & Gregor. Mag. L. 4. Dialog. C. 29, ubi ad quæſtionem, de inferni igne propoſitam, nomine ſuo hæc ſubjicit: *Certe reprobis Veritas in fine dictura eſt,* Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus;

ſi

Digitized by Google

ſi igitur diabolus ejusque angeli, cum ſint incorporei, corporeo ſunt in igne cruciandi, quid mirum? ſi animæ, & antequam recipiant corpora, poſſint corporea ſentire tormenta.

9 Pars II. quoad primum, hujus ſcilicet cruciatus modum nobis eſſe incognitum, fundatur in Scripturæ ſilentio. Altum nimirum ſilet illa de hoc: nuſpiam vel verbo detegit modum, quo ſpiritus damnati ab igne torqueantur; unde autem id doceamur præterea? Nihil certi de hoc Traditio, nihil Eccleſia, nihil Patres; ſed nec quidquam certi ſuggerit ratio: unde factum, ut Doctores, modo huic explanando intenti, in varia abirent. Quin Auguſtinus ſupra cit. C. 10. cenſuit, ne laborandum quidem de hoc operoſa inquiſitione; hinc ibid. infra ſatis habuit aſſerere, dæmones *veris*, at *miris & ineffabilibus modis* eſſe *accipientes ex ignibus pœnam.*

Quoad alterum ejusdem Partis membrum eſto conjectura, cæteris forte veriſimilior. Anima corpori unita, dicitur ab igne cruciari propterea, quod factas ab igne in corpus ſibi unitum impreſſiones, hincque ſecutos violentos fibrarum motus cognoſcat, atque ad hanc cognitionem (ex lege ſcilicet commercii animæ cum corpore) in anima enaſcatur peculiaris illa affectio, quam dolorem ex ignis uſtione conceptum vocamus. Cur non igitur dici queat? ſpiritum damnatum ab igne torqueri eatenus, quatenus cognoſcit ſe eſſe alligatum igni, tanquam inſtrumento divinæ juſtitiæ perpetuo, ad quam deinde cognitionem (ex peculiari nimirum lege Dei vindicis) in illo enaſcitur ejusmodi nominatim affectio, qualem anima corpori unita ab ignis uſtione percipit. Vides hic analogiam quamdam inter cruciatum animæ corpori unitæ, & ſpiritui damnato proprium: eumque etiam in hoc ab igne cauſatum aliqua ratione ea, qua ab eodem dicimus in anima corpori unita dolorem cauſari.

Sed

Digitized by Google

Sed hæc duntaxat conjecturæ inſtar: quæ tamen ipſa cæteris videri poſſit veriſimilior. Sola quippe ad ignem alligatio vel unio minus exprimit proprietatem hujus peculiaris cruciatus: in hoc enim ſyſtemate non minus ex alligatione angerentur animæ ad quodvis aliud elementum a vindice Deo alligatæ. Qualitati vero ſpirituali, quam ignis producat, nullus jam hodie eſt locus. In opinione demum Simonneti novum adſtruitur miraculum, ſcilicet impenetrabilitatis, cujus tamen non eſt ulla neceſſitas, nec fundamentum ullum.

Refelluntur Adverſarii.

Arguunt I. a vermibus, ſulphure, pluribusque id genus 10
aliis, quæ perinde Scriptura inter damnatorum pœnas connumerat, quin tamen hæc ſenſu literali intelligenda ſint; non igitur etiam ignis.

II. Patrum complurium de hoc igne varia, ambigua & fluctuans eſt ſententia, ut colligere eſt ex eorum verbis a laud. Petavio relatis; ipſe imo Gregorius Mag. L. 15. Moral. C. 17. *gehennæ ignis*, inquit, *cum ſit incorporeus*, - - *nec ſtudio humano ſuccenditur*, *nec lignis nutritur* &c. qui ergo fidenter adeo pro re certa ac explorata haberi poſſit, ignem inferorum eſſe verum & corporeum?

III. Fatemur ipſi, incertum nobis eſſe modum, quo igne corporeo dæmones & animæ hominum damnatæ torqueantur; fatendum igitur una, æque incertum eſſe, num verus ignis in pœnam reproborum ſit deſtinatus.

Reſp. ad I. Sunt, qui cenſeant etiam vermem, ſulphur, hisque ſimilia, non metaphorice, ſed proprio ſenſu accipi poſ-

ſe, imo accipi debere. Auguſtinus certe ab hac opinione alienus non eſt, ſaltem quoad vermem: nam L. 21. de Civ. Dei C. 9. relata aliorum ignem & vermem figurate exponentium ſententia, ipſe utrumque ſenſu proprio ac pro pœna carnis intelligendum putat propter illud Eccli. 7. *vindicta carnis impii, ignis & vermis;* ac demum, opinionem utramque arbitrio cujusque relinquens, ita concludit. *Eligat quisque, quod placet: aut ignem tribuere corpori, animo vermem, hoc proprie, illud tropice; aut utrumque proprie corpori.* Utrovis interim ſenſu Scriptura exponatur de verme & ſulphure: ignis non niſi verus ac corporeus intelligi poteſt; idque propter communem Doctorum & fidelium ſententiam, quæ non pugnat perinde pro verme, aliisque id genus pœnis a Scriptura nonnunquam commemoratis.

Reſp. ad II. Patrum aliquos fateor, Origenis auctoritate inductos, negaſſe inferorum ignem eſſe corporeum; at hi comparate ad alios oppoſitum ſentientes admodum pauci ſunt. Ambigue etiam nonnulli loquuntur, quin & in ſententia fluctuant, quidam prorſus mutant. Varia in ipſo Auguſtino diverſis locis eſt legere ſenſa. Gregorium quoque in cit. loco mutaſſe opinionem exiſtimant aliqui: reclamat attamen Petavius, in obj. C. 17. legendum exiſtimans *corporeus*, ut legit D. Thomas, & notat Sixtus Senenſis. Ut ut ſit: ad hæc Patres inducti fuerint difficultate explicandi, quomodo ignis corporeus torqueat incorporeos ſpiritus; difficultas hæc porro cum non officiat, cumque recepta Scripturas interpretandi regula, plurium adhæc Patrum, & communis Doctorum ac fidelium ſenſus nobis faveant, non eſt, cur paucorum Patrum opinio hanc de igne corporeo ſententiam infirmet.

Reſp. ad III. C. Ant. N. Illationem. Ac profecto ſi hæc arguen-

guendi ratio obtineat, rerum multarum exiſtentia vel actio (quæ tamen certa eſt) neganda erit, aut ſaltem in dubium revocanda: quando in multis fateri cogimur ignorantiam modi, quo res exiſtunt vel agunt. Utque exemplo utar ad præſens argumentum accomodato: dum corpus animatum ab igne uritur, certum eſt animam percipere affectionem quandam, eamque diverſam ab ea, quæ tum habetur, dum corpus plagis ſubjicitur, aut frigore exercetur; quis autem certo novit rationem, qua iſtud nominatim fiat? quis modum, quo corpus ita agat in animam? Ad id certo cognoſcendum exploratam nos prius habere oporteret commercii animæ cum corpore rationem; at enim hanc uſque huc nobis omnino incognitam ſaniores Philoſophi ingenue profitentur. Quid igitur? teneamus (ut alibi in re ſimili Auguſtinum memini dicere) teneamus certum: dimittamus incertum. Si Scripturæ verba attendas, vero igne corporeo ſpiritus damnati cruciantur; tene certum. Silet Scriptura de modo hujus cruciatus, neque aliunde nobis de eo quidquam certi innoteſcit; dimitte incertum.

§. II.

An decedentibus in peccato mortali peculiaris locus aliquis ſit deſtinatus ad ſubeundam damni & ſenſus pœnam? quando item illius fiat initium? & quæ ejus duratio?

Quæ ſit quoad ſubſtantiam damni & ſenſus pœna, pro peccato mortali in alterius vitæ ſtatu luenda, priore §. dictum; reliquum eſt, ut de ejusdem pœnæ loco, initio, & duratione controverſias expediamus. Et quia cauſa hæc damnatis hominum animabus communis eſt cum dæmonibus, de his quoque inſerenda erunt aliqua. Sit primum

Digitized by Google

De loco puniendis reprobis deſtinato, ſeu Inferno.

11 I. BEllarmino teſte L. 4. de Chriſto C. 8. & L. 2. de Purgat. C. 6. Calvinus, Beza, Bucerus, horumque ſimiles negant peculiarem ullum dari locum, qui ſit reprobis ad luendam damnationis pœnam deſtinatus. Affirmant ex adverſo DD. orthodoxi: quamvis veteres quidam PP. in loco hoc (quoad dæmones præſertim) deſignando varient. Nimirum cum Scriptura eum locum nomine *Inferni* compellet, compluribus viſum, ſub terra illum eſſe pro omni tempore collocandum: non deerant tamen, qui eo nomine aut aerem ſolum, aut partim hunc, partim ſubterraneas ſpecus, partim terræ hujus ſpatia, aut etiam mortuorum buſta & ſepulchra intelligenda putarent, idque ſaltem quoad dæmones, & pro eo tempore, quod extremum Judicii diem antecedit. Pro aere (præter Tertullianum in Apologet. C. 22.) pluribus locis pugnat Auguſtinus, ut L. 3. de Geneſi ad lit. C. 10. in Enchir. C. 28. in L. 8. de Civ. Dei C. 22. ubi ait dæmones *in hoc aere habitare: quia de cœli ſuperioris ſublimitate dejecti, - - in hoc ſibi velut congruo carcere prædamnati ſunt;* aerem porro hunc ab Apoſtolo *infernum* dici, *quod inferior pars mundi ſit*, ut notat in Enar. in Pſal. 149. In aere ſimul & infra terram dæmonum pœnæ locum conſtituit Hieronymus in Ezech. C. 32. & Euſebius de Præparat. Evang. L. 5. ubi eum ſimul ad buſta & ſepulchra mortuorum extendit. At enim

12 II. Uti certum eſt peculiarem dari aliquem damnatorum locum: ita probabilius videtur, eum eſſe nominatim infra terram collocandum univerſim pro damnatis, proinde & dæmonibus, ac pro tempore etiam Judicium extremum antecedente.

Ratio

Digitized by Google

Ratio 1*mi* eſt teſtimonium Scripturæ, ut quæ repetitis vicibus loci hujus ad pœnas damnatorum deſtinati ſub nomine *inferni* meminit. Ita Luc. 12. vocatur *gehenna;* & C. 16. dicitur dives *ſepultus in inferno*, quem ipſe illic vocat *locum tormentorum*, ſeque in illo ait *cruciari flamma.* Idem in Apoc. C. 14. dicitur *locus iræ Dei magnus;* & C. 20. *ſtagnum ignis.* Sed & PP. univerſim de hoc loco, ut is generatim aſſeritur, conſentiunt: hinc Chryſoſt. Hom. 49. & 50. invehitur in eos, qui *locum gehennæ negant, ut ejus pœnas non timeant;* Cyrillus autem Alex. L. 1. in Iſai. C. 5. interrogans, *quæ eſt inferni anima?* reſpondet: *locus potius eſt infernus, & animarum miſerarum carcer horrendus.*

Ratio 2*di* quoad locum ſubterraneum petitur ex iis Scripturæ verbis, quibus hic pœnarum locus vocatur *infernus:* quo utique vocabulo magis proprie deſignatur locus aliquis infra terram ſitus; præſertim cum idem Iſai. 14. dicatur *profundum laci*, Jobi 11. *profundum inferni*, Pſ. 85. *infernus inferior*, & Luc. 8. *abyſſus.* Inde eſt, quod Auguſtinus LL. de Gen. ad lit. recognoſcens, in L. 9. Retract. C. 29. fateatur: *de inferis magis mihi videor docere debuiſſe, quod ſub terris ſint, quam rationem reddere, cur ſub terris eſſe credantur.* Hunc ipſum porro locum ad pœnam ſubeundam deſtinatum eſſe omnibus univerſim damnatis, etiam dæmonibus, colligitur ex verbis Chriſti apud Matth. C. 25. *ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus;* quæ profecto aperte indicant, locum ignis & pœnarum communem eſſe dæmonibus & hominibus reprobis. Demum ante ipſum judicii diem dæmones (nam de animabus hominum non perinde controvertitur) in hoc tormentorum loco eſſe ac cruciari, ſatis prodit vel illud 2. Petri C. 2. *Deus angelis peccantibus non perpercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos,*

in judicium reſervari. Continuo igitur, ac peccarunt, præcipites acti ſunt in infernum, ibidem cruciandi; ergo jam ante judicii diem. Poſtrema interim hujus textus verba, fateor, aliquem dant dubitationi locum; hinc de hoc paulo amplius infra a N. 15. dicendum erit.

De pœnæ in Inferno luendæ initio.

13 I. DOctor Ang. 1. p. qu. 64. Ar. 4. ad 3. refert, *aliquos dixiſſe, uſque ad diem judicii differri pœnam ſenſibilem tam dæmonum, quam animarum; -- alios vero, licet hoc non concedant de animabus, concedere tamen de dæmonibus.* Quamvis autem hodie oppoſita de utriſque ſententia ſit communiter recepta, ad hanc ipſam nihilominus penitius pernoſcendam utiliter a Theologis inſtituitur quæſtio: ad quodnam tempus referendum ſit initium pœnæ, quæ tam dæmonibus, quam damnatis hominum animabus in inferno eſt luenda? An ſcilicet reproborum hominum animæ ſtatim ab obitu pœnis inferni torqueantur? An item dæmones continuo poſt admiſſum peccatum & impœnitentiam, proinde jam ante extremi judicii diem detruſi ſint ad inferni cruciatus? Quid de utriſque ſentiri poſſit, aut etiam debeat, nunc ſtatuendum. Et quidem

14 II. De damnatis hominum animabus vix jam controverſia eſſe poteſt ulla, poſtquam nempe Concil. Florentinum in Decreto fidei, *Lætentur cœli.* definivit: *illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.* Nefas igitur jam dubitare, pro re imo fide certa habendum, in reproborum hominum animabus mox ab obitu initium fieri pœnæ Inferni. Non leve eſt in eam rem & Scripturæ teſtimonium, dum Luc. 16. narrat Epulonem jam *ſepultum*, & non primo ſepeli-

peliendum in inferno: inque hoc *cruciari* illum, non cruciandum duntaxat. Accedit ſenſus communis fidelium, Doctorum, quin & Patrum illorum, qui argumentum iſtud ex propoſito pertractarunt. Certe Gregorius Mag. quamvis dæmonum pœnam ad judicii diem rejiciat, homines tamen reprobos ſtatim ab obitu in inferno cruciari contendit. *Si eſſe Sanctorum animas* (inquit L. 4. Dialog. C. 18.) *in Cœlo ſacri eloquii ſatisfactione credidiſti, oportet, ut per omnia credas & iniquorum animas eſſe in inferno; quia ex retributione æternæ juſtitiæ, ex qua juſti jam gloriantur, neceſſe eſt per omnia ut & injuſti crucientur. Nam ſicut electos beatitudo lætificat: ita credi neceſſe eſt, quod a die exitus ſui ignis reprobos exurat.* Hæc igitur certa; verum

III. De dæmonum pœnæ initio etiamnum videtur dubita- 15
ri poſſe: idquetum propter Scripturæ loca infra N. 18. laudanda, quibusdicuntur dæmones nondum in abyſſo torqueri, ſed ad judicii diem reſervari; tum quod complures PP. ejus fuerint ſententiæ. Ac horum quidem aliqui putant, dæmones nondum ullam ſuſtinere pœnam: imo nec ſciviſſe ante Chriſti adventum unquam ſe pœnis inferni addicendos; pluribus id ſaltem viſum, omnes nunc (niſi forte propter Apoc. 20. V. 2. & 3. *Lucifero* excepto) in aere noſtro libere verſari: nec prius pœnam ſenſus ſubituros, ac ad infernum detrudendos, quam poſt extremum judicii diem. Vide, ſi lubet, pro his opinionibus a Petavio Theol. Dogm. L. 3. de Ang. C. 4. laudatos Juſtinum M. Irenæum, Origenem, Tertullianum, Ambroſium, Auguſtinum, Epiphanium, Gregorium M. Bernardum, & alios; qui etſi quoad omnia non conſentiant, in eo tamen ſunt concordes: nondum dæmones igne & pœnis inferni torqueri, ſed in cruciatus hos reſervari ad extremum judicii diem. Omnium ætate poſtremus audiatur Bernardus in

Serm.

Serm. de tranſitu S. Malachiæ ita ſcribens: *diffinita quidem, ſed nondum promulgata ſententia eſt; jam diabolo ignis paratus, etſi nondum ille præcipitatus in ignem, modico adhuc tempore ſinitur malignari.* Fatendum porro, contra hanc Patrum ſententiam nondum quidquam eſſe ab Eccleſia definitum; hinc Petavius prorſus non vult aſſentiri Bellarmino, eam ab errore excuſari non poſſe exiſtimanti. Certe illam D. Thomas ſupra laud. Ar. 4. ad 3. referens, erroris non arguit: tametſi ibid. *erroneum* dicat, *beatitudinem Sanctorum differri ad diem judicii.* Interim

16 IV. Saltem veriſimilius cenſendum eſt: dæmones ſtatim poſt admiſſum peccatum & impœnitentiam detruſos eſſe ad infernum, ejusque pœnas ſubire jam ante ſupremi judicii diem. Ita D. Thom. loco paulo ante cit. *melius eſt dicendum*, inquit, *quod idem judicium ſit de malis animabus & malis angelis; ſicut idem eſt judicium de bonis animabus & bonis angelis*: quibus verbis ſimul afferti hujus rationem inſinuat. Nimirum boni Angeli jam nunc ſua beatitudine in cœlo fruuntur; conſequens igitur eſt, dæmones quoque ſuam in inferno damnationem ſuſtinere. Hæc certe ab animabus juſtis ad reprobas arguendi ratio viſa eſt Gregorio M. convincens, ut patet ex ejus verbis N. 14. relatis: cur non eadem obtineat a bonis Angelis ad malos? Ex definitione præterea Florentini conſtat, homines reprobos mox ab obitu inferni pænas ſubire; cur vero ſit reproborum angelorum melior conditio? par in utriſque eſt damnationis cauſa, peccatum ſcilicet & impœnitentia; par igitur damnationis quoad tempus ſuſtinendæ ratio. Id ipſum Scriptura ſignificat tam de Lucifero Iſai. 14. *detracta eſt ad inferos ſuperbia tua*; quam de reliquis malis angelis 2. Petr. 2. *Deus angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*: ubi quoad verba, *non pepercit* & *detractos*, nul-

nullum ſit quoad tempus diſcrimen. In eandem nunc ſententiam cum D. Thoma omnes Theologi conſpirant.

V. At enim, inquies, complures PP. vetuſtiores aliter 17
ſentiunt? Ingenue id omnino fatetur Maldonatus in Comment. ad Matth. C. 8. & cum eo laud. Petavius: quin iſte penitus non probat operam eorum, qui Patres (ut ait) *invitos* ab ea, quam perſpicue tuentur, ad ſuam, communemque ſententiam transferre ſtudent. Verum in præſenti eorum Patrum opinio non obeſt. Licuit ab illis Doctori Angelico & communiter Theologis aliis recedere, cur nobis perinde non liceat? prævalet jam nimirum illis communis ſenſus, idemque in rationibus graviſſimis fundatus. Quid quod hi ipſi Patres opinionem ſuam non raro varient; plures non loquantur aſſertive, ſed conjecturam duntaxat faciant? invicem denique quoad omnia, quæ huic argumento ſunt propria, non conſentiant. Obſervare id eſt in eorum verbis a Petavio fide integra recitatis.

VI. Quid autem de Scripturæ quoad rem præſentem ſen- 18
tentia exiſtimandum? Duplicis potiſſimum generis ſunt loca, quæ nobis adverſari videntur.

Primum quidem illa, quibus dæmones dicuntur eſſe in aere noſtro, ſuper terram, ac inter nos homines: non in inferno, ut jam communiter intelligitur pro loco ſubterraneo. Ita in Apoc. C. 12. *Væ! terræ & mari, quia deſcendit ad vos diabolus;* 1. Petr. 5. *diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret;* ad Eph. 6. colluctationem nobis eſſe *adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus*, id eſt, dæmones in aëre noſtro; Luc. 8. dæmones rogabant Chriſtum, *ne imperaret illis, ut in abyſſum irent:* moxque ibid. dæmonia ab homine exeuntia *intraverunt in porcos.*

Deinde aliis locis legitur, nondum puniri dæmones: ſed pœnam eorum differri ad extremum judicium. Ita Matth. 8. dæmones ad Chriſtum, *quid nobis*, inquiunt, *& tibi JESU Fili Dei, veniſti huc ante tempus torquere nos?* & C. 25. in ultimo judicio ad reprobos dicetur, *diſcedite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus:* ſi paratus, ergo nondum datus. Item 2. Petri 2. *Deus angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reſervari.* Judas in Ep. V. 6. *angelos, qui non ſervaverunt ſuum principatum, - - in judicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſervavit.*

Atque hæc omnino ſunt illa, quibus vetuſtiorum Patrum complures in opinionem contrariam ſunt inducti. Neque tamen ſunt ejusmodi, ut jam communiter receptam ſententiam evertant; cum illa certe conciliari poſſunt, imo & debent. Iſtud vero, collatis invicem pluribus Scripturæ locis, præſtari congrue poteſt, ſi dicas: principio ſtatim dæmones omnes fuiſſe dejectos in infernum; neque hunc unquam ſpoliari omnibus: quamvis ante judicii diem ex permiſſione divina multi eorum, & quidem (ut volunt aliqui) alternis vicibus egrediantur ad exercitationem noſtram, hocque in aere & terra nobiſcum verſentur; hos ipſos nihilominus etiam extra inferni locum damni perinde ac ſenſus pœnam in ſenſu alias explicato ſuſtinere; in extremo demum judicii die omnes ad inferni baratrum ita relegandos, ut hinc alio egrediendi ſpes ſit nulla amplius, neminem amplius poſſint in ſocietatem ſuæ damnationis adducere: forte etiam majore ſenſus pœna cruciandi.

Opinio certe hæc ſuo non caret in Scriptura fundamento; quin multum confert ad ejus loca invicem concilianda. Ita enim verum eſt, dæmones jam eſſe ad infernum præcipitatos; in

Digitized by Google

in hoc etiam mundo agere; nunc quoque ſenſus pœnam ſubire; reſervari nihilominus in judicii diem, ad majores ſcilicet cruciatus: id quod in Apoc. C. 20. ſignificatur illis V. 14. verbis, *hæc eſt mors ſecunda*. Legere eſt hæc inſinuata & probata a Petavio in cit. C. 4. Num. VIII. item XXI. & XXII. Nec aliena ſunt a ſenſu D. Thomæ, qui 1. p. qu. 64. Ar. 4. in ☉ ita habet. *Dæmonibus duplex locus pœnalis debetur; unus quidem ratione culpæ, & hic eſt infernus: alius autem ratione exercitationis humanæ, & ſic debetur eis caliginoſus aer. Procuratio autem ſalutis humanæ protenditur uſque ad diem judicii. - - Unde & uſque tunc - - dæmones in hoc aere caliginoſo ſunt ad noſtrum exercitium; licet eorum aliqui etiam nunc in inferno ſint. - - Sed poſt diem judicii omnes mali tum homines quam angeli in inferno erunt.* Et rurſum ibid. ad 3. *dicendum eſt*, inquit, *quod ſicut locus cæleſtis pertinet ad gloriam angelorum, tamen gloria eorum non minuitur, cum ad nos veniunt; - - ſimiliter dicendum eſt, quod dæmones licet non actu alligentur gehennali igni, dum ſunt in aere iſto: tamen ex hoc ipſo, quod ſciunt illam alligationem ſibi deberi, eorum pœna non diminuitur. Unde dicitur in quadam Gloſſa* (ordin. ſuper illud, inflammat rotam) *Jacobi* 3. *quod portant ſecum ignem gehennæ, quocunque vadant. Nec eſt contra hoc, quod rogaverunt Dominum, ut non mitteret eos in abyſſum, ut dicitur Luc.* 8. *quia hoc petierunt reputantes ſibi pœnam, ſi excluderentur a loco, in quo poſſunt hominibus nocere. Unde Matth.* 8. *dicitur, quod deprecabantur eum, ne expelleret eos extra regionem.* Libuit hæc ad verbum ex Doctore Ang. exſcribere, ne cui videremur in controverſia adeo ancipiti noſtra duntaxat opinione agi.

De pœnæ inferni duratione.

I. Quod de inferni pœnarum duratione primum controvertitur, eſt: num dæmones æque ac reprobi homines 19

 puni-

puniendi ſint æternum, pœnis ſcilicet nunquam finem habituris? Negavit id Origenes, ut in plerisque aliis, ita in hoc quoque Platonicorum dogma ſecutus: ac in Op. quidem *Periarchon* L. 1. C. 6. dæmonum ſupplicia aſſerit non duratura æternum; dein vero Hom. 8. in Joſue quoad hoc videtur mutare opinionem, putans dæmones æterno igne damnandos, homines vero reprobos ab inferni pœnis aliquando tandem liberandos. Sed & in aliis locis non ſemper ſibi conſtat, ambigue etiam non raro profert ſententiam; inde factum, ut ab errore hoc illum quidam vindicandum cenſerent. At fruſtra ſunt reclamantibus Hieronymo, Athanaſio, Epiphanio, Auguſtino, aliiſque Patribus a Petavio L. 3. de Ang. C. 6. relatis, qui omnes erroris hujus Origenem arguunt. Sufficiat nobis teſtimonium Synodi V. pro œcumenica receptæ, nempe Conſtantinopolitanæ II. ex cujus actis Nicephorus Calliſt. L. 17. C. 27. & 28. refert, inter Origenis errores hunc etiam damnatum eſſe: *omnium impiorum hominum, ipſorumque etiam dæmonum tormenta finem habitura, atque impios & dæmones in priorem ſuum ſtatum reſtitutum iri; præterea Chriſtum oportere pro dæmonibus crucifigi, & id ipſum ſæpius per futura ſecula perpeti a ſpiritibus nequitiæ, qui ſunt in cœleſtibus.* Hunc errorem ſubinde ſecutos Socinianos, commemorat Simonnet: quid vero ſentiendum de Patribus, qui in hoc Origenis dogma videri poſſunt propenſiores, dicetur infra N. 26. in Reſp. ad III.

20 II. Quod alterum de ejuſdem pœnæ duratione controvertitur, eſt quæſtio apud DD. Scholaſticos celebris: an ſcilicet etiam peccatum veniale, quod in hac vita non fuit remiſſum quoad culpam, in damnatis puniatur *per accidens* pœna inferni æterna? *per accidens* inquam, hoc eſt, ratione conſortii cum peccato mortali: itemque ratione damnatorum ſtatus, in quo non eſt veniæ locus. Affirmant communiter Thomiſtæ; eoſque

que cum nonnullis ſequitur Suarez; negant Scotiſtæ, & cum his plures alii, ut videre eſt apud Maſtrium de Pecc. Diſp. 6. Eadem quæſtio a quibusdam inſtituitur de peccato mortali quoad culpam & pœnæ æternæ reatum, non item quoad pœnam temporalem in hac vita remiſſo. Sunt complures, qui in primo aſſentiantur Thomiſtis: hoc alterum tamen negent. Nos de utraque iſthic propoſita controverſia duabus Aſſertionibus ſtatuemus.

ASSERTIO I.

Fide certum eſt, dæmonum perinde ac hominum damnatorum pœnas inferni æternum eſſe duraturas.

PRob. I. ex S. Literis. Legitur quippe Iſ. 33. *quis poterit habitare de vobis -- cum ardoribus ſempiternis?* Matth. 25. *diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus.* Ep. 2. ad Theſſal. C. 1. *qui non obediunt Evangelio -- pœnas dabunt in interitu æternas.* Apoc. 14. *fumus tormentorum eorum aſcendet in ſecula ſeculorum.* An non vero his pœnarum inferni durationem ſempiternam docemur? Fateor equidem in Scripturis *æternitatem* non raro ſumi pro longa duratione aliqua; at enim eadem ſumitur etiam ſæpe pro duratione finem non habitura: hæcque vocis acceptio præterea eſt propria, a qua citra grave fundamentum non eſt recedendum. Ac in præſenti quidem vocem eam ſenſu proprio ſumendam non tantum Traditio, ſed ipſa Scriptura etiam aperte docet, cum Iſ. 66. de reproborum pœnis dicatur, *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur;* Matth. 3. *paleas autem comburet igni inextinguibili.* Denique paulo ante citatis apud Matth. C. 25. verbis additur: *& ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam;* ſicut igitur vitæ æternitas, ita & pœnarum æternitas ſenſu proprio eſt accipienda. 21

Digitized by Google

22 Prob. II. ex Conciliis & Patribus, atque in his fundata Traditione. Vide pro fronte L. hujus laudatum Conc. Conſtantinopolitanum II. & Lateranenſe IV. in priore damnatur Origenis error; in altero aſſeritur reproborum *cum diabolo pœna perpetua:* qua vero perpetuitate? niſi ea ipſa, qua ibid. dicuntur juſti habituri *gloriam ſempiternam.* Sed & Tridentinum pluribus locis damnatorum pœnam vocat *æternam:* ut Seſſ. 6. Can. 25. & 30. quo eam opponit *temporali exolvendæ in hoc ſeculo vel in futuro;* item Seſſ. 14. Can. 5. ubi dicit per peccatum contrahi *amiſſionem æternæ beatitudinis & damnationis incurſum.* Patrum teſtimonia referre longum foret, cum idem unanimi conſenſu doceant. Juſtinus Mart. in Apol. 2. *injuſtos in perpetuo ſenſu, una cum malis geniis, in ignem mittet ſempiternum.* Irenæus L. 4. C. 47. *pœna eorum, qui non credunt verbo Dei, -- non ſolum temporalis, ſed & æterna facta.* Auguſtinus L. 24. de Civ. Dei C. 9. *quod de ſempiterno ſupplicio per Prophetam Deus dixit, fiet omnino: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur;* quin C. 17. addit, jure ab Eccleſia reprobatam fuiſſe contrariam Origenis ſententiam. Leo M. Serm. 4. de Collect. *quis mala nunquam finienda non timeat?* Eadem paſſim legere eſt apud alios, quibus demum accedit conſtans & communis fidelium ſenſus.

23 Prob. III. ratione theologica. Eſt ſcilicet peccatum grave in ſuperiori ordine ad omnem pœnam temporalem; ex ſe igitur meretur pœnam temporali majorem, hoc eſt, non finiendam ullo tempore; damnatos ergo propter grave peccatum poteſt Deus juſte punire æterno ſupplicio: re ipſa autem etiam nunc ita punire docet Scriptura & Traditio. Recole in hanc rem a nobis dicta L. II. de Pecc. Diſſert. II. N. 72. V. *2do etiam* &c.

AS-

Digitized by Google

ASSERTIO II.

Veriſimilius eſt, veniale, tametſi in hac vita non fuerit remiſſum quoad culpam, in damnatis non puniri æternum, ſed temporali duntaxat pœna; idemque ſentiendum videtur de peccato mortali, jam antea in hac vita quoad culpam & reatum pœnæ æternæ remiſſo.

PArs I. fundatur in eo, quod peccatum veniale in nullis circumſtantiis, proinde nec in conſortio peccati mortalis, aut ratione ſtatus damnationis mereatur pœnam æternam; ergo nec *per accidens*, hoc eſt, neque in his circumſtantiis a Deo punitur pœna æterna. Illatio videtur legitima: quamvis enim Deus ex bonitate ſua præmiet ultra condignum, vi ejusdem tamen bonitatis & juſtitiæ non punit, imo nec poteſt punire peccata ultra demeritum; hinc Auguſtin. L. 3. contra Julian. C. 18. *bonus eſt Deus, juſtus eſt Deus: poteſt ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt; non poteſt quenquam ſine malis meritis damnare, quia juſtus eſt.* Aſſertum autem propoſ. primæ repetitur inde, quia peccatum veniale ratione memorati conſortii & ſtatus non evadit gravius: ſecus deſineret eſſe id, quod ſua natura eſt, nempe veniale; cum igitur *per ſe* non mereatur pœnam æternam, non etiam *per accidens*, ex his ſcilicet circumſtantiis. Adde: veniale ex conſortio cum mortali non meretur pœnam intenſiorem; ergo nec diuturniorem. 24

Pars II. ex nunc dictis facile deducitur, cum peccato mortali quoad culpam & pœnam æternam in hac vita remiſſo, non aliud ſuperſit, quam temporalis pœnæ reatus, qui idem eſt veniali etiam proprius; eadem igitur illius ac hujus habenda ratio. Sed & illud huc facit: quod peccati mortalis quoad culpam & pœnam æternam remiſſio non ſit conditionata, verum abſo- 25

abſoluta ; atqui vel ideo Deus ob peccatum ita remiſſum nequit *per accidens* punire pœna æterna: ſecus enim puniret pœna illa, quam remiſit; ergo &c. Si propoſitionem Maj. in dubium quis vocet, in hunc modum pro ea argue : ſi remiſſio illa ſit tantum conditionata, ſub hac videlicet conditione, *ſi juſtificatus in gratia deceſſerit*, jam ejusmodi peccatum remiſſum, non mere *per accidens*, ſed omnino *per ſe* & ratione ſui punietur æterna pœna; non volunt iſtud admiſſum adverſarii ; ergo nec illud. Hanc porro conſecutionem rite fieri declaratur ab exemplo meritorum juſti : quia nimirum iſta (ut ex propoſito dictum eſt in Sacram. L. V. de Pœnit. Diſſert. V. §. II.) per ſubſequens peccatum non extinguuntur abſolute, ſed ſub hac tantum conditione, *ſi peccator decedat impœnitens*, jam verum eſt, merita priora per remiſſionem peccati ita redire, ut non mere *per accidens*, ſed revera *per ſe* ac ratione ſui præmientur vita æterna; perinde igitur &c.

Refelluntur momentà contra Aſſertion. I. pugnantia.

26 QUi pro ſententia Origenis arguunt, fere utuntur momentis ex Scripturæ, Eccleſiæ, & Patrum ſenſu depromptis. Ita autem argui poteſt

I. ex S. Literis. Harum teſtimonio docemur, in omnibus (proinde etiam quoad damnatos) miſericordiam Dei potiorem eſſe juſtitia: hinc Pſ. 144. *miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus*; & Jac. 2. *ſuperexaltat miſericordia judicium*. Item, non futuram æqualem in damnatis omnibus pœnæ durationem ; ita Mar. 12. de Scribis dicitur: *hi accipient prolixius judicium*. Denique, non infligendam ulli a Deo pœnam perpetuam : certe Iſaias C. 24. de reprobis, *congregabuntur*, inquit, *in lacum, & claudentur ibi in carcere, & poſt multos dies viſitabuntur*; &

Pſ.

Digitized by Google

Pſ. 102. *non in perpetuum iraſcetur, neque in æternum comminabitur.*

II. ex Eccleſiæ ſenſu. Niſi enim hæc exiſtimet inferni pœnas finem habere poſſe, non erit ratio, cur in Miſſa pro defunctis ſub Offert. utatur hac precatione: *Libera Domine animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu; libera eas de ore leonis, ne abſorbeat eas tartarus &c.*

III. ex Patrum complurium doctrina. Irenæus L. 2. contra hæreſ. C. 64. *omnia,* - - inquit, *initium facturæ ſuæ habent; perſeverant autem, quoad uſque ea Deus & eſſe & perſeverare voluerit:* cenſuit ergo animas non eſſe immortales, atque adeo cum fine exiſtendi finiendas quoque earum pœnas. Idem de impiorum animabus inſinuat Juſtinus in Dial. cum Tryph. ubi poſtquam dixit juſtorum animas non mori amplius, continuo ſubdit: *illæ autem* (impiorum ſcilicet animæ) *excruciantur, quoad eas & eſſe & excruciari vult Deus.* Baſilius vero in Iſaiæ C. 4. ait: *qui poſt acceptam Dei notitiam conſulto ac ſtudio ſe ipſos reddunt obnoxios ſanguini, utique tales opus eſt purgari per ignem;* ſi purgari, ergo purgati evadent.

Reſp. ad I. multo clarius in Scriptura exprimi pœnarum æternitatem, ut patet ex locis N. 21. relatis: conformiter igitur ad hæc, ſi quando in eadem videatur contrarium dici, interpretatio eſt facienda. Cæterum objecti textus plane non favent Origenis opinioni. Quod enim ex Pſalmiſta & Jacobo adfertur, non aliud evincit, quam cum juſtitia ſemper miſericordiam ſimul a Deo exerceri: & quidem ita, ut in hac vita quoad omnes miſericordia primas obtineat, quod nemo ambigit; in altera autem quoad reprobos potior ſit juſtitia, hæc

Digitized by Google

ipſa nihilominus miſericordia temperetur, cum damnati (ſpectata intenſionis pœna) infra condignum puniantur. Marcus autem per vocem *prolixius* intelligit majorem pœnarum acerbitatem, non durationem: quamvis enim reprobis eadem ſit ſupplicii æternitas, non tamen etiam eadem quoad intenſionem pœnæ acerbitas. Iſaiæ locus pro nobis potius facit, nam τὸ *viſitabuntur* ſumit pro *punientur*, conformiter nempe ad C. 26. ubi ait, *viſitaſti & contriviſti eos:* cum igitur C. 33. hujus carceris ardores vocet *ſempiternos*, ſenſus objecti loci, ad mentem Iſaiæ exponendus eſt in hunc modum: æternum claudentur inferni carcere, ac in hoc, etiam poſt expletum quodcunque tempus longum, cruciabuntur. Verba demum Regii Vatis in Pſ. 102. pertinent ad vitam præſentem, in qua facile placatur Deus, ac miſericordiam ſuam cumprimis exercet.

Reſp. ad II. Nihil minus Eccleſiam ſentire, colligitur vel ex ejusdem Miſſæ Graduali, quo recitatur ille Pſ. 111. verſus: *in memoria æterna erit juſtus, ab auditione mala non timebit;* pro ſolis igitur fidelibus in ſtatu juſtitiæ defunctis Miſſam offert, proque his ſolis in ea precatur: præſertim cum in Offic. defunct. clare dicat, *in inferno nulla eſt redemptio.* In oratione proinde Offertorii non aliud intendit petere, quam ut animæ fidelium in gratia defunctorum a pœnis purgatorii liberentur.

Reſp. ad III. His locis Juſtinus & Irenæus non aſſerunt quidem reprobarum animarum immortalitatem: at nec negant; utrumque interim illam agnoviſſe, ſatis patet ex eorum verbis N. 22. recitatis, quibus aperte docent improborum pœnas eſſe æternas, quales utique non forent citra animæ immortalitatem. Baſilium vero τὸ *purgari* ſumere pro *puniri* colligitur ex ejusdem Homil. in Pſ. 33. ubi ait reprobos paſſuros *probrum & verecundiam ſempiternam;* ſi ſempiternam: ergo pœnam ejusmodi, quam evadent nunquam.

At

Digitized by Google

At enim (urgebit aliquis) fatendum eſt, ſaltem in Gregorio Nazianzeno, Gregorio Nyſſeno, Ambroſio item & Hieronymo opinionis ſuæ patronos habuiſſe Origenem: adeo quippe quibusdam locis pœnarum inferni æternitatem diſerte negant, ut vindicari non poſſint; non eſt igitur tam certa reproborum pœnæ perpetuitas, ut aſſeritur. 27

Reſp. I. Sunt, qui cum Simonneto Tract. 5. de Pecc. Diſp. 4. Ar. 3. hos quatuor Patres a ſententia Origenis penitus alienos fuiſſe contendant; contra alii cum Petavio Theol. Dogm. L. 3. de Ang. C. 7. non dubitant aſſerere, quoad hoc in quibusdam locis aſſenſiſſe illos Origeni, aut ſaltem in opinionem ejus propendiſſe. Si primum obtineat: ceſſat objectio. Si alterum: nondum ita urget, ut conclamatum ſit; prævalet nimirum in oppoſitum Scripturæ, Conciliorum, & communis aliorum Patrum ſenſus. Alioqui conſtat: non unius aut alterius Patris, ſed communiter ſentientium doctrina Traditionem confici. Neque tamen propterea erroris (ut vulgo dicitur) *formalis* arguendi ſunt laudati Patres: nondum enim ætate eorum controverſia hæc aperte fuit definita. Epiphanius quidem jam Sec. IV. in Cypriorum Epiſcoporum Synodo damnavit Origenem; at hæc ſummam auctoritatem non habuit, cum œcumenica non fuerit; hinc ejus Decretum ab ipſo Chryſoſtomo eſt neglectum. Neque prius deinde, quam Sec. VI. in Concil. Conſtantinopolitano II. univerſalis Eccleſiæ judicio Origenis errores proſcriptos novimus: cum interim memorati Patres Sec. IV. floruerint. Cæterum non eſt mihi animus, in cauſa hac Patrum controverſa, eaque odioſa, quidquam decernere; ſatis habebo aliorum in utramque partem ſenſa commemorare. Itaque

Reſp. II. Accuſatio perinde ac defenſio laudatorum Patrum

non aliunde, quam ex eorum verbis inſtitui poteſt; hæc igitur primum recitanda erunt, tum eorum criſis audienda.

Gregorius Naz. Orat. 39. *in ſancta Lumina*, Novatianos inceſſens ita ſcribit. *Atque hi quidem noſtra, ſi velint, atque adeo Chriſti via: ſin minus, ſua inſiſtant; forte illic igne baptizabuntur ultimo baptiſmo, qui laborioſior eſt & longior, quique materiam, ceu fœnum, depaſcitur, & omnis malitiæ levitatem conſumit.* Simonnet exiſtimat iſthic agi ſolum de igne Purgatorii; hocque uno Gregorium abſolvit. Petavius contra ignem inferni intelligit, cum eo loco memoretur pœna Novatianis in hæreſi decedentibus luenda; cumque præterea eadem dicatur tantum *longior*, ac ejusmodi, quæ omnem peccati, proinde & hæreſeos malitiam *conſumit*, inferendum putat: Gregorium his verbis profeſſum fuiſſe pœnas inferni eſſe duntaxat temporales, tametſi longiſſimo tempore duraturas. In eam rem provocat quoque ad Orat. 40. in qua hic S. Pater in dubio ſaltem videtur relinquere pœnarum inferni quoad homines æternitatem; nam, præter ignem purgatorium, commemorans eum, qui *in ſceleratorum hominum pœnam ſempiternus eſt*, continuo ſubdit: *niſi malit quispiam hoc humanius, & ut puniente dignum eſt, intelligere.*

Gregorius Nyſſ. in L. Catechetico C. 26. de Verbi Incarnatione loquens, præter alia, hæc habet. *Ita longis temporum circuitibus ablato* (ex Chriſti ſcilicet meritis) *e natuta malo, - - poſtquam eorum, qui nunc in malis jacent, priſtinum in ſtatum erit facta reſtitutio, una voce creatura omnis gratias aget: tam ii ſcilicet, qui in purgatione caſtigati fuerint, quam qui nulla unquam purgatione opus habuerint.* His non abſimilia repetit in L. de anima & reſurrect. ubi ſub medium præterea diſerte addit: *vitioſitate longis Seculorum anfractibus - - extincta, nihil*

præ-

præter bonum relinquetur; ſed etiam dæmones concorditer dominationem Chriſti confitebuntur. Simonnet, ad vindicandum ab hoc errore S. Patrem, ampleſtitur opinionem S. Germani Conſtantinop. Patriarchæ, qui in L. a Photio in ſua Bibl. laudato contendit, ab Origeniſtis corrupta eſſe Gregorii Nyſſ. Opera, haſque nominatim inſertas ſententias. At enim vindiciæ hæ Petavio non ſatisfaciunt: *non facile* (inquit ille) *hoc ſibi perſuaderi ſinet, qui ad illa legenda judicium & candorem adhibebit; quippe tam ſtilus & dicendi character, quam reliqua conſequens oratio germana illa & nativa eſſe demonſtrat.* Hinc aſſerere non dubitat: *Gregorium Nyſſ. ad idem Origenis dogma multum implicatum videri.*

Ambroſius in Pſ. 118. Serm. 20. dæmonum & reproborum hominum pœnam explicans, *diabolus*, inquit, *& miniſtri ejus cum hominibus non flagellabuntur; ſeparata eſt pœna, ubi diſtat & culpa. - - Differtur diaboli judicium, ut ſit ſemper in pœnis reus; - - Dives ille in Evangelio, licet peccator, pœnalibus urgetur ærumnis, ut citius poſſit evadere &c.* ubi agnoſcit quidem dæmones æternum puniendos, at non perinde & homines. Simonneto locus hic videtur obſcurus; alibi autem Ambroſium ait aperte profiteri pœnas etiam hominum æternas, ſcilicet L. de lapſu Virginis (aliis eſt, *ad lapſam Virginem*) C. 8. quo ad pœnitentiam exhortans, *ego tamen*, inquit, *qui ſcio graviora facinoroſis ſervari tormenta, & ſine fine impias animas cruciatus manere, non temporales utique, ſed æternos: aliis te volo cruciatibus affici, profuturis utique &c.* Sed rurſum adverſatur Petavius, ex laud. Serm. 20. ita pronuntians: *Accedit opinioni huic* (Origenis ſcilicet) *etiam Ambroſius, qui diaboli æterna fore ſupplicia cenſet, ideoque pœnam illius differri, ut ſempiterna ſit; hominum vero, quia miſericordia temperari ac circumſcribi ſupplicia debent, ſubinde poſt obitum ea repræſentari.*

Digitized by Google

Hæc fidenter ille: mirum tamen, nullam ab eo iſthic mentionem injici verborum, quæ ex L. de lapſu Virg. recitavimus; niſi forte hunc Librum cum Bellarmino cenſuerit eſſe ſuppoſititium, ut pote continentem Novatianorum errorem, quem tamen Ambroſius ex propoſito duobus Libris de Pœnit. impugnaverit. Vide Bellarminum de Script. Eccl. in Obſervat. ad opera S. Ambroſii laud. L. de lapſu Virg. abjudicantem Ambroſio: eidem contra adjudicantem Petrum Annatum L. 4. de SS. Eccl. Patribus Art. 23.

Hieronymus demum Dial. 1. contra Pelagian. in perſona Attici hæc ait. *Illud vero, - - in die judicii iniquis & peccatoribus non parcendum, ſed æternis eos ignibus exurendos, ferre quis poteſt? - - Denique Iſaias, de quo ponis teſtimonium,* Comburentur, *inquit,* peccatores & iniqui ſimul, *non addidit,* in æternum. - - *Si autem Origenes omnes rationales creaturas dicit non eſſe perdendas, & diabolo tribuit pœnitentiam, quid ad nos? qui & diabolum & ſatellites ejus, omnesque impios & prævaricatores dicimus perire perpetuo: & Chriſtianos, ſi peccato præventi fuerint, ſalvandos eſſe poſt pœnas.* Quibus verbis primum generatim iniquorum, dein ſaltem Chriſtianorum in peccato decedentium pœnas non admittit eſſe perpetuas. Verum ab errore hoc S. Doctorem multis vindicat Simonnet: primum quidem, quod in C. 3. Jonæ univerſim, neque ulla exceptione facta, doceat gravium peccatorum reos cum dæmonibus æterterno igne cruciandos; tum etiam, quod de objectorum verborum ſenſu judicandum ſit ex ſubjecta materia. Dialogo nimirum illo Hieronymus pugnat contra Pelagium, cujus doctrina erat: peccato quolibet amitti juſtitiam, omnia proinde peccata eſſe mortalia, omnia æternum punienda; non reprehendit igitur illum, quod omnes, etiam fideles, in peccato mortali decedentes æternum puniendos diceret: verum quia

pœ-

pœnam hanc æternam extendebat indefinite ad quoſcumque peccatores, proinde etiam illos, qui ſolis venialibus ſunt obnoxii. Unde id contendit unum: quod licet infideles omnes æternis inferni ignibus ſint exurendi, non tamen etiam Chriſtiani omnes; horum quippe multi ex hac vita decedunt cum ſolis venialibus, pro quibus igne quidem purgandi ſunt, at poſt purgatorium hunc ignem ſalvandi. Gravia hæc profecto ad vindicandum Hieronymum momenta: neque tamen benignæ huic expoſitioni aquieſcit Petavius. Primo nimirum provocat ad Commentar. in Iſai. ubi ſub finem Hieronymus, *ſicut diaboli*, inquit, *& omnium negatorum, atque impiorum, qui dixerunt in corde ſuo*, Non eſt Deus, *credimus æterna tormenta; ſic peccatorum, atque impiorum, & tamen Chriſtianorum, quorum opera in igne probanda ſunt, atque purganda, moderatam arbitramur & miſtam clementiæ ſententiam Judicis.* His recitatis ſubdit Petavius: *Hæc Hieronymus ex animi ſententia, quæ de purgatoriis piorum ignibus non poſſunt intelligi, ut ex orationis ſerie liquet &c.* Progreditur deinde ad totum huc pertinentem Hieronymi textum ex jam laud. Dialogo contra Pelag. referendum, ſicque præfatur: *Quin etiam in primo adverſus Pelagianos clarius illam ipſam opinionem aperit, quæ cum dæmonibus ſolos impios, id eſt, Deum ignorantes aut negantes perpetuis tormentis excruciandos aſſerit: iniquos vero & peccatores, qui quidem Chriſtiani ſint, a damnatione liberandos.*

En! de laudatis Patribus quoad cit. controverſa loca in utramque partem ſententias; quæ earum interim obtineat, ut jam ſupra innui, definire nolim: Lectoris arbitrio judicium relinquo. Unum attamen adjiciendum habeo. Petavius ipſe, non univerſim, verum quoad loca duntaxat a nobis iſthic citata eam fert de memoratis quatuor Patribus ſententiam, quam retulimus; idem tamen ſequ. C. 7. ex propoſito oſtendit, eos

quoad

quoad hunc errorem Origeni non adhæſiſſe penitus. *Quin etiam* (ait Num. VIII.) *illi ipſi veteres, qui in abſurda illa, quam ſuperiori Capite retuli, opinione cenſentur, Catholico dogmati favent interdum.* In hanc rem deinde laudat Gregorii Naz. Orat. 15. Gregorii Nyſſ. Oration. de his, qui differunt baptiſma; Ambroſii Commentar. in Lucæ C. 14. ſub fin. item L. 2. de fide, & plura Opera alia; demum Hieronymi Comment. in Matth. C. 25. V. 46. in Iſaiæ C. 14. V. 20. in Jonæ item C. 3. aliaque præterea complura ejus ſcripta. Ipſis porro horum Patrum recitatis verbis, ita denique concludit: *Quamobrem conſtat Hieronymum, & ſi qui alii ſunt ex Sanctis illis Patribus, qui ſcriptis ſuis Origeniana illa dogmata, velut nævos quosdam invexerunt, hæc aliud agentes ex Origenis lectione traxiſſe, atque identidem emendaſſe.*

Reſpondetur adverſariis Aſſert. II. impugnantibus.

28 VEnialia etiam peccata (idem eſt de mortali quoad culpam remiſſo) *per accidens* æternum puniri, hæc videntur evincere.

I. Si pœna in damnatis peccato veniali reſpondens ne *per accidens* quidem ſit æterna, ſed tempore aliquo finienda, neceſſe eſt utique damnatos in inferno ſatispati pro veniali; qui vero iſtud? quando pœnam patiuntur & inviti, & in ſtatu inimicitiæ divinæ: quo utroque nomine pænæ perpeſſio in damnationis ſtatu a Deo acceptari nequit in culpæ compenſationem. Id quod eo urget amplius; quia

II. Secus admittendum foret, in inferno dari mitigationem, quin & remiſſionem pœnæ ſaltem alicujus; at enim adverſatur communis fidelium ſenſus cum Auguſtino in Pſ. 105. dicente: *alicujus mitigari pœnam in inferno, quis audacter dixerit? quandoquidem unam ſtillam non meruit dives.*

Reſp.

Reſp. ad I. C. Aſſertum. Nec obeſt damnatos pœnam ſuſtinere invitos, & in ſtatu inimicitiæ: ad ſatispaſſionem quippe ſatis eſt, integre exolvi pœnam condignam a judice dictatam, ut patet in humanis; unde ſicut judex humanus, ita Deus quoque non poteſt non acceptare in ſatispaſſionem pœnam illam, quam ipſe decrevit, modo integre exolvatur a reo, tametſi invito & inimico. Conſentit his D. Thomas in 4. diſt. 22. qu. 1. Ar. 1. ad 5. ubi docet, venialia quoad culpam jam ante remiſſa ita, ut temporalis duntaxat pœnæ reatus remanſerit, in inferno pœna tantum temporali plecti propterea, quia *pœna ex hoc ipſo, quod ſolvitur, expiatur.*

Neque eſt, quod quis provocet ad hujus vitæ ſatispaſſiones: a Deo quippe in hac vita omnis noſtra ſatispaſſio exigitur ſimul per modum ſatisfactionis; hanc autem (præter neceſſario requiſitum ſpecialem Dei in acceptanda illa favorem) oportet fieri voluntarie & in ſtatu gratiæ. Ex adverſo in altera vita ſatispaſſio exigitur per modum puræ pœnæ, quam integre quis eo ipſo exolvit, quod ſubeat totam. Unde ſimul facile conjicias, non recte argui a ſatisfactione, quæ in inferno præſtari amplius non poteſt pro ullo peccato. Quam in rem utile fuerit conſulere Tridentini doctrinam de ſatisfactionis conditione Seſſ. 14. Cap. 8.

Reſp. ad II. N. aſſertum, ſi quidem ſenſu proprio ſumatur mitigatio & remiſſio pœnæ: tum enim ſolum proprie dicitur mitigari aut remitti pœna, cum ejus nondum integre perſolutæ ſit imminutio aut ceſſatio; iſtud vero in hac ſententia non evenit, cum damnatis eo uſque pro veniali peccato luenda ſit pœna, dum tota perſolvatur. Nemo certe dixerit in humanis, ſolvi totam pœnam idem eſſe, ac minui vel remitti pœnam, nisi

Digitized by Google

niſi ſenſu prorſus improprio: quin potius ita ſolvi pœnam, eſt eam penitus non remitti, nec mitigari. Minus igitur in hac ſententia dici poſſunt damnati *redimi;* hinc D. Thom. loco paulo ante cit. ait: *nec propterea ſequitur, quod ſit in inferno redemptio; quia pœna, quæ ſolvitur, non redimitur.* Sed nec dici poſſunt in inferno habere *refrigerium* proprie tale, comparate ſcilicet ad pœnam peccatis debitam; idque rurſum ex ratione jam data. Atque hinc patet, quo ſenſu intelligendus ſit Auguſtinus.

29 Urgebis attamen, ſaltem peccatum veniale, quoad culpam in hac vita non remiſſum, *per accidens* æternum puniri in damnatis. Etenim

I. Ut ſic puniatur, neceſſe non eſt illud fieri gravius: ſed ſatis eſt, culpam non remitti unquam; certe autem veniale in hac vita quoad culpam non remiſſum, æternum non remittitur amplius; ergo æternum etiam punitur. Eſtque hæc expreſſa D. Thomæ doctrina loco ſupra laudato, ubi verbis jam recitatis præmittit: *veniale ideo in inferno æternaliter punitur, quia ſemper manet.* Idem docet Quæſt. 7. de Malo Art. 10. in ⊙ inquiens: *veniale per accidens fit irremiſſibile peccato mortali conjunctum, -- & ſic per accidens punitur pœna æterna.*

II. Ac omnino niſi iſtud ita habeat, ſequitur, animas juſtas in purgatorio æqualem pro venialibus culpis ſubire pœnam, ac damnatos in inferno; atqui hæc convenienter dici vix poſſunt: ſi ſpectetur diverſus earum animarum ſtatus, alter nimirum amicitiæ, inimicitiæ alter.

Reſp. ad I. propoſ. Maj. negandam eſſe: ut enim veniale peccatum vel *per accidens* puniatur æternum, neceſſe eſt, ut pœ-

Digitized by Google

pœna illi reſpondens ac debita integre non exolvatur ullo unquam tempore. Dices forte: in damnationis ſtatu non remittitur unquam culpa venialis; ergo nec pœna illi debita. Totum id liberaliter admiſerim; aliud quippe eſt in ſenſu proprio remitti pœnam: aliud ceſſare illam, poſtquam integre ſoluta eſt. At enim (inquies) manente reatu culpæ, ſimul manet in hac fundatus reatus pœnæ, ſeu dignitas ad pœnam? manet inquam ſimul reatus & dignitas ad pœnam vel ſolvendam, vel ſolutam C. ſemper ad ſolvendam, nimirum etiam in caſu jam ſolutæ pœnæ N. ſecus maneret dignitas ad pœnam ultra culpæ debitum exolvendam. Alii (quod in re idem eſt) hoc caſu dicunt in damnatis ſemper remanere quidem reatum pœnæ remotum, qui idem eſt cum reatu culpæ: non remanere attamen reatum pœnæ proximum, ut qui importat carentiam ſolutionis pœnæ. D. Thomam fateor quoad hoc eſſe contrarium; at cum ratio ab eo allata non convincat, licebit nobis opinioni noſtræ inſiſtere: præſertim cum hæc videatur eſſe conformior bonitati ac juſtitiæ Dei, qui ultra condignum non punit unquam.

Erit tamen aliquis, qui pro D. Thomæ ſententia in hunc modum arguat: tametſi venialis culpæ reatus *per ſe* non duret æternum, durat tamen *per accidens* ex conſortio peccati mortalis & circumſtantia damnationis; ergo etiam, quamvis reatus pœnæ pro culpa veniali ſolvendæ non duret *per ſe* æternum, *per accidens* nihilominus durat ex eadem circumſtantia. Reſponſum ad hæc ex jam præmiſſis in promptu eſt. Primum omnino ita habet: univerſim enim culpa perſeverat moraliter, dum tollatur per condonationem vel ſatisfactionem; cum igitur hæc in inferno locum amplius non habeant, nihil mirum in damnationis ſtatu culpam venialem perſeverare æternum. Secus de altero ſentiendum: nam reatus pœnæ ceſſat per ſatispaſſionem,

nem, cui etiam in inferno locus eſt quoad pœnam temporalem culpæ veniali debitam. Unde ſimul obſerva: peccatum mortale in inferno *per ſe* puniri æternum non ideo, quod ſit culpa *per ſe* æternum durans ac irreparabilis in inferno; verum quia eſt culpa ſupremi ordinis, in eodem autem ſupremo ordine pœna non ſit alia præter æternam.

Reſp. ad II. N. id conſequi: quamvis enim tam reprobi in inferno, quam juſti in purgatorio temporalem duntaxat pro venialibus culpis habeant pœnam, ea tamen quoad intenſionem ſimul & durationem diverſa eſt. Quoad intenſionem quidem: quia in purgatorio vel ſecundum ſe (ut quibusdam videtur) levior pœna infligitur, ſeu quod infligatur amicis Dei, ſeu quod ab iis patienter toleretur; vel ſi in re ſit æqualis, ſubinde tamen per fidelium ſuffragia minuitur, quin etiam mitius ſentitur ob ſpem liberationis. Quoad durationem vero: nam & quoad hanc videtur haberi ratio amicitiæ & patientiæ; ad eandem præterea minuendam, & accelerandam e pœnis purgatoriis liberationem multum conferunt Eccleſiæ & fidelium ſuffragia. Secus eſt de reproborum pœna, etiam illa, quam pro venialibus culpis luendam habent.

Corollarium.

De reproborum conditione ad pœnas inferni conſequente.

QUæ uſque huc a nobis de ſtatu damnatorum commemorata ſunt, ſatis, ſuperque comprobant, quam *horrendum ſit incidere in manus Dei viventis*, ad Hebr. 10. At enim hæc generatim tantum; quis jam vero minutim ac integre deſcribat omnia, quæ infelicem hanc a facie Dei projectorum conditionem conficiunt, comitantur, aut conſequuntur? mihi ex Theologo-

logorum ſenſu tria duntaxat referre eſt propoſitum. Nimirum

I. Præterquam quod in damnatis animabus magnam partem bona naturalia aboleantur, eaque ipſa, quæ remanent, admodum imminuantur: dona certe ſupernaturalia omnia amittunt penitus. Certum id eſt Theologis omnibus, ſi Alenſem & Durandum excipias, quibus viſum, fidei ſaltem habitum in damnatis remanere propterea, quod Jac. 2. dicatur, *dæmones credere & contremiſcere:* quodque beatitudinis per fidem cognitæ jactura crucientur. At enim neutrum rem evincit. Non plus quippe hæc arguunt, quam in damnatis dari fidem quandam naturalem, in ſignis credibilitatis extrinſecæ fundatam, cujus neceſſitas ipſis relicta eſt in pœnam acerbiorem. Per hanc eandem fidem ſatis eſt eos cognoſcere beatitudinis omnis jacturam, præſertim cum illam ex ipſo ſtatu miſerrimo, quem experiuntur ſpe omni deſtituti, abunde intelligant. Communi huic ſententiæ favet ipſe Doctor Ang. cum par. 1. qu. 64. Ar. 1. dicat, damnatorum fidem niti *quibusdam naturalibus divinæ virtutis effectis.* 30

II. Ad hanc porro naturalium bonorum diminutionem, omniſque præterea doni & auxilii ſupernaturalis ſubtractionem, accedente adhæc cruciatuum acerbitate & ſortis melioris deſperatione, quid pronius? quam ut ea conſequatur obſtinatio, quæ in damnatis cauſet moralem quandam bene agendi impotentiam, imo etiam male agendi neceſſitatem moralem. Atque hanc omnino in dæmonibus (idem vero ex eadem ratione cenſendum eſt de animabus hominum damnatis) obſtinationem agnoſcunt communiter Theologi cum D. Thoma, qui 1. par. qu. 64. Art. 2. ad 5. tantam eſſe illam ait, ut actus eorum deliberati ſemper ſint 31

 mali:

mali: *quia etſi aliquando aliquod bonum faciunt, non tamen bene faciunt;* -- quin actu etiam *naturali bono abutuntur ad malum.* Cui opinioni videtur favere ipſa Scriptura, cum 1. Joan. 3. dicatur: *ab initio diabolus peccat;* ſuper quæ verba Auguſt. L. 11. de Civ. Dei C. 15. *ab initio peccati*, inquit, *ſemper peccat.* Unde, ſi quando in S. Literis (ut Sap. 5. *pœnitentiam agentes*, & Luc. 16. epulo rogans fratres ſuos commoneri de pœnitentia) damnati leguntur actus ſecundum ſe moraliter bonos ponere, dicendum eſt, hos ipſos ab illis mala voluntate poni. Et quoniam hæc agunt ſolum ex neceſſitate morali, actus eorum ſunt omnino peccata; neque tamen ea illis amplius, ratione ſcilicet termini, imputantur ad novam pœnam eſſentialem.

32 III. Ad cumulum denique malorum accedit, quod reprobi in damnationis ſtatu priventur omni ſolatio, nihil refrigerii unquam capiant, nec ſuffragiis ullis ſublevari, aut ſupplicia eorum mitigari poſſint. Communis eſt hic hodie fidelium ſenſus: cui ſuffragatur & Auguſtinus verbis N. 28. in Object. II. recitatis; quanquam idem in Enchir. C. 92. videatur opinione Petavii concedere, ut quis damnatorum pœnas aliquantum mitigari exiſtimet: quod ipſum inſinuat ibid. C. 110. Cæterum hæc Auguſtinus nuſpiam abſolute & aſſertive. At vero Chryſoſtomus Hom. 3. in Ep. 2. ad Theſſal. paulo apertius eam opinionem amplectitur, cum ait fidelium preces & eleemoſynas exiguum ſaltem aliquod afferre ſolatium damnatis, qui cum fide Chriſtiana deceſſerunt. *Ploremus iſtos*, inquit, *opitulemur ipſis pro viribus; excogitemus opem illis aliquam, parvam quidem, ſed quæ juvare nihilominus poſſit. Quinam iſtud, & qua ratione? ut & oremus ipſi, & alios hortemur, ut pro illis orationes faciant, & pauperibus pro illis largiamur aſſidue. Affert ea res ſolatii aliquid.* Ejuſdem opinionis videtur fuiſſe Damaſcenus in L. de Defunct. ac ex parte ſaltem Prudentius

in

in Hymno 5. τῶν Καθημερινῶν, ubi damnatis Feſto Paſchatis aliquid relaxationis indulgeri canit. Hæc commemorans Petavius in ſupra cit. L. C. 8. ita concludit. *De hac damnatorum ſaltem hominum reſpiratione nihil adhuc certi decretum eſt ab Eccleſia Catholica; ut propterea non temere, tanquam abſurda, ſit explodenda SS. Patrum hæc opinio: quamvis a communi ſenſu Catholicorum hoc tempore ſit aliena. Et vero maximum adverſus illam præjudicium eſt, quod nunquam Eccleſia pro damnatis orare conſuevit: quod profecto faceret, ſi levari ſaltem illorum cruciatus poſſent; etſi penitus terminari non poſſent.*

§. III.

An cum ſolis Venialibus peccatis decedentes puniantur poſt hanc vitam Purgatorii pœna? quæ item illa, & qualis?

Argumentum præſens, quo pœna Venialibus culpis poſt hanc vitam debita in controverſiam vocatur, commune eſt peccatis etiam Mortalibus, jam antea quoad culpæ & pœnæ æternæ reatum condonatis: his enim perinde ac illis ſola deinceps in alterius vitæ ſtatu reſpondet temporalis pœna. Hanc jam vero ex uſu a veteri recepto Catholici dicimus *Purgatorium*; de quo præcipue quæritur: an detur? & num in eo animæ fidelium ſuffragiis juvari poſſint? De utroque hoc ſtatuemus ex propoſito; in Corollario deinde adjiciemus aliqua de Purgatorii circumſtantiis, ex quibus colligere pronum erit, quæ ſit, & qualis hæc pœna. In eam rem haud ſupervacaneum fuerit prævie exponere fidei de Purgatorio dogma, eique oppoſitos errores: ne quis fide certa cum opinionibus, tametſi communiter receptis, confundat.

De-

Digitized by Google

Definitio Purgatorii, & de eo Fidei doctrina.

33 I. PUrgatorii nomine intelligitur locus quidam, in quo juſtorum animæ, quæ ſcilicet cum ſolis venialibus, aut mortalibus etiam quoad culpam jam antea remiſſis deceſſerunt, poſt hanc vitam purgantur per pœnas, quibus ſubinde exolutis in Cœlum recipiantur. Atque de hoc duo duntaxat ſunt, quæ ex definitione Eccleſiæ conſtat pro fidei dogmate habenda eſſe. Primum quidem: juſtorum animas, a reatu pœnæ nondum integre ſolutas, poſt hanc vitam pœnis purgari, donec expiatæ in Cœlum commigrent. Alterum vero: has ipſas animas in hoc pœnarum loco poſſe vivorum ſuffragiis juvari. Utrumque iſtud fide certum eſſe patebit a N. 37. Unde

34 II. Quæ præterea de Purgatorio quæruntur, e. g. de loco: an idem ſit cum damnatorum inferno, an ab hoc diverſus? de pœna item: an conſiſtat in cruciatu per ignem? an tantum per caliginem & mœrorem? demum de duratione: quanta illa ſit ſcilicet quoad ſingulas animas pœnis Purgatorii addictas? hæ inquam, hiſque non abſimiles quæſtiones aliæ ad fidem non pertinent, tametſi de compluribus certas & communi Doctorum ſuffragio probatas habeamus ſententias, ut in Corollario dicetur. Hoc loco proinde contra Eccleſiæ adverſarios acturi, id duntaxat ex propoſito diſputandum ſuſcipimus: num fide certum ſit dari aliquem defunctorum ſtatum, in quo expientur pœnis temporaneis, a quibus Eccleſiæ & fidelium ſuffragiis ſublevari poſſint?

Sectariorum error.

35 I. AErius, Seculi IV. hæreſiarcha, cæteris erroribus ſuis id quoque adjecit, quod (teſte Epiphan. hær. 75. &

Au-

Auguſtino hær. 53.) damnaret orationes pro defunctis; factus proinde anteſignanus eorum, qui deinde Purgatorium in ſenſu catholico acceptum aperte negarent. Tales autem fuiſſe Valdenſes, Apoſtolicos, Petro-Bruſianos, & Albigenſes memorat Bellarminus L. 1. de Purg. C. 2. His ſubinde (quidquid ſit de Wicleffitis & Huſſitis, de quibus controvertunt aliqui) ſuis cum ſectatoribus acceſſerunt Lutherus & Calvinus, quorum tamen neuter ſibi conſtitit. Lutherus certe in Diſp. Lipſica, *ego*, inquit, *qui credo fortiter, imo auſim dicere, ſcio Purgatorium eſſe, facile perſuadeor in Scripturis de eo fieri mentionem.* Admiſit igitur Purgatorium: at deinde negavit illud poſſe ex Scriptura probari; quin & alios hujus argumenti adjunxit errores, quos in ejus propoſitionibus a Leone X. damnatis pro fronte L. retulimus. Demum in L. de abrog. Miſſa ſine ambagibus aſſeruit nullum eſſe poſt hanc vitam Purgatorium, ſed in vita tantum & morte: *horror enim & pœna mortis purgat, ſi quid purgandum ſupereſt*; proinde *melius eſſe in totum negare Purgatorium.* Calvinus vero L. 3. Inſt. C. 5. §. 6. *purgatorium* dicit *exitiale ſatanæ commentum, -- quod fidem noſtram labefacit & evertit*; eodem tamen L. C. 25. §. 6. agnoſcit *animas fidelium in requiem recipi, ubi expectant cum gaudio fruitionem gloriæ* &c. quod quid aliud eſt? quam agnoſcere locum aliquem, quo recipiantur fidelium defunctorum animæ, a cœlo & inferno diverſum: quod etſi non integre, ex parte tamen aliqua convenit cum doctrina catholica de purgatorio.

II. Sed & Græci ſubinde in ſchiſma prolapſi eodem, aut ſaltem conſimili errore ſe ſe implicuerunt. Ac modernos quidem negare Purgatorium ſatis conſtat; nec antiquiores autem penitus ab eo errore immunes fuiſſe, vel inde colligas, quod D. Thomas in Opuſc. contra Græcos hunc errorem refellat, & 36

dari Purgatorium probet. Id verum, quod in Hiſt. Conchii Florent. Tom. 18. apud Labbeum & Coſſartium legatur, Græcos in Collatione privata Ferrariæ de Purgatorio habita non negaſſe, animas juſtorum purgari in vita altera: verum contendiſſe tantum, eam purgationem non fieri per ignem. *Eſt igitur hæc* (ita habet laud. Hiſtoria in Quæſt. de Purgat.) *inter eos differentia; Græci enim pœnam, mærorem, & pœnæ locum aſſerunt, ſed non per ignem: Itali vero pœnam, purgationemque per ignem.* Paulo diverſa eſt interim ab his narratio Horatii Juſtiniani in Actis ejusd. Concilii Collat. 22. ubi refert, per Latinos deputatos oblatam eſſe Græcis de Purgatorio ſchedam, iis plane conceptam verbis, quæ deinde Fidei & Unionis Decreto inſerta ſunt, neque ullam *ignis* mentionem injiciunt; Græcos nihilominus dixiſſe: *nobis hoc non eſt dogma Orientalis Eccleſiæ &c.* Ut ut igitur ſit de genuino eorum Græcorum circa Purgatorium ſenſu; cum tamen hoc Concilium Seſſ. ult. in memorato Decreto doctrinam de Purgatorio definitive inſeruerit fidei dogmatis, in quæ demum Græci cum Latinis convenerant, id ſaltem conficitur: Græcos ante unionem ſuſpectos fuiſſe erroris de Purgatorio, aut in fidei doctrina de illo non ſenſiſſe integre cum Rom. Eccleſia. Cum hac porro ſentientibus eſt ſequens

ASSERTIO.

Fidei veritas eſt dari Purgatorium, ſeu locum aliquem, in quo poſt hanc vitam a peccatorum reliquiis per pœnas temporales expientur juſtorum animæ: eaſque illic detentas Eccleſiæ & fidelium ſuffragiis juvari poſſe.

UTraque hujus Aſſertionis pars clare definita eſt tam in Concil. Florentino per fidei & unionis Decretum, quod incipit *Lætentur Celi:* quam in Tridentino Seſſ. 6. de Juſtif. Can.

30.

Digitized by Google

30. item Seſſ. 22. Can. 3. ac demum Seſſ. 25. in Decr. de Purgat. ut patet ex horum Conciliorum verbis pro fronte hujus L. recitatis; ut adeo Catholicorum quidem nemini jam dubium ſit, in Aſſertione propoſita fidei veritatem contineri. Reliquum igitur eſt, ut de eadem Schiſmatici & Novatores convincantur; quam in rem tria ſint argumenta, ex Scriptura nempe, Traditione, & ratione theologica.

Argumentum I. ex S. Literis. Ac ex his quidem præcipuum eſt illud, quod 2. Machab. 12. legitur: *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur.* Mortui ergo poſſunt a peccatis ſolvi; at non in inferno, ex quo non eſt redemptio: non in cœlo, in quod nihil inquinatum introibit; in loco igitur ab his diverſo aliquo, quem ipſum Catholici Purgatorium dicimus. Accedit exemplum Judæ Machabæi, qui (ut eod. C. refertur) *facta collatione, duodecim millia drachmas argenti miſit Jeroſolymam offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium, bene & religioſè de reſurrectione cogitans; & quia conſiderabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam.* Factum porro hoc Judæ laudatur jam præmiſſis verbis, *Sancta ergo & ſalubris* &c. Quorſum autem iſta? niſi pro mortuis ſit locus aliquis, in quo illis proſint Sacrificia & orationes. Huc facit & illud Matth 12. *qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro*; ergo dantur peccata aliqua, quæ remittuntur in futuro ſæculo: *neque enim* (ita arguit Auguſtin. L. 21. Civ. Dei C. 24.) *de quibusdam veraciter diceretur*, Quod non eis remittatur neque in hoc ſæculo, neque in futuro, *niſi eſſent, quibus, etſi non in iſto, tamen remitteretur in futuro*; atqui peccata mortalia in futuro ſæculo non remittuntur in inferno; neceſſe igitur eſt venialia remitti in Purgatorio. 37

Atque hæc duo loca omnino convincentia ſunt. A reliquis referendis abſtineo: cum (ut notat Alexander Nat. in Hiſt. Eccl. Seculi IV. Diſſert. 45. Propoſ. 1.) non perinde videantur rem evincere, ſeu ſpectetur contextus, ſeu varia eorum apud PP. expoſitio. Videri interim utiliter poſſunt apud Bellarminum L. 1. de Purg. C. 3. & 4. quamvis enim forte hoc fidei dogma non demonſtrent evidenter: ad illuſtrandum tamen illud haud parum conferunt. Id genus loca ſunt: Matth. 5. *non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem*; item 1. Cor. 3. *unius cujusque opus, quale ſit, ignis probabit; - - ſi cujus opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen, quaſi per ignem.* Hiſque plura alia.

38 Argumentum II. ex Traditione, cujus locuples teſtimonium habemus conſentientem Patrum & Conciliorum doctrinam. Nimirum

Patres tam Latini quam Græci pœnas Purgatorii pluribus locis commemorant. Baſilius in Iſaiæ C. 9. *non omnimodam internecionem comminatur, ſed innuit expurgationem juxta Apoſtoli ſententiam, ipſe autem ſalvus erit quaſi per ignem.* Gregorius Nyſſ. in Orat. pro mort. *non poterit a corpore egreſſus divinitatis particeps fieri, niſi maculas animo immixtas purgatorius ignis abſtulerit.* Auguſtinus Hom. 16. ex 50. *qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, per ignem quemdam purgatorium tranſibunt.* Gregorius L. 4. Dialogor. C. 39. *de quibusdam levibus culpis eſſe ante judicium purgatorius ignis credendus eſt.* Nec minus Patres meminerunt ſuffragiorum, quibus defuncti juventur. Tertullianus L. de Cor. Mil. *oblationes pro defunctis annua die facimus.* Chryſoſtomus Hom. 3. in C. 1. ad Philipp. *non fruſtra ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, ut in tremendis Myſteriis defunctorum agatur commemoratio; noverunt enim inde illis multum*

tum

Digitized by Google

tum emolumenti fieri. Cyrillus Hieroſ. Catech. 5. *pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi ſunt, maximum credentes eſſe animarum juvamen* &c. Patres reliquos vide apud Bellarmin. cit. L. 1. C. 6. Sed &

Conciliorum ſenſa in hanc Patrum doctrinam conſpirant, cum ſcilicet preces ac Sacrificia pro defunctis fieri memorant, aut etiam præcipiunt. Ita Carthaginenſe III. C. 29. & IV. Cap. 79. Bracarenſe I. Cap. 34. & 39. Aurelianenſe II. Cap. 14. Wormatienſe Cap. 10. Idem legere eſt in Græcorum Synodis a Martino Bracar. Epiſc. collectis C. 69. Quibus denique ſummum pondus addunt Florentinum & Tridentinum jam alias a nobis laudata. Hæc porro tam Patrum quam Conciliorum teſtimonia adeo indubitata ſunt, ut vel Calvinus illa negare non auderet; hinc L. 3. Inſtit. C. 5. §. 10. ait: *ante mille & trecentos annos uſu receptum fuit, ut precationes fierent pro defunctis* &c. Laudanda in hoſte confeſſio, niſi eam corrupiſſet, cum mox addit: *ſed omnes, fateor, in errorem abrepti fuerunt.* Dictum impudens! quaſi vero plus deferendum ſit Calvino apoſtatæ, quam toti retro ſanctiſſimæ antiquitati. Quis ſanæ mentis ſibi perſuadeat? per annos mille & trecentos Eccleſiam uſum hunc cum errore continuaſſe, nec tamen, qui reſiſteret, ex antiquis repertum ullum, ſi demas Aerium, Novatorum non minus quam noſtra ſententia hæreticum.

Argumentum III. ex ratione theologica triplici nomine inſtitui poteſt. 1mo. Dantur venialia peccata, ut jam L. II. de Pecc. probatum eſt; quid ſi jam vero in his juſtus decedat? cum ſit amicus Dei, non utique damnationi obnoxius: neque tamen continuo in cœlum recipitur, cum labe aliqua ſit inquinatus; oportet igitur locum eſſe aliquem, in quo penitus emundetur ac purgetur. 2do. Remiſſa culpa non ſem- 39

 per

per remittitur pœna temporalis, id quod L. V. de Pœnit. declaravimus; cum ergo de graviſſimis peccatis ita poſſit in agone agi pœnitentia, ut tempus non ſuperſit amplius integre ſatisfaciendi pro pœna, rurſus neceſſe eſt poſt hanc vitam dari locum, in quo id genus pœna remanens expietur. 3*tio.* Jam inde a primis Eccleſiæ ſeculis communi uſu receptum fuit, ut pro defunctis offerrentur preces, eleemoſynæ, Sacrificia, aliaque pietatis opera; hoc idem pietatis in mortuos officium conſtanter probavit Eccleſia, ut certum ſit ex Patribus, Conciliis, & vetuſtiſſimis Liturgiis, in quibus omnibus fit memoria defunctorum; ergo ſemper Eccleſia exiſtimavit poſſe precibus juvari animas corpore exolutas: quas vero illas? non utique eas, quæ ſunt in Cœlo aut inferno; eas igitur, quæ loco ab his diverſo alio interea detinentur.

Diluuntur argutiæ Schiſmaticorum & Novatorum.

40 SCripturam ſibi patrocinari putant I. quod teſte illa duo tantum ſint poſt mortem loca, quibus recipiantur animæ, cœlum videlicet & infernus. *Si ceciderit lignum ad auſtrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Eccl. 11. *Ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.* Matth. 25.

II. Quod eadem teſte pro animabus in gratia decedentibus unicus ſit ſtatus, beatitudinis ſcilicet. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur; amodo jam dicit Spiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis.* Igitur præter cœlum & infernum admitti nequit ullus tertius locus, in quo poſt obitum animæ detineantur, ac expientur.

Reſp. ad I. Utroque hoc loco non plus evincitur, quam duos tantum eſſe poſt mortem conſtitutos homini terminos ultimos

timos, ex quibus neque egreſſus, neque alio tranſitus pateat amplius. At iſtud non officit, quo minus detur ab his diverſus locus tertius, qualem nos Purgatorium dicimus; quin dari illum comprobant Scripturæ teſtimonia a nobis N. 37. adducta, cum quibus utique objecti textus conciliandi ſunt. Ac ſi denique adverſarii pertinaciter inſiſtant, quid iis videtur de veteribus Patriarchis, aliisque juſtis ante Chriſti adventum ex hac vita decedentibus? numquid hos interea loco aliquo tertio detentos fatendum, ex quo ſubinde per Chriſtum liberari, & in cœlum commigrare poterant? Igitur objecta Scripturæ verba nequeunt accipi eo rigore, ut pro vita functis non ſuperſit ullus omnino locus alius, a cœlo & damnatorum inferno diverſus.

Reſp. ad II. Fatemur & nos, continuo a morte in cœlum & beatam quietem recipi aliquas juſtorum animas: eas nempe, quæ ſine ullo venialis noxæ aut pœnæ reatu corpore ſunt ſolutæ; atque de his ſolis laudata ex Apoc. verba intelligenda ſunt. Cæterum cum eo loco agatur de extremo judicii die, ut contextus docet hujus & aliorum Capitum, prorſus congrue dicitur, verbis illis Joannem ſignificare voluiſſe, juſtos omnes poſt ſupremum judicium continuo transferri ad beatitudinem; id quod Catholicorum nemo negat. Idem eſt de Matthæi verbis prius objectis ex C. 25. ubi pariter ſermo eſt de extremo judicio.

Provocant etiam ad Patres; ac I. quidem eos, quibus viſum poſt hanc vitam peccata amplius expiari non poſſe. Ita L. 1. contra Demetr. ait Cyprianus: *quando iſthinc exceſſum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus eſt, nullus ſatisfactionis effectus.* Similia habet Chryſoſt. Hom. 2. de Lazaro, & Ambroſius L. de Bono mortis. 41

II. Pa-

II. Patrum aliqui duo tantum loca tribuunt animabus corpore ſolutis. Hieronymus præ aliis audiendus, qui in Amos C. 9. hæc ſcribit: *quando anima, vinculis laxata corporeis, volandi quo velit, ſive quo ire compellitur, habuerit libertatem, aut ad inferna ducetur, -- aut certe ad cæleſtia ſublevabitur.*

III. Dubitari ſaltem poſſe de Purgatorio cenſuit Auguſtinus; nam L. 5. *Hypognoſtici* C. 5. poſtquam dixit, fide Catholica conſtare de duobus locis, cœlo nimirum & gehenna, continuo ſubdit: *tertium penitus ignoramus, imo nec eſſe in Scripturis invenimus.* Idem aſſerit Serm. 14. de verb. Apoſtoli.

Reſp. ad I. his locis eos Patres loqui de remiſſione peccatorum mortalium: quæ nec nos dicimus in Purgatorio expiari poſſe. Hunc autem eſſe Patrum ſenſum docet tum contextus: tum alia eorum loca, quibus agnoſcunt juſtorum animas poſt hanc vitam pœnis ſubjici temporaneis, a quibus fidelium ſuffragio ſublevari poſſint. Chryſoſtomi verba jam ſupra N. 38. retulimus. Similia habet Cyprianus L. 1. Ep. 9. & Ambroſius L. 2. Ep. 8. ad Fauſtin. ubi oblationum pro defunctis faciendarum meminerunt.

Reſp. ad II. Si qui Patrum iſtud aſſerant, intelligendi ſunt loqui conformiter ad ea, quæ de ſimilibus Scripturæ verbis ſuper. N. in Reſp. ad I. diximus. Cæterum locus ex Hieronymo adductus ad rem præſentem prorſus non pertinet; neque enim iſthic S. Doctor agit de anima per mortem a corpore ſoluta: verum de ejusdem ſolutione duntaxat morali per cogitationem. Neque omnino aliud vult, quam quod anima impia, quocunque ſe cogitatione vertat, ubique Deum ultorem inveniat. Hinc poſt verba illa, *ad cæleſtia ſublevabitur*, ſubjungit: *ubi ſunt ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus, -- & ibi ſcrutantem manum Dei evadere non valebit* &c.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. ad III. controverſum eſſe apud Criticos, num Auguſtinus ſit auctor *Hypognoſtici.* Ut ut ſit interim; Libri hujus auctor pugnat contra Pelagianos, qui parvulis ſine Baptiſmo decedentibus promittebant vitam æternam extra regnum Cœlorum. Contra hos igitur aſſerit: præter infernum & cœlum, non dari locum tertium, in quo ſcilicet ii parvuli fruantur vita æterna; ut quæ non alibi ſit, quam in regno cœlorum. Hinc ibid. *intrare*, inquit, *in Regnum Cœlorum non eſt aliud, quam in vita beata vivere. -- Da mihi præter hunc, alterum locum, ubi vitæ poſſit requies eſſe perennis* &c. Idem eſto judicium de ſenſu Auguſtini in cit. Serm. 14. Certe hic S. Pater in eod. Opere Serm. 32. aperte dicit, *orationibus S. Eccleſiæ, & Sacrificio ſalutari, & eleemoſynis non eſſe dubium mortuos adjuvari.* Si quando attamen Auguſtinus, aut alii Patres de Purgatorio obmovent dubium: ad modum duntaxat pœnæ illud pertinet, non ad ipſam pœnæ Purgatorii in ſenſu orthodoxo acceptæ ſubſtantiam.

Solemne demum eſt adverſariis, præſertim Novatoribus, 42
rationum quoque momenta opponere. Præcipua ſunt: condonato culpæ reatu, pœnam ipſam ſemper integre condonari; nullum eſſe peccatum natura ſua veniale; poſt hanc vitam non poſſe amplius divinæ juſtitiæ ſatisfieri, nec remitti peccatum; quem igitur in finem ſint piaculares poſt hanc vitam pœnæ? Verum hæc jam alias a nobis expedita ſunt: primum quidem L. V. de Pœnit Diſſert. II. §. IV. cumprimis N. 72. alterum vero L. II. de Peccat. Diſſert. II. §. V. poſtremum denique eod. L. Diſſert. I. §. IV. N. 41. Sed nimirum his adjiciunt præterea

Digitized by Google

I. Præcipuum aſſerendi Purgatorii fundamentum petitur ex LL. Machabæorum; at hoc labile eſt, cum eos Libros non conſtet eſſe Canonicos. Pro talibus certe olim agniti non ſunt a quibusdam Eccleſiis & Patribus; hinc Hieronymus Præfat. in LL. Salomonis, *Machabæorum*, inquit, *Libros legit quidem Eccleſia, ſed eos inter Canonicas Scripturas non recipit.*

II. Quidquid eſt in moriente homine reliquum peccati aut pœnæ, id totum per mortem ipſam, aut ſaltem fidem tollitur; qui enim *crediderit & baptizatus fuerit*, *ſalvus erit*, teſte Chriſto apud Marcum C. ult. Non eſt ergo ulla neceſſitas pœnæ, qua poſt hanc vitam expientur peccata.

III. Precum etiam & Sacrificiorum pro defunctis oblationes nihil conferunt ad probandum Purgatorium. Quid ſi enim illæ ex mente antiquorum fidelium proſint defunctis tantum ad perfectiorem beatitudinis ſenſum, ad augmentum gloriæ, tranquillam corporum quietem, ac id genus alia: non vero ad ſublevandas pœnas? Oblationes præterea ejusmodi ſolo uſu inductæ ſunt, nuſpiam illis Scriptura ſuffragante.

Reſp. ad I. Machabæorum Libros non eſſe Canonicos, vetus Novatorum cantilena eſt; jugulari ſe illis nimirum ſentiunt, non mirum proinde, ſi aciem eorum obtundere adnitantur. Sed enim fruſtra ſunt: reclamat univerſa Eccleſia, quæ in Conc. Tridentino congregata Seſſ. 4. ſolemni Decreto duos Machabæorum Libros in Sacrorum & Canonicorum Librorum indicem retulit. Sed neque ab hoc tantum tempore pro Canonicis habentur in Eccleſia: quamvis enim (cum nondum extaret ulla totius Eccleſiæ declaratio) pro talibus olim a quibusdam Patribus non ſint agniti; at certe communiter alii Canonicos eſſe exiſtimarunt. Ita Cyprianus Ep. 55. & 56. Hilarius

Digitized by Google

rius in Pſ. 125. Ambroſius L. 2. de Offic. C. 29. Auguſtinus de Doctr. Chriſt. L. 2. C. 8. plurimique alii apud Natalem Alex in IV. Mundi Ætat. Diſſert. 7. Art. 8. Propoſ. 2. ubi ex propoſito hoc argumentum diſcutit. Quin ipſe Hieronymus, qui opponitur, ex propria ſententia loquens L. 5. Commentar. in Iſaiam ad C. 23. Machabaicorum Librorum teſtimonio uſus, eos *Scripturam* vocat.

Quid? quod tametſi detur Libros hos non eſſe Scripturam Canonicam, recipiendi nihilominus ſint ſaltem pro Hiſtoria, quæ, perinde ac probati Hiſtorici alii, fidem & auctoritatem humanam obtineat. Ac talem quidem eſſe, vix ullus (niſi partium ſtudio occupatus) negare audebit, ſi attentius pervolvat eruditiſſimi noſtri Eraſmi Froelichii *Annales Syriæ numis veteribus illuſtratos*, Opus literato orbi notiſſimum. Si vel hæc autem fides Machabæorum Libris concedatur, dubitari nequit, morem pro defunctis orandi eſſe antiquiſſimum, ac ipſa Judæorum traditione firmatum: quem cum deinde a Chriſto, vel Apoſtolis, aut a Patribus antiquis nuſpiam legamus reprehenſum, plane exiſtimandum eſt, nihil in eo a religione alienum eſſe. Idem eſto judicium de ſolutione defunctorum a peccatis, cum preces illæ & oblationes eo ſpectaverint, ut defuncti *a peccatis ſolvantur*.

Reſp. ad II. Aſſertum hoc eſt arbitrarium: quod enim illius fundamentum? Si mors ſola ad peccata tollenda ſufficiat, per eandem igitur infidelibus etiam tollentur; id quod tamen ne adverſariis quidem probatur. Sed nec ſolius fidei ea eſt efficacia, ut L. I. de Sacram. in Gen. a N. 75. oſtendimus; præterquam quod haud raro eveniat, improviſa morte homines ita occupari, ut fidem elicere nequeant. Demum, *qui crediderit & baptizatus fuerit*, omnino *ſalvus erit*; verum non

aliter, nisi adſint & reliqua, quæ ad *fidem vivam* requiruntur: neque ſit obex ullus, qui interea ab obtinenda ſalute impediat, ut eſſet e. g. reatus pœnæ remanentis. Præterea hoc loco non dicitur, *ſalvus erit* continuo ac ſine mora poſt mortem: hinc Apoſtolus 1. Cor. 3. *ſalvus erit*, *ſic tamen*, *quaſi per ignem*.

Reſp. ad III. Aliam eſſe Eccleſiæ & fidelium in hujusmodi precibus ac oblationibus mentem, ſatis patet a N. 37. ſecus eadem ſuffragia fierent etiam pro beatis animabus, ſcilicet DD. Petro, Paulo, aliisque jam in cœlum receptis. Sed & falſo aſſeritur, hunc ſuffragiorum morem inductum eſſe citra Scripturæ auctoritatem: vel duo loca paulo ante cit. N. a nobis adducta oppoſitum evincunt. Libet attamen concludere accommodata in hanc rem Auguſtini ſententia: *In Machabæorum Libris* (inquit ille L. de Cura pro mortuis) *legimus oblatum pro mortuis Sacrificium; ſed etſi nuſquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva eſſet univerſæ Eccleſiæ auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Deo ad ejus altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum.* Nimirum, ut idem S. Doctor ait L. 4. de Bapt. contra Donatiſt. C. 24. *quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur.* Ac rurſum Ep. 118. *ſi quid univerſa per orbem frequentat Eccleſia, quin ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſimæ eſt inſaniæ.*

Corollarium.

De Purgatorii pœnarum circumſtantiis.

QUo de Purgatorii circumſtantiis rite judicari, ac certa ab incertis diſcerni poſſint, aliquid ſaltem ſtrictim dicendum

Digitized by Google

dum eſt de loco Purgatorii, ejus pœna, & pœnæ duratione.

I. Aliquo loco juſtas animas poſt hanc vitam a culpæ venialis & pœnæ reatu purgari, conſtat ex dictis hactenus. At quis nominatim locus ille, ſtatuere non auſim; certe Eccleſia de hoc nihildum definivit; nec una eſt DD. omnium ſententia. Quibusdam (ut refert Bellarmin.) videtur, ibi animas ab obitu purgari, ubi peccarunt; alii locum hunc in aere noſtro conſtituunt; alii eundem eſſe putant cum damnatorum inferno &c. Communior attamen opinio eſt, locum quidem eſſe ſubterraneum, attamen a reproborum carcere diverſum. Qui ita ſentiunt, primum fundant in illa Eccleſiæ precatione, *Libera animas omnium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu;* alterum vero in quadam convenientia: cum videatur divinæ bonitati magis conveniens, animas ſibi amicas extra omnem reproborum ſocietatem expiari. 43

II. Purgatorii pœnam eſſe damni ſimul & ſenſus, certum eſt omnibus; ſolum controvertitur: in quo ſenſus pœna conſiſtat? Et hanc quidem DD. plurimi reponunt in cruciatu per ignem corporeum; neque tamen id fide certum, cum Græci in Conc. Florentino Eccleſiæ reconciliati ſint, tametſi negarent animarum purgationem fieri per ignem verum. Sententia interim hæc apud Latinos communis eſt, favetque illi tum Scriptura 1. Cor. 3. *ſalvus erit --- quaſi per ignem;* tum Patres verba hæc Apoſtoli paſſim de Purgatorio exponentes ita, ut ejus pœnam nomine ignis deſignent: nihil autem impedit, quo minus vocis hujus uſus ſenſu proprio accipiatur. Quid vero de juſtitiæ divinæ in Purgatorio adminiſtris ſentiendum? Sunt, qui eos putent eſſe dæmones, a quibus ſcilicet juſtorum animæ torqueantur; atque his ita opinandi fundamentum 44

præbent quædam apud Bedam, Dionyſium Carthuſianum, & D. Bernardum revelationes. Verum communiter cum D. Thoma in 4. diſt. 20. Ar. 5. oppoſitum docent Theologi propterea: quod juſtitiam divinam non deceat, ut animas, quæ jam in ultimo conflictu triumpharunt de diabolo, ab eo nihilominus ſinat vexari. Quæcunque interim ſit hæc ſenſus pœna, cujuſcunque item inſligatur miniſterio, acerbiſſimam eſſe, communi conſenſu Patres & DD. Scholaſtici profitentur. Ita in Pſ. 37. Auguſtin. *quamvis ſalvi per ignem*, inquit, *gravior tamen erit ille ignis*, *quam quidquid poteſt homo pati in hac vita.* In eundem ſenſum loquuntur Gregorius M. Anſelmus, Beda, Bernardus, D. Thomas, aliique laudati a Bellarmino L. 2. de Purg. C. 14.

45 III. Duratio pœnæ in Purgatorio quanta ſit quoad ſingulos, rurſus nobis incertum: variam tamen eſſe pro varietate pœnarum, quæ ſingulis animabus ſuperſunt luendæ, dubitari nequit; certe Dominicus Soto in 4. Sent. diſt. 19. qu. 3. Ar. 2. nullam animam ultra decem annos ad Purgatorii pœnas deſtinari exiſtimans, non habet ullos e Theologis ſectatores. At enim pro indubitato tenendum, ultra ſupremi judicii diem non proferendas Purgatorii pœnas; mox enim a pronuntiata illa Matth. 25. in juſtos & Dei amicos ſententia, *Venite benedicti* &c. omnes transferuntur ad paratum ſibi regnum, juxta illud ſcilicet, quod ibid. additur: *ibunt hi* (reprobi) *in ſupplicium æternum*, *juſti autem in vitam æternam.* Uti autem nobis incertum, quanto nominatim tempore ante hunc judicii diem ſingulæ animæ in Purgatorii pœnis detineantur: ita probabilius videtur, ipſis his animabus (ſaltem communiter) non conſtare, quanto tempore duratura ſit earum pœna; ut adeo hæc ipſa incertitudo partem pœnæ, eamque non minimam conficiat. Hæc inter attamen illis haud parvum ſolatium

&

Digitized by Google

& levamen affert ea ſecuritas, quam de ſalute ſubinde obtinenda habent: ſecuras porro eſſe omnes conſtat ex Lutheri Artic. 38. a Leone X. damnato.

Plura de Purgatorio vide paſſim in Commentariis Polemicis, præſertim apud Bellarminum in Controv. 6. duobus Libris de hoc argumento diſputantem; de eodem copioſe agit Natalis Alex. in Hiſt. Eccl. Seculi IV. Diſſert. 45.

DISSERTATIO I.

DE POENIS PECCATI ORIGINALIS.

§. I.

Quæ ſit cum ſolo Originali peccatò decedentium Pœna? an ſcilicet damni ſimul & ſenſus?

QUæ de pœna peccato Originali poſt hanc vitam reſpondente dicturi ſumus, non tantum ad parvulos, ſed etiam adultos cum ſolo Originali decedentes pertinent; quia tamen in his rariſſime iſtud evenit: crebro autem, ac fere in illis tantum: idcirco pro hujus Pœnæ Subjecto ſolos parvulos appellabimus. Et quoniam (ut jam ſupra N. 2. innuimus) propoſitum eſt nobis hoc L. alterius duntaxat vitæ pœnas diſcutere, iſthic quoque de ea tantum diſſerere inſtituimus, quæ ab obitu culpam originalem excipit; hinc de hujus vitæ pœnis, aut verius *pœnalitatibus*, ſatis fuerit præfari pauca.

Pœnæ peccati Originalis in hac vita.

I. DE his Pœnis, ſub nomine malorum hujus vitæ, præ 46
aliis copioſius diſputat Bellarmin. L. de ſtatu pecc. a C.
9.

9. uſque ad 14. alias ad animam, ad corpus referens alias. Præcipua omnium eſt: juſtitiæ originalis, & primi illius felicis ſtatus, in quo Adam & Eva conditi erant, privatio. Ad hanc conſequuntur *mala animæ:* ut eſt rerum plurimarum ignorantia, mentis evagatio ad inutilia, animi inconſtantia, affectiones immoderatæ, concupiſcentia adverſus rationem vehementius pugnans &c. item *mala corporis:* ut morbi, rerum inopia, ardui laboris neceſſitas, brevitas vitæ, mors ipſa &c. demum & *mala extrinſecus advenientia:* ut dæmonis in hominem poteſtas, acriores ejus inſultus, bella, peſtis, humanæ inimicitiæ &c. Quæ horum præcipua ſunt, ac velut radix cæterorum, paucis perſtringit Trident. Seſſ. 5. in Decr. de pecc. orig. Can. 1. & 2.

47 II. Num interim hæc omnia mala, quæ poſt culpam originalem in hac vita experimur, veræ ac proprie talis pœnæ rationem habeant, jure in dubium vocari poteſt. Theologi certe illa *pœnalitates* potius, quam *pœnas* vocant. Quam in rem illud facit, quod plurima eorum, etiam poſt culpam originalem in Baptiſmo penitus abolitam, ſuperſint nobis perferenda. Adhæc damnata eſt a Pio V. inter Baji propoſitiones hæc N. 55. *Deus non potuiſſet talem creare hominem, qualis nunc naſcitur;* verum igitur eſt, potuiſſe talem creari etiam ſecluſo peccato Adæ: unde videtur conſequi, mala hæc ſaltem partem magnam, non tam eſſe pœnam, quam naturalem hominis conditionem. Ex doctrina nihilominus communiter recepta ut certum habetur, ab incommodis his liberum futurum fuiſſe genus humanum, ſi Adam non peccaſſet: hinc Auguſtinus L. 4. contra Julian. C. ult. *grave jugum ſuper filios Adam a die exitus de ventre matris eorum uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium non fuiſſet, niſi delicti originalis meritum præceſſiſſet.*

De

De alterius vitæ Pœna, peccato Originali debita, errores, & controverſæ opiniones.

I. AD hujus argumenti errores quod attinet, duo notantur. Primus eſt cujusdam Vincentii, de quo Auguſtin. L. 1. de anima & ejus orig. C. 9. *de illis parvulis*, inquit, *qui morte præveniuntur priuſquam baptizentur, cum reſpondere voluiſſet, auſus eſt eis promittere non ſolum Paradiſum, verum etiam Regnum Cœlorum.* Idem docuit Zvinglius in Declarat. de pecc. orig. ad Urbanum Rhegium. Alter error fuit Pelagianorum, qui (eod. Auguſtino teſte L. de Hæreſ. C. 88.) parvulis, *etiamſi non baptizentur, promittunt extra regnum quidem Dei, ſed tamen æternam & beatam quandam vitam ſuam.* Porro per hanc vitam æternam non intellexiſſe illos beatitudinem ſupernaturalem, ſed naturalem tantum, communis fert opinio: colligique videtur ex illis verbis, *beatam quandam vitam ſuam.* Hanc ipſam interim opinionem Auguſtinus ſupra cit. L. 1. de anima C. 9. non dubitavit dicere *Pelagianam hæreſim.* 48

II. Orthodoxi, quamvis omnes in peccato originali decedentes viſione Dei beatifica privandos, atque adeo pœnam damni ſubituros aſſerant: de modo attamen hujus ipſius pœnæ, multo amplius autem de pœna ſenſus in varias abeunt opiniones. Harum ſeveriſſima eſt, quæ cum Driedo, Sylvio, emin. Noriſio, & Cl. Berti culpæ originalis pœnam non tantum in privatione viſionis beatificæ, ſed & in ſenſibili per ignem cruciatu conſtituunt: ſic tamen, ut hic comparate ad eos, qui actualia peccata admiſerunt, ſit lenis admodum. Alii parvulos cum originali decedentes ab hac quidem ſenſus pœna cum Valentia & Bellarmino liberos pronuntiant: concedunt nihilominus illos internum aliquem animi dolorem ex amiſſa ſuper- 49

naturali beatitudine paſſuros. His rurſum mitius ſentiunt, qui cum D. Thoma & Suarez nihil omnino triſtitiæ & doloris ex hac beatitudinis amiſſione eos percipere autumant. Mitiſſima denique omnium ſententia eſt Catharini & Pighii: privandos hi agnoſcunt parvulos beatitudine ſupernaturali, ſuam tamen habituros naturalem beatitudinem contendunt.

50 III. Porro tanta in hoc argumento opinionum varietas inde enata eſt, quod de ſorte parvulorum tam quoad modum pœnæ damni, quam quoad ſenſus pœnam nihil habeamus in Scriptura, aut Traditione certo ac clare expreſſum. Non in Scriptura; cum enim hæc duas tantum judicandorum faciat claſſes, horumque aliis poſt prolatam a Judice ſententiam dicendum ſit, *eſurivi, & dediſtis mihi manducare* &c. ex adverſo aliis, *non dediſtis mihi manducare* &c. non ſatis conſtat, num & parvulos, ut pote id genus operum incapaces, in judicandorum numerum referre oporteat. Sed nec in Traditione quidquam certi; negari quippe non poteſt, de hac controverſia Eccleſiam nihildum pronuntiaſſe: Patres vero quoad illam eſſe diviſos, aut conjectare tantum, non ferre ſententiam. Fatendum quidem, a tempore Auguſtini primam opinionem ut plurimum invaluiſſe, neque tamen niſi in genere opinionis; hinc lapſu temporum, præſertim poſt Sec. XII. illi oppoſita adeo prævaluit, ut jam Sec. XIII. eam communem diceret D. Thomas Qu. 6. de Malo Ar. 2. Quibus attentis Gregorius Arim. in 2. diſt. 33. qu. 3. *idcirco*, inquit, *neutri parti alteram præferens, dijudicationem earum Lectori relinquo;* eundemque, poſt Habertum, ex parte ſecutus Tournelii continuator in Tract. de Pecc. Par. 2. C. 1. Ar. 5. non plus de ſenſus pœna aſſerit, quam incertum eſſe, num ea parvuli puniantur. Ac omnino, ſi rem velimus fateri, ita habet; ne tamen in quæſtione adeo celebri opinionem noſtram Theologiæ ſtudioſus deſideret, quod veriſimi-

Digitized by Google

ſimilius videtur, de ea ſtatuemus. Prius tamen fidei dogma aſſirmandum eſt.

ASSERTIO I.

Fide certum eſt, parvulos in peccato originali decedentes privari vita æterna, quæ conſiſtit in viſione Dei intuitiva & beatifica.

HÆc fidei veritas fundatur in illo Chriſti effato Joan. 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Hic vero per *Regnum Dei* intelligi *vitam æternam*, patet ex contextu, cum Chriſtus eod. C. vocet æternam vitam, quod prius Regnum Dei dixerat: *ut omnis*, inquit, *qui credit in illum, -- habeat vitam æternam.* Igitur ſine Baptiſmo, ac proinde cum originali peccato decedentes Verbi Divini oraculo docemur excludendos a vita æterna. Id ipſum inſinuat Apoſtolus ad Rom. 5. *per unius delictum in omnes homines in condemnationem;* ſuper quæ verba Auguſtin. L. 2. de pecc. & merit. C. 16. *multum fallit & fallitur, qui eos in damnatione prædicat non futuros, dicente Apoſtolo, judicium ex uno delicto in condemnationem.* Certe autem damnationis pars præcipua eſt, privari beatitudine ſupernaturali. Eadem eſt unanimis Patrum doctrina; quam demum Trident. Seſſ. 5. Can. 4. confirmavit his verbis: *Si quis parvulos - - dicit - - nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro neceſſe ſit expiari ad vitam æternam conſequendam, anathema ſit.* 51

ASSERTIO II.

Parvuli ex privatione viſionis beatificæ probabilius afficientur aliqua triſtitia & animi dolore: nec fruentur ulla beatitudine naturali.

PArs I. vel ratione theologica videtur ſatis confici. Parvuli quippe juxta Aſſert. I. propter peccatum originale 52

privabuntur vita æterna, & quidem in condemnationem; ergo in pœnam: certe autem pœna non eſt, quæ non affligit. Quid? quod ad beatitudinis privationem plane connaturaliter ſequatur animi dolor; arbitrarie autem aſſeritur, eum in parvulis a Deo prodigioſe impediri. Idem aperte docent Patres, cum paſſim fateantur parvulos ſine Baptiſmo decedentes aliquam ſubituros pœnam; eam igitur ſaltem, quæ conſiſtat in memorata triſtitia. Sed audiendus pro omnibus Auguſtinus L. 6. contra Julian. C. 4. ita diſputans: *Si hoc eis* (parvulis) *non erit malum, non ergo amabunt regnum Dei? - - ſi autem amabunt, & tantum amabunt, quatenus innocentes amare debent Regnum ejus, a quo ad ipſius imaginem creantur, nihilne mali de hac ipſa ſeparatione patientur?* Vocat autem *innocentes*, vel quod parvuli careant peccato perſonali: vel quod hic arguat ex doctrina Juliani culpam originalem negantis.

53 Pars II. ex paulo ante dictis ultro conſequitur: ſi enim parvuli amittant vitam æternam, nec ſpem illius obtinendæ habeant, ut ſeq. §. dicetur, unaque ex hac privatione triſtentur ac doleant, quæ tandem illis eſſe poſſit vel naturalis beatitudo? quando hæc proprie ſumpta omne malum excludit. Accedit grave momentum ex Florentino, quod in Decreto fidei diſerte pronuntiat: *illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.* Quæ autem eſſe queat parvulis ad infernum & pœnas damnatis vera beatitudo? Concludat rurſum Auguſtinus L. 1. de anima & ejus orig. C. 9. ubi, *Non baptizatis parvulis*, inquit, *nemo promittat, inter damnationem & regnum Cœlorum, quietis vel felicitatis cujuslibet, atque ubilibet quaſi medium locum; hoc enim eis hæreſis Pelagiana promiſit.* An non vero quietis & alicujus felicitatis locum quaſi medium haberent, ſi naturali beatitudine fruerent-

rentur? hinc Bellarmino videtur, Catharini & cum eo ſentientium opinionem non eſſe ſatis tutam, ut quæ cum Pelagiana hæreſi aliquid communionis habeat; fatendum attamen, in re ab illa diverſam eſſe.

ASSERTIO III.

Videtur eſſe veriſimilius, parvulos ob peccatum originale non ſubituros pœnam ſenſus, ſeu cruciatum ignis ſenſibilis.

BEnigna hæc opinio fundatur I. in Scripturæ, Innocentii III. & Conc. Florentini verbis. Dicitur nimirum Apoc. 18. *reddite illi -- ſecundum opera ejus; -- quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum: -- ideo in una die venient plagæ ejus, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur.* Igitur damnationis pœna, quæ ſimul in cruciatu ignis conſiſtat, reſpondet operibus, glorificationi ſui, & deliciis; quæ autem parvulorum, qui ſola originali culpa obſtringuntur, opera? quæ glorificatio? quæ deliciæ, in quibus vixerint? Fuerunt equidem voluntates eorum incluſæ in Adami voluntate, at non æque ſenſus in ſenſibus; unde quamvis in Adamo peccaverint, in eodem tamen non perceperunt delectationem peccati. Ergo (ſi teſtimonium Scripturæ attendatur) pœna ſenſus non reſpondet culpœ originali, neque cum illa proportionem habet. Et vero ipſe Innocentius III. iſtud exiſtimaſſe videri poteſt, cum Cap. *Majores*, de Bapt. diceret: *pœna originalis peccati eſt carentia viſionis Dei; actualis vero peccati eſt gehennæ perpetuæ cruciatus.* Ubi in primo membro *carentia viſionis* intelligenda eſt cum excluſione *gehennæ cruciatus*: tum quod hunc opponat illi; tum etiam, quia ſecus eædem quoad ſpeciem pœnæ reſponderent ſoli peccato originali, quæ actuali. At enim iſtud ſuſtineri nequit, cum Florentinum in 54

Decr. fidei declaraverit: in infernum quidem mox deſcendere animas, ſeu cum actuali peccato mortali, ſeu cum ſolo originali decedentes, *pœnis tamen diſparibus puniendas.* Cum autem dicat *diſpares*, non vero *inæquales*, ſatis innuit: utriuſque peccati pœnas eſſe non tantum *quoad intenſionem*, verum etiam *quoad ſpeciem* diverſas.

55 Fundatur II. in ratione theologica. Nihil enim ſatis convincens proferri poteſt, quo cogamur parvulos propter culpam originalem ſubjicere ignis cruciatui, ut ex Reſp. ad Objecta a N. 59. patebit; univerſim autem pœnas, cum ſint materia odioſa, non convenit exaſperare & extendere ſine gravi ſundamento. Argumento huic negativo accedit etiam poſitivum ex rationibus a D. Thoma & S. Bonaventura inſinuatis. Prior Qu. 5. de Malo Art. 2. ita arguit: *Pœna proportionatur culpæ;* unde infert peccato actuali mortali, propter averſionem a Deo, & converſionem ad creaturam, reſpondere pœnam damni & ſenſus. Mox vero addit: *in peccato originali non eſt converſio, ſed ſola averſio, vel aliquid averſioni reſpondens; - - & ideo peccato originali non debetur pœna ſenſus, ſed ſolum pœna damni ſcilicet carentia viſionis divinæ.* Alter autem in 2. diſt. 33. Art. 3. qu. 1. in ⊙ *cum valde durum*, inquit, *videatur dicere, quod Deus tam dure & aſpere agat cum parvulis, - - ideo eſt alia poſitio mitior, quæ magis concordat pietati, fidei, & judicio rationis, quod, quia parvuli decedentes cum originali - - non habuerunt in ſe actualem delectationem peccati, ideo non ſentient pœnæ ignis acerbitatem.*

56 Fundatur III. in communiore Doctorum conſenſu, de quo a Sec. XIII. dubitari non poteſt. Præeunte nimirum jam Sec. XII. Magiſtro Sent. benigniorem hanc opinionem amplexi ſunt D. Thomas, S. Bonaventura, & Scotus; quos ſubinde

Digitized by Google

inde Scholaſticorum pars potior ſecuta eſt, ac hodie ſequitur. Profecto autem, cum quæſtionibus ſecundum ſe obſcuris & ambiguis ætas longior per repetitas diſceptationes multum lucis affundere ſoleat, communior hic Doctorum ſenſus in præſenti controverſia haud leve ſuggerit momentum. Sed nec DD. iſti deſtituuntur omni Patrum veterum præſidio, eorum præſertim, qui hæreſim Pelagianam anteceſſerunt. Plures eorum laudantur ab aliis: mihi duos appellaſſe ſufficiat. Gregorius Naz. priſcæ fidei tenax, Orat. 40. de infantibus ſine Baptiſmo decedentibus ait: *exiſtimo futurum, ut - - nec cæleſti gloria, nec ſuppliciis a juſto Judice afficiantur, ut pote qui, licet Baptiſmo conſignati non fuerint, improbitate tamen* (perſonali) *careant; - - neque enim - - quiſquis honore indignus eſt, ſtatim pœnam promeretur.* En! ut iſthic agnoſcat parvulos cæleſti gloria privandos, ac vel ideo ſubituros pœnam damni, ad quam connaturaliter ſequitur dolor animi; at ſimul negat ſupplicium aliud, quale utique foret pœna ignis. Gregorius item Nyſſen. Orat. de iis, qui præmature abripiuntur, hæc habet: *immatura mors infantium neque in doloribus ac mæſtitia eſſe eum, qui ſic vivere deſiit, intelligendum eſſe nobis ſuggerit.* Quis vero hic dolor & mæſtitia? non ea utique, quæ ad pœnam damni ultro ſequitur: ea igitur, quæ ex pœna ſenſus oriatur.

Adverſariorum momentis occurritur.

ASſertio I. in dubium vocari poteſt ex tribus capitibus. 57
Nimirum

I. Quamvis teſte Apoſtolo peccatum originale ſit *in omnes homines in condemnationem*, hocque nomine in Scriptura communiter veniat pœna ſimul damni & ſenſus: nihilominus parvuli ſolius originalis culpæ rei, ſalva fide, poſſunt eximi a pœ-

pœna ſenſus; cur non igitur etiam a pœna damni? præſertim cum hæc gravior ſit, quam illa.

II. Non eſt fidei contraria opinio Gerſonis & Cajetani, parvulos aliquos ſine Baptiſmo ſalvari poſſe exiſtimantium; quid vero eſt ſine Baptiſmo, niſi cum originali culpa ſalvari & vitam æternam obtinere? non eſt ergo fide certum, parvulos in peccato originali decedentes privari vita æterna. Præterea

III. Emin. Sfondrati in Nodo Prædeſtin. Par. 1. §. 1. N. 23. in Reſp. ex ſua ſententia ait: *parvuli, qui ſine Baptiſmo decedunt, beati quidem non ſunt, nec tamen pereunt.* Et rurſum: *ex quibus intelligas, - - ſi enim Deus parvulos ad gloriam non elegit, non ideo ſequitur, eos damnari.* Mox infra: *infantes Baptiſmo non tincti ad aliquid, quod ipſa vita æterna melius ſit, deſtinantur.* Cenſuit ergo parvulos, cum originali decedentes, non perire, non damnari, quin ipſa vitæ æternæ beatitudine melius aliquid conſequi; an autem hæc doctiſſimus & piiſſimus Cardinalis cenſuiſſet, ſi fidei veritas foret parvulos ob culpam originalem damnari?

Reſp. ad I. C. Ant. N. Illat. primi quippe habetur fundamentum, non item alterius, ut ex Aſſert. I. & III. patet; unde, licet Scriptura *condemnationis* nomine communiter intelligat utramque pœnam, cum tamen ipſa quoad parvulos hujus reſtrictionis probabile præbeat fundamentum, non eſt, cur ſalva fidei integritate parvuli nequeant pronuntiari liberi a pœna ſenſus. Præterea, modo ſubeant pœnam damni, jam noxa originalis vero ſenſu eſt illis in *damnationem*, utpote cujus pars præcipua eſt viſionis beatificæ privatio. Nec officit pœnam damni ſecundum ſe & ratione objecti eſſe graviorem pœna ſenſus: quantacunque enim ſit, jure infligitur *filiis iræ*,

qua-

Digitized by Google

quales ſunt parvuli originalis culpæ rei; eadem inſuper mitior erit, quam pœna ſenſus, comparate ad parvulos, cum (ut multi putant) imperfectam duntaxat cognitionem ſint habituri jacturæ illius, quam ex beatificæ viſionis privatione ſubeunt.

Reſp. ad II. Doctores hi non aſſerebant parvulos ſalvari cum peccato originali: ſed tantum ſine baptiſmo, quem ipſum quoad effectum remiſſionis culpæ cenſebant poſſe ſuppleri vel per fidem Parentum ſigno aliquo manifeſtatam, vel alia ratione nobis incognita. Vide in hanc rem dicta in Sacram. L. II. de Bapt. N. 77.

Reſp. ad III. Objectionem hanc ab auctoritate doctiſſimi Cardinalis petitam cenſui non eſſe diſſimulandam propterea, quod ejus verba a quibusdam minus fideliter referantur, neque niſi manca, & mutila. Hinc facile evenit, ut apud aliquos male audiat; præſertim cum notum ſit, ſtatim ab edito cit. L. complures adverſus illum acrius inſurrexiſſe: quin etiam (ut refert continuator Tournelii) hoc ejus de parvulis ſyſtema Innocentio XII. a quinque Galliarum Epiſcopis denuntiatum fuiſſe. Ac hic quidem pro Viro doctiſſimo apologiam texere locus non eſt, imo nec opus: ipſum cit. L. ſine partium ſtudio lege, conſule adhæc *Diſpunctionem Notarum quadraginta* pro defenſione Auctoris ab anonymo quodam adornatam, & mitius ſenties. De eo autem, quod ad rem noſtram facit, ita habe.

In objectis verbis, toto contextu attento, nihil doctiſſ. Cardinalis contra fidei dogma aſſerit: quin potius illud profitetur integre. Fides nimirum docet: parvulos propter originalem culpam privari viſione Dei intuitiva, quæ privatio eſt

ipſa parvulorum damnatio. Idem profitetur ille, cum in cit. Reſp. poſt plura alia in hanc rem diſputata ait: *Conſtat ſine Baptiſmo ad vitam æternam, hoc eſt, viſionem beatificam non perventuros* &c. Et rurſum: *ergo, ut dicebamus, Deus parvulos Cœlo excluſit ob peccatum, non proprium* (voluntate ſcilicet phyſice propria admiſſum) *ſed paternum* &c. Hinc dum aſſerit illos *non perire, non damnari, non fieri miſeros* &c. non aliud vult, quam immunes fore a pœna ſenſus, ignis cruciatu, & reliquis inferni ſuppliciis, uti ſe ipſum explicat per decurſum. Quod autem eos dicat *ipſa vita æterna melius aliquid accipere, non habere dolendi aut conquerendi, ſed potius Deum laudandi, eique grates agendi cauſam* &c. id totum refert ad malum culpæ, quod comparat cum malo pœnæ, ita ut ſenſus ſit: parvulos hos eſſe a peccatis perſonalibus præſervatos, hancque præſervationem eſſe aliquid vita æterna melius, pro quo beneficio Deus eſt laudandus &c. Sed ipſius emin. Auctoris verba audire juverit. *Id vero*, inquit, *beneficium fuit, quod fato præmaturo abreptos innocentiæ ſuæ perſonalis ſecuros reddidit, & quamplurimis peccatis - - ſubduxit. - - Hoc vero innocentiæ perſonalis donum - - tantum eſt, ut ipſi parvuli millies cœlo carere malint, quam vel uno peccato involvi. - - ergo nulla dolendi, nulla conquerendi, ſed magna laudandi, grateſque agendi cauſa eſt.* Quid autem in his, quod fidei repugnet?

58 Aſſertioni II. adverſari videtur Patrum auctoritas, & ratio theologica. Etenim

I. Auguſtinus in Enchir. C. 93. docet, parvulorum pœnam fore *mitiſſimam;* at profecto dolor, ob amiſſam beatitudinem ſupernaturalem conceptus, eſſet pœna graviſſima. Aperte adhæc D. Thomas negat parvulos eum dolorem paſſuros:

ni-

Digitized by Google

nihil omnino dolebunt de carentia viſionis divinæ, ut ait in 2. diſt. 83. qu. 2. Ar. 2.

II. Parvuli non habebunt ullam viſionis intuitivæ notitiam: aut certe, ſi quam habituri ſunt, ſimul agnoſcent juſto Dei judicio ſe illa privari; ob amiſſam igitur non dolebunt, ſed potius judiciis divinis prona voluntate aquieſcent. Adde: hunc dolorem pertinere ad *ſenſus pœnam*, a qua tamen parvuli per Aſſert. III. eximuntur.

Reſp. ad I. Pœna parvulorum in ſenſu Auguſtini eſt *mitiſſima* non abſolute, ſed comparate tantum ad adultos, propter peccata perſonalia damnatos; hi quippe, præter pœnam damni, igne etiam & verme conſcientiæ torquentur: ipſa quin damni pœna acerbius eos excruciat, cum beatitudinis ſupernaturalis jacturam multo clarius cognoſcant, eamque ſimul intelligant ſua duntaxat incuria ſibi eveniſſe tot inter media, quibus ſalutem facile conſequi poterant. Hunc porro eſſe Auguſtini ſenſum abunde colligitur tam ex ejus verbis ſupra N. 52. recitatis, quam ex locis aliis, quæ ſequ. N. in Object. & Reſp. laudabimus. D. Thomam vero fatemur nobis adverſari; at cum ratio ab eo allata, quod nempe *ſe privari tali bono animæ puerorum non cognoſcant*, vix admitti queat, licebit nobis oppoſitum ſentire cum D. Auguſtino, & multis aliis.

Reſp. ad II. Ut parvuli ex amiſſione viſionis Dei intuitivæ dolorem percipiant, ſatis eſt eos illam cognoſcere generatim ſub nomine beatitudinis, quæ ſit perfecta Dei poſſeſſio; cur autem id genus cognitio in illis non detur ſine gratia fidei? ſecus ne adultos quidem in gentilitate, ac ſine fide mortuos viſionis beatificæ jactura graviter afficeret, quod nemo admiſerit. Sed & ad juſtum Dei judicium fruſtra recurritur; ut enim

Digitized by Google

enim illud parvuli agnoſcant, eique etiam ſe conforment, atque per hoc mitius ferant jacturam, doloris attamen ex ea naturaliter provenientis ſenſum non effugiunt: niſi ex eadem cauſa etiam Purgatorii animas ab omni dolore & triſtitia liberas pronuntiare velis. Dolor demum hic non eſt *ſenſus pœna* proprie dicta: eo quippe nomine cum Patribus intelligimus cruciatum per ignem, vermem conſcientiæ, & reliqua inferni tormenta.

59 Aſſertio III. potiſſimum Scripturæ teſtimonio, & Patrum ſenſu impugnari ſolet. In hunc autem modum arguitur

I. ex Scriptura. Matth. 13. *ſic erit in conſummatione ſæculi: exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum, & mittent eos in caminum ignis.* Apud eund C. 25. his, *qui a ſiniſtris erunt*, dicetur: *diſcedite a me maledicti in ignem æternum.* Joannes denique Apoc. 20. *vidi mortuos*, inquit, *magnos & puſillos ſtantes in conſpectu Throni, & libri aperti ſunt. - - & judicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris, ſecundum opera ipſorum; & qui non inventus eſt in Libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* Univerſim ergo omnes, qui non ſunt juſti, qui in extremo judicio a ſiniſtris erunt, qui non ſunt in Libro vitæ, mittentur in ignem; atqui tales eſſe parvulos cum originali noxa decedentes, negari non poteſt; hi igitur etiam mittendi ſunt in ignem, in eo pœna ſenſus excruciandi.

II. ex Patribus. Auguſtinus Serm. 294. alias 14. de verb. Apoſt. C. 3. & 4. *nullus*, inquit, *relictus eſt medius locus, ubi ponere queas infantes. De vivis & mortuis judicabitur; alii erunt ad dexteram, alii ad ſiniſtram, non novi aliud. - - Extrema autem ſententia ut doceret, - - quid ſit ignis æternus, tunc*, inquit, *abibunt iſti in combuſtionem æternam. - - Ecce expoſui tibi, quid ſit regnum, & quid ignis æternus: ut quando confiteris parvulum non futurum in regno, fatearis futurum in igne æter-*

æterno. Plura hujus ſenſus ex eod. S. Doctore loca citari reperies apud Cl. Berti de Theol. Diſcipl. L. 13. C. 8. Propoſ. 4. Auguſtino conſentiunt quindecim Africani Epiſcopi in Sardinia exules, quorum unus erat Fulgentius, qui ipſe iſtud teſtatur L. de Incarn. & Grat. C. 14. & 30. item Gregorius Mag. L. 9. Moral. C. 12. adhæc Iſidorus Hiſpal. & Anſelmus. Sed clarius cæteris Fulgentius L. de Fide ad Petrum C. 27. ubi ait: *firmiſſime tene, & nullatenus dubites, non ſolum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui ſive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur, ſive jam de matribus nati ſine Sacramento Baptiſmatis - - de hoc ſæculo tranſeunt, ignis æterni ſempiterno ſupplicio afficiendos.* Tam clara porro veterum Patrum ſenſa quid ni prævalere debeant auctoritati Doctorum, poſterius ſubinde a Seculo ſcilicet XIII. in contrariam opinionem abeuntium?

Reſp. ad I. Num in objectis Scripturæ locis parvuli etiam comprehendantur, gravis eſt inter DD. etiamnum controverſia. Sunt, qui cum Bellarmino textum ex Matth. C. 13 relatum non putent ad parvulos pertinere; cum enim cit. verba ſint concluſio parabolæ de *ſagena miſſa in mare, bonos & malos piſces congregante:* ſagena autem hæc ex communi Interpretum ſenſu deſignet Eccleſiam, in qua boni miſcentur malis, videtur illic agi de judicio extremo comparate ad eos, qui ſunt in Eccleſia; atqui in hac non ſunt parvuli ſine Baptiſmo mortui, ergo &c. Idem eſt de illis Matth. 3. verbis: *permundabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igni;* ubi rurſum *areæ* nomine Eccleſia intelligitur. Sed nec in laudato Matth. C. 25. & Apoc. 20. parvulos comprehendi, ex eo inferunt aliqui, quod in utroque loco agatur de illis nominatim, qui judicabuntur ex propriis operibus: in primo enim pro cauſa redditur, *eſurivi, &*

non dediſtis &c. in altero autem; *judicati ſunt - - ſecundum opera ipſorum;* hæc vero ſolis adultis conveniunt. Hinc eſt, quod aliqui putent parvulos non adſuturos judicio extremo; alii cum Bellarmino adſuturos quidem, etiam judicandos, quin & mittendos in ignem, ſed tantum ut carcerem, in quo detineantur: non ut per illum torqueantur, cum pœna hæc debeatur ſolis malis operibus voluntate phyſice propria commiſſis, quæ non ſunt in parvulis.

Mihi (cum in re hac nondum per Eccleſiam definita, ſalva fidei integritate, liceat cuique opinari, quod veriſimilius exiſtimat) videtur denique dicendum: parvulos laud. textibus non comprehendi, nec judicandos proinde in extremo judicio, minus vero in eos proferendam univerſalem illam ſententiam. Aſſerti rationem peto ex ipſis Scripturæ verbis invicem collatis. Nimirum

Matth. 3. præmittitur: *arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur;* ac dein conformiter ad hoc ſubjungitur: *permundabit aream, - - paleas comburet igni.* Matth. 13. prius jam dicitur: *mittet Filius hominis Angelos, & colligent de regno ejus ſcandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis;* his igitur congruunt, quæ ſequuntur: *exibunt Angeli, & ſeparabunt malos, - - & mittent eos in caminum ignis.* Matth. 25. ſententiæ in reprobos, qui a ſiniſtris erunt, latæ redditur hæc cauſa: *eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare* &c. Apoc. 20. *judicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in Libris, ſecundum opera ipſorum;* & mox idem repetitur: *judicatum eſt de ſingulis ſecundum opera ipſorum, & - - miſſi ſunt in ſtagnum ignis;* quibus verbis rurſum congruere neceſſum eſt illa, quibus concluditur: *qui non eſt inventus in Libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis.*

Digitized by Google

ignis. Demum apud Joannem in Evang. C. 5. *venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei, & procedent, qui bona ſecerunt, in reſurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in reſurrectionem judicii.*

Ex his jam in hunc modum licebit arguere. Indubium eſt, omnibus his locis agi de extremo judicii univerſalis die; ad judicium porro hoc reprobi illi dicuntur proceſſuri, qui mala egerunt: ſinguli judicandi ſecundum opera ſua: in eos ignis æterni proferendam ſententiam, qui eſurientem non paverunt: in ignem denique mittendos illos, qui non fecerunt fructum bonum, qui fecerunt iniquitatem &c. atqui hæc non conveniunt parvulis, cum eorum poteſtatis non fuerit bona vel mala agere; ad eos igitur hæc Scripturæ verba non pertinent: ſed nec alia proferri poſſunt, quibus nominatim parvuli extremo judicio, ejusque ſententiæ (præſertim quoad ignis cruciatum) ſubjiciantur; eximendi ſunt igitur, dum oppoſitum Eccleſia declaret. Nec officit in cit. Apoc. loco etiam *puſillos* nominari: uſitata quippe Scripturæ phraſi per *magnos* intelliguntur potentes & auctoritate præditi; per *puſillos* contra abjecti & viles in conſpectu hominum.

Parvuli ergo, inquies, ne comparebunt quidem ad extremum judicium? Tacere de hoc Scripturam ajo, nec affirmat, nec negat uſpiam: deſideratur etiam Eccleſiæ declaratio; hinc, quod affirmate dicam, non habeo. Haud improbabile attamen eſt, non comparituros: finis enim comparendi foret præcipuus, ut coram omnibus judicentur, ac in eos etiam proferatur alterutra univerſalis ſententia; at veriſimilius videtur neutrum horum futurum, ergo &c. Quod ſi tamen forte & ipſi præſentes ſint futuri, non aderunt ſaltem eo fine, ut judicentur: verum ut in eis quoque coram toto mundo manifeſta

fiat

fiat Dei miſericordia & juſtitia; vel *ut videant gloriam Judicis*, ut putat Doctor Ang. in 4. diſt. 47. qu. 1. Ar. 3. ad 3.

Hæc omnia vides conformiter ad Scripturam non modo veriſimiliter, ſed etiam veriſimilius dici; opinionis igitur hujus probabilitas adeo non eliditur objectis Scripturæ verbis, ut potius confirmetur.

Reſp. ad II. Aliqui cum D. Thoma & S. Bonaventura exiſtimant, Patres his locis nomen ſupplicii & cruciatus ignis ſumere pro aliqua duntaxat pœna in communi accepta. *Dicendum* (ait D. Thom. Qu. 5. de Malo Art. 2. ad 1.) *quod nomen tormenti, ſupplicii, gehennæ & cruciatus, vel ſi quid ſimile in dictis SS. Patrum inveniatur, eſt large accipiendum pro pœna, ita ut ponatur ſpecies pro genere. Ideo autem tali modo loquendi uſi ſunt, ut deteſtabilem redderent errorem Pelagianorum, qui aſſerebant in parvulis nullum peccatum eſſe, nec eis aliquam pœnam deberi.* S. Bonaventura autem in 2. diſt. 33. Ar. 3. qu. 1. nominatim de Auguſtino ait, non intendiſſe illum dicere, *quod parvuli ſenſibiliter crucientur: ſed intendit eorum pœnam manifeſtare quantum ad carentiam viſionis Dei, & quantum ad vilitatem loci; & hoc valde abundanter exprimit, plus dicens, & minus volens intelligi. Nec ſine cauſa loquitur ſic: hoc enim facit ad extirpandam illam hæreſim, quæ dicebat parvulos nulla pœna puniri.* Hæc non improbabiliter ob rationem ab utroque Doctore allatam.

Fatendum nihilominus, ſi verba ac contextus in Auguſtino præſertim & Fulgentio ſpectentur, hos ſaltem duos Patres vix citra violentiam aliquam ita exponi poſſe. Quid igitur? ita de utroque ſtatuendum puto. Auguſtinus parvulos igne cruciari dicens, id non aſſerit tanquam certo perſuaſus: ſed

tan-

Digitized by Google

tantum ut probabile exiſtimans. Etenim L. 5. contra Julian. C. 11. *quis dubitaverit*, inquit, *parvulos non baptizatos - - in damnatione omnium leviſſima futuros? quæ qualis & quanta erit, quamvis definire non poſſim, non tamen audeo dicere, quod eis ut nulli eſſent, quam ut ibi eſſent, potius expediret.* Et rurſum Ep. 28. ad Hieronymum, *cum ad pœnas*, inquit, *ventum eſt parvulorum, magnis mihi crede coarctor anguſtiis, nec quid reſpondeam, prorſus invenio.* Jure igitur videri poteſt S. Doctor nec ſemper, nec ſat firmiter perſuaſus iſtud aſſeruiſſe; ſi ita: uti opinatus eſt ille, ita & aliis oppoſitum opinandi facultatem reliquit. Quid autem de Fulgentio? amplius is omnino in ſua ſententia progreſſus, cum firmiſſime tenendam, ac omne de illa excludendum dubium vellet; at enim vel ideo in re præſenti minus habet momenti ejus auctoritas: vetus nempe eſt, *qui multum probat, nihil probat.*

Quod igitur nobis eſt reliquum: ab Auguſtino opinante, Fulgentio autem firmiter aſſerente non dubitamus recedere in quæſtione hac etiamnum controverſa. Nec temere iſtud: quando, præter Scripturam & vetuſtos PP. aliquos, favet nobis cum D. Thoma & S. Bonaventura communior Scholaſticorum ſenſus. At horum, inquies, opinio prævalere non poteſt plurium Patrum ſenſui? imo in controverſia hac prævalere ajo. Patres nimirum illi, qui nobis adverſari videntur, aut etiam re ipſa adverſantur, quæſtionem hanc ex propoſito non diſcuſſerunt: id quippe illis tantum erat curæ & negotii, ut contra Sectarios evincerent, parvulos vitam æternam non habituros, ſed damnationi ipſos quoque ſubjiciendos; quod unum ex propoſito dum agerent, ſubinde quaſi per occaſionem (ut pronum eſt diſputantibus) eo delapſi ſunt, ut parvulorum damnationem, quam in genere aſſerendam ſuſcepe-

runt, in ſpecie pœnam ſenſus dicerent. Ex adverſo DD. Scholaſticos, D. Thomam & S. Bonaventuram ſecutos, hanc ipſam nominatim de pœna ſenſus quoad parvulos quæſtionem dedita opera pertractaſſe nemo dubitat: idemque clarum ſit ex argumento, quod id genus lucubrationibus ſuis præſtituerunt. An non ergo iſti reconditæ hujus quæſtionis penitius rimati arcana? vel ideo autem communior eorum ſenſus, etiam comparate ad laudatos Patres, graviſſimi eſſe momenti cenſeri poteſt.

60 Hæc de auctoritate, qua ſe tuentur Adverſarii; iidem porro urgent argumentum etiam ratione, quæ fere ad tria capita reducitur. Ajunt ergo

I. Parvuli ab originali culpa per Baptiſmum emundati in ſuo beatitudinis ſtatu, præter viſionem Dei intuitivam, fruentur etiam dotibus glorioſi corporis; ab oppoſito igitur cum originali decedentes in damnatione ſua, præter damni pœnam, ſimul in corpore pœna ſenſus cruciabuntur: præſertim cum habituri ſint corpora paſſibilia, non glorioſa.

II. Originale peccatum in hac vita parvulos ſubjicit fami, ſiti, morbis, aliisque id genus, quæ ſunt pœna ſenſus; quid ni ergo ob eandem culpam eidem pœnæ in altera quoque vita ſint obnoxii? Certe peccatum veniale levius eſt originali, nec immune tamen a pœna ſenſus; potiori igitur jure ea immunitas originali neganda.

III. Opinio, quæ parvulos non baptizatos a pœna ſenſus eximit, accedit ad doctrinam Pelagianorum: nam & hi quoad ejusmodi infantes pœnam damni non negabant, cum eos a Regno Dei excluderent; a ſola igitur pœna ſenſus liberos pronuntiabant.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. ad I. C. Ant. N. Illation. Parvulus enim per gratiam in Baptiſmo acceptam adoptatur in Filium Dei, fitque hæres Regni cœleſtis, & cohæres Chriſti; unde jus habet ad totam filiorum Dei hæreditatem, quæ non tantum in poſſeſſione Dei fruitiva, ſed etiam in corporis gloria conſiſtit: hancque præterea omnibus (nemine excepto) Beatis conferri, commendat miſericordiam Dei ſupra condignum præmiantis. Ex adverſo parvuli cum originali decedentes ſufficienter puniuntur pœna damni: nec videntur habere demeritum ad ſenſus pœnam, cum hæc delectationi ex peccato hauſtæ reſpondeat; denique ab hac ſaltem pœna illos immunes eſſe, rurſum facit ad commendandam miſericordiam Dei, ſemper infra condignum punientis. Nec obeſt, parvulorum corpora fore paſſibilia: nam (ut poſt S. Bonaventuram arguit Bellarminus) poſt extremi judicii diem ceſſabit ortus & interitus rerum naturalium, a corporibus proinde tolletur vis naturalis agendi in corpora alia, ut adeo amplius actura non ſint niſi ut inſtrumenta juſtitiæ divinæ; cum ergo hæc non exigat parvulos cruciari per ignem, ab hoc cruciatu immunia erunt eorum corpora. Quid? quod probabilius videatur, hos parvulos extra locum infernalis ignis ſuam damni pœnam ſubire, ut ſequ. §. dicetur.

Reſp. ad II. Mala illa, quæ ad peccatum originale in hac vita conſequuntur, non videri pœnam proprie dictam, ſed *pœnalitatem* duntaxat, jam ſupra N. 47. monuimus; unde ab his non poſſe ad pœnas alterius vitæ argui, jure contendit Bellarminus. Præterea D. Bonaventura qu. 1. jam alias cit. *ad illud*, inquit, *quod parvuli multas pœnalitates ſuſtinent in hac vita, dicendum: quod etſi temporaliter puniri pro peccato originali ſit juſtum, non tamen ſequitur, quod æternaliter.* Sed nec ſenſus pœna veniali peccato debita quidquam urget: hanc quippe admittendi certum eſt fundamentum, non item aliam;

inſuper pœna ſenſus reſpondet peccato voluntate phyſice propria admiſſo, ac etiam voluptati ex delicto perceptæ: quorum utrumque eſt in venialiter peccantibus, neutrum vero in parvulis ſolo originali obſtrictis.

Reſp. ad III. Mirum! potuiſſe eſſe aliquos, qui chartas ſuas hoc arguendi fuco illinerent, & cum tot graviſſimis quinque Seculorum Doctoribus ipſos DD. Thomam & Bonaventuram in erroris Pelagiani ſuſpicionem adduci vellent. Pelagiani ne damni quidem pœnam admittebant in parvulis non baptizatis: cum ſcilicet eos aſſererent nullum habere peccatum, proinde nec damnationi proprie tali eſſe obnoxios. Adhæc per vitam æternam, quam ejusmodi parvulis pollicebantur, non intellexerunt ſolam a pœna ſenſus immunitatem: ſub nomine enim illius vitæ æternæ venditabant quandam beatitudinem ſaltem naturalem, quam certe non conficit ſola immunitas a pœna ſenſus. Quid vero cum his commune opinioni, quam tuemur? tametſi parvulis non baptizatis concedatur a ſenſus pœna immunitas: iidem nihilominus aſſeruntur eſſe in peccato, propter hoc damnationi ſubjici, æternam damni pœnam ſubire, ex ea triſtitiam & dolorem animi percipere, carere denique omni beatitudine etiam naturali. Profecto in his omnibus Pelagiani erroris ne umbra quidem, ſi cui vel hanc captare libeat.

§. II.

Quonam in loco cum Originali peccato decedentes luant Pœnam? an eadem ita futura perpetua, ut ne ex parte quidem mitiganda ſit poſt extremi ſaltem judicii diem?

PRopter originale peccatum parvulos ab obitu ita ſubire damni pœnam, ut ſimul beatitudine deſtituantur omni, pri-

priore §. dictum; reliquum jam eſt, ut compendio perſtringamus aliqua de loco hujus pœnæ: eius item duratione: demum de ſtatu illo, quem hi parvuli poſt extremi judicii diem habituri ſunt.

De parvulorum pœnæ loco.

I. Doctor Ang. in 3. diſt. 22. qu. 2. Ar. 1. ad 2. eum lo- 61
cum, in quo parvuli pro culpa originali dependunt pœnas, vocat *Limbum puerorum*. Sed nec Doctores reliqui in hujus vocabuli uſu diſſentiunt; id vero apud eos controverſum: ubi, & in qua orbis parte hic idem *limbus* ſit collocandus? Varias de hoc apud Salaſ[redacted] Tract. 13. diſp. 11. ſect. 6. qu. 3. legere eſt opiniones; præſertim cum quibusdam videatur, alio nunc hos parvulos detineri loco: alioque rurſum poſt extremum judicium futuros. Ac de hoc quidem altero peculiaria quorundam ſenſa N. 65. referemus: nunc de primo duntaxat ſtatuendum. Prætereo errorem Armenorum, parvulos fidelium ſine Baptiſmo decedentes ad paradiſum quendam terreſtrem continuo a morte transferri opinantium; ex orthodoxis DD. aliqui (horum meminit Baſſolis in 2. diſt. 33. qu. 1. Ar. 3.) limbum puerorum ſuper terram conſtituunt: plures, ac fere communiter cum D. Thoma alii infra terram. Neque tamen vel inter hos convenit, quis nominatim ſit hic locus ſubterraneus: qui parvulos ad pænam ignis damnant, eundem faciunt cum inferno adultorum; diverſum contra ab hoc, qui eos ab ignis cruciatu eximunt: hunc ipſum cum D. Thoma putant alii eſſe pellucidum, alii cum S. Bonaventura tenebricoſum.

II. Tot jam vero inter opiniones quid denique ſtatuendum, 62
ægre reperias. Nihil certi de hoc loco S. Literæ, nihil Tra-

ditio. Catechiſmus ipſe Conc. Tridentini, quamvis in Symbolo ad verba illa, *Deſcendit ad inferos*, explicet *Inferorum receptacula*, primum ſcilicet, quo damnati igne torquentur: alterum, quo animæ per ignem purgatorium expiantur: tertium, in quo animæ Sanctorum ante Chriſti adventum excipiebantur; de peculiari nihilominus horum infantium loco ne mentionem quidem injicit. Quod ſi interim ir re hac admodum controverſa aliquid pronuntiandum foret, malim dicere: limbum puerorum eſſe locum ſubteraneum aliquem, eumque ab adultorum inferno diverſum. Ratio 1*mi* eſt: quia Patres hunc locum communiter deſignant *inferni* nomine; quin & Conc. Florentinum in Decr. Fidei declarat, cum ſolo originali decedentes mox in *infernum deſcendere*: hoc autem vocabulo proprie deſignari locum aliquem infra terram ſitum, jam ſupra N. 12. notavimus. Ratio 2*di* petitur ex opinione, quam de parvulorum pæna tuemur: quod ſi enim hæc non conſiſtat in cruciatu per ignem, quid opus eos ad inferorum incendia relegari? *Eſt* inſuper (teſte Bellarmino L. 2. de Purgat. C. 6.) *communis Scholaſticorum opinio, limbum puerorum eſſe in loco inferni altiore, quam ſit Purgatorium, ita ut ad eum ignis non perveniat; quam* (ut idem addit) *ſequutus eſt Innocentius III. Cap.* Majores, *de Baptiſmo.*

De pœnæ parvulorum duratione.

631. SEcundum opinionem alias propugnatam, originalis culpæ reos infantes unica manet damni pæna; de hujus igitur ſolius duratione ſtatuendum. Nec difficile iſtud: certum quippe orthodoxis omnibus, parvulos hos intuitiva Dei viſione nunquam fruituros, atque adeo cœleſti beatitudine in perpetuum excludendos. Nimirum, renati non ſunt ex aqua & Spiritu Sancto; ipſius proinde Divini verbi teſtimonio Joan.

3. non

3. non poſſunt introire in Regnum Dei, quod eſt vita æterna. Et juxta Tridentini doctrinam Seſſ. 5. Can. 4. originale peccatum regenerationis lavacro neceſſe eſt expiari ad vitam æternam conſequendam; cum ergo hi parvuli ita expiati non ſint, capaces eſſe nequeunt vitæ æternæ unquam conſequendæ. Denique, obeunt cum peccato, quod Apoſtolo teſte ad Rom. 5. eſt in condemnationem; moriuntur ergo filii iræ, ſtatimque a morte ſubjiciuntur damnationi: dum proinde hujus peccati fiat remiſſio, manet damnatio; atqui peccatum futurum eſt in illis perpetuum: perpetua igitur etiam damnatio. Ita arguebat olim Anſelmus, cum L. de conceptu Virginali C. 27. diceret: *Si originale peccatum eſt aliquod peccatum, neceſſe eſt omnem hominem in eo natum, illo non dimiſſo, damnari.* Sed enim

II. Dubitatio aliqua videtur injici poſſe ex Auguſtini verbis L. 3. de lib. arbitr. C. 23. ubi ait: *Quis novit, quid ipſis parvulis in ſecreto judiciorum ſuorum bonæ compenſationis reſervet Deus?* ergo cum alias parvulorum damnationem contra Pelagianos acriter propugnaret, iſthic *compenſationis* nomine futuram aliquando ejus pœnæ ceſſationem ita inſinuat, ut eam in dubio relinquat. 64

Verum hæc a mente Auguſtini aliena ſunt. Pugnat quippe hoc loco contra Manichæos, qui ex malis, quibus in hac vita ſubjiciuntur parvuli, inferebant *Principii mali* exiſtentiam; ad refellendos igitur illos aſſerit, Deum bonum ac verum propter ejusmodi temporales pœnas poſſe parvulos remunerari in vita altera: at de eorum propter originalem culpam damnatione ne meminit quidem, cum id ad controverſiam illam non pertinuerit. Libet ipſum S. Doctorem audire ita ſe ipſum explicantem in Ep. 28. nunc 166. ad Hieronymum: *Nam & de*

Ba-

Digitized by Google

Baptiſmo parvulorum, inquit, *in eodem libro*, *non quidem ſufficienter*, *ſed quantum illi operi ſatis eſſe videbatur*, *utcunque reſpondi; -- non tamen de damnatione parvulorum eorum*, *qui ſine illo* (Baptiſmo) *ex hac vita migrant*, *tunc aliquid dicendum putavi: quia non quod nunc agitur*, *agebatur.* Evadere nihilominus non potuit cavillationem Pelagianorum, qui ſubinde in erroris ſui patrocinium cit. librum oggerebant Auguſtino. Quid vero ille? in Lib. de dono Perſev. C. 12. ita reſpondet. *Fruſtra mihi de illius Libri mei vetuſtate præſcribitur; - - ſi enim quando Libros de libero arbitrio laicus cœpi, Presbyter explicavi, adhuc de damnatione infantium non renaſcentium liberatione dubitarem, nemo (ut opinor) eſſet tam injuſtus atque invidus, qui me proficere prohiberet, atque in hac dubitatione remanendum mihi eſſe judicaret.* Hæc tum Auguſtinus: quia vel iſtud ſatis erat ad refellendos adverſarios.

De parvulorum pœnam damni ſubeuntium conditione poſt diem ſupremi judicii.

651. NUllus (quod ſciam) e vetuſtis Patribus diſcrimen facit inter parvulorum cum originali decedentium conditionem comparate ad tempus, quod ſupremi judicii diem antecedit, aut conſequitur. At vero complures poſterioris ævi DD. diſcrimen hoc faciendum cenſuerunt. Dubie id inter alios inſinuat Petrus de Aquila in 2. diſt. 33. cum ait: *Poſt reſurrectionem vel erunt in mundo iſto*, *quem Deus dabit illis pro loco*, *& vadent hinc inde gaudendo & ſpatiando: vel in limbo;* addit ſimul: *neutrum tamen horum mihi certum eſt*, *quia quod non patet ex Scriptura*, *eadem facilitate contemnitur*, *qua affirmatur; ideo confiteor me neſcire.* Amplius aliquid Ambroſius Catharinus in Opuſc. de ſtatu puerorum ſine Bapt. deced. ubi non tantum naturalem felicitatem illis attribuit: ſed & poſt

Digitized by Google

poſt judicium ſuper faciem terræ in loco amœniſſimo putat habitaturos, frequenter adhæc ab Angelis & Beatis viſitandos, atque ab his ſemper conſolationem accepturos, magnum denique in rerum naturalium cognitione facturos progreſſum. Eadem fere eſt opinio Pighii, Savanarolæ, Paludani, & Salmeronis apud laud. Salas.

Salmeronis verba recitare juverit. *Reſurgent igitur* (ait ille) *pueri per Chriſtum, &, ſupra beatitudinem naturalem, qua quotidie proficient in cognitione operum Dei & ſubſtantiarum ſeparatarum, viſitationes habebunt Angelicas, & - - hanc terram incolent: ut qui medii ſunt inter gloriam & ſupplicium, ſint etiam medii in loco. - - Hæc autem terra ſuo ornatu non privabitur. - - Et eo fortaſſis reſpexit David Pſal.* 113. *cum dixit: Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum; & Paulus ad Epheſ.* 1. *Placuit Deo inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt, in ipſo: id eſt, quæ cœleſtem habitationem habebunt, atque terrenam. Quo alludit Dilectus in Apoc. C.* 21. *cum ait: Vidi cælum novum, & terram novam. Ergo ut cælum non nudum, & habitatoribus ſpoliatum interpretamur: ita nec terram ſumimus ſine incolis ſuis; non tamen ut eam colant ſeminando & plantando, quia uſus nullus erit poſt diem judicii* &c. Ita Salmeron in C. 5. ad Rom. Diſput. 48. ſub finem, poſtquam nempe jam antea late probavit: pueros cum originali defunctos in limbo uſque ad judicii diem detineri ſine pœna ſenſus & triſtitia. Verum

II. Opiniones hæ, ac id genus aliæ in favorem parvulorum excogitatæ, communiter rejiciuntur; quin aliquibus videntur non eſſe ſatis tutæ, quaſi nimirum ad hæreſim Pelagianam accedentes. Ac ego quidem illas ab hac labe omnino 66

Digitized by Google

immunes eſſe exiſtimo; nulla enim earum negat parvulos ob peccatum originale pœnam damni ſubire: id quod tamen Pelagiani negabant, ac in hoc erraſſe illos dubitari nequit. Rejiciendas nihilominus eſſe ipſe cenſeo, ut pote fundamento omni vel probabili deſtitutas. Scripturæ certe loca, ad quæ Salmeron provocat, ſenſum habere longe alium, ipſe contextus prodit: nihil ut dicam de communi interpretum doctrina. Sed & fruſtra provocatur ad Dei miſericordiam: poſt hanc enim vitam quoad *filios iræ*, quales ſunt hi quoque parvuli, potior eſt juſtitia, quam miſericordia. Quid? quod ſi attendantur Patrum ſenſa, multo illis eſt conformius dicere: parvulos ſine ulla temporis differentia eandem & eadem ratione damni pœnam ſubire in eo ipſo loco, in quem mox ab obitu deſcendunt, inferno ſcilicet, qui *limbus puerorum* vocatur. Nullum nempe PP. diſcrimen faciunt loci aut ſtatus quoad parvulos in originali mortuos; nullum eis unquam quietis aut felicitatis aſſignant locum; a morte illos *mox in infernum deſcendere* fidei eſt doctrina in Florentino: nuſpiam autem vel veſtigium reperias ejus beneficii, quo ex inferno transferantur ad locum alium, in quo memorata fruantur beatitudine. Hinc V. Beda in C. 14. Joan. *reſpuendi ſunt*, inquit, *qui putant*, - - *quia extra regnum cœlorum erit aliquid, ubi beate maneant innocentes, qui ſine Baptiſmo ex hac vita migrarunt.*

67 III. Quod proinde in hac controverſia veriſimilius exiſtimari poteſt, Salas cit. qu. 3. N. 92. his verbis ſtatuit. *Tutius eſt* (inquit) *dicere, manſuros in limbo, & nec nunc, nec poſt judicium habituros felicitatem naturalem ſimpliciter loquendo; quia licet habeant omnes perfectiones poſitivas, quas haberent animæ puerorum in puris naturalibus: tamen non habebunt perfectiones negativas, ut carentiam peccati & pœnæ; nam juxta multos habebunt aliquam triſtitiam, vel ſaltem carebunt lætitia, &*

ſe-

Digitized by Google

ſecundum omnes carebunt beatitudine ſupernaturali, -- *eruntque in peccato habituali* &c. Eadem eſt, quoad præcipuum hujus controverſiæ caput, cum Bellarmino aliorum etiam communiter opinio, cujus fundamentum ex jam dictis facile conjicias. Suarez inſuper, quamvis hos parvulos naturalem Dei cognitionem & amorem habituros putet, eandem tamen poſt reſurrectionem ſubituros ait pœnam, quam antea, privationem videlicet viſionis beatificæ: in corpore autem ſolam privationem gloriæ ad corpus pertinentis; corpora proinde eorum non futura pœnæ alteri obnoxia, non alimenti egentia, nec paſſibilia, cum jam tum, ita providente Deo, ceſſatura ſit corporum naturalis alteratio.

Hæc referre viſum, ut de parvulorum pœnis certa ab incertis ſecernere Theologiæ ſtudioſus noverit. Jam totius controverſiæ argumentum ſæpe nobis laudatus Auguſtinus concludat ſapienti ſuo effato L. 2. de Peccat. merit. C. 16. *Poteſt recte dici, parvulos ſine Baptiſmo de corpore exeuntes in damnatione omnium mitiſſima futuros; multum autem fallit & fallitur, qui eos in damnatione prædicat non futuros.*

O. A. M. D. G.

Digitized by Google

INDEX
IN LIBROS
DE LEGIBUS, PECCATIS, ET PECCATORUM POENIS.

Præfatio - - - - - Pag. 3

LIB. I. De Legibus. - 7

Partitio Libri. Decreta Conciliorum. Propoſitiones damnatæ a Pontificibus.

DISSERTATIO I. De Lege in communi - 10

§. I. Quid ſit Lex? - - - - - ibid.
Definitio Legis. Ejusdem Exiſtentia. Conditiones ad Legem requiſitæ. Legum varietas.

§. II. Qui ſint Legis effectus - - - 21
Actus Legis. Obligatio ex actibus Legis promanans. Obſervatio Legis. - - -

§. III. Quis ferre poſſit Legem? Qui item ſubjiciantur Legibus? - - - - 27

De Auctore Legis. - - - - - 28
ASSERTIO. *Legem condere non alius poteſt, quam ſuperior, nec tamen quilibet, verum is tantum, qui perfectæ communitati præeſt. Occurritur objectis.*

De Subjecto Legis. - - - - - 30
Certa omnium Sententia. Novatorum controverſia. ASSERTIO. *Fideles per Legem Evangelicam non ſunt exempti ab obligatione obſervandi Leges, ſeu Divinas, ſeu humanas. Reſpondetur Novatoribus.*

§. IV.

Digitized by Google

§. IV. An, ut ſubditi obligentur Lege, requiratur ejus promulgatio? - - - - 40
Status Controverſiæ. Assertio. *Ut Lex obliget in actu ſecundo, aliqua ejus promulgatio eſt neceſſaria. Diluuntur objecta.*

§. V. An, & quomodo Lex, ejusque obligatio poſſit deſinere? - - . . 48
Assertio. *Lex, ejusque obligatio poteſt deſinere: & quidem pluribus modis.*

De Modis, quibus Lex, aut ejus obligatio deſinit. - 49
Ceſſatio finis a Legislatore intenti. Revocatio Legis. Diſpenſatio in Lege. Privilegium contra Legem. Interpretatio Legis.

DISSERTATIO II. De Lege Naturali. - - 60

§. I. Quid Legis Naturalis nomine veniat? An detur? Et quo auctore exiſtat? - - - ibid.
Generalia Legis Naturalis cognoſcendæ principia. Notio Legis Naturalis. Ejusdem Exiſtentia. Auctor Legis Naturalis.

§. II. In quo proprie ac complete conſiſtat Lex Naturalis? Quomodo item obliget? . . 71
Doctorum Opiniones. Assertio I. *Lex Naturalis eſt ipſa voluntas Dei neceſſaria, naturæ humanæ promulgata per rectum, idemque practicum rationis dictamen, quo dirigimur & obligamur ad agendum vel omittendum ea, quæ ſolo naturali lumine cognoſcuntur eſſe præcepta vel prohibita.* Assertio II. *Lex Naturalis obligat in conſcientia ita, ut actus contra eam poſitus ſemper ſit illicitus: quandoque autem etiam irritus, ac invalidus. Reſolvuntur objectiones.*

Digitized by Google

§. III. An Lex Naturalis ſit una in ſe? an item una eadem que in nobis? - - - 84

Assertio I. *Plura quidem particularia præcepta complectitur Lex Naturalis; iſtud tamen non officit, quo minus vero ſenſu dicatur una in ſe.* Assertio II. *Lex Naturalis eſt una etiam in nobis: tametſi non plane eadem ratione in omnibus. Expediuntur quædam Dubitationes.*

§. IV. Quæ generatim præcipiantur, aut prohibeantur per Legem Naturalem? Et num ſub illa nominatim contineantur omnia Decalogi præcepta? - - 89

Animadverſio prævia. Assertio I. *Ea cenſenda ſunt Lege Naturali præcepta aut prohibita, quæ lumine naturali cognoſcimus a Deo ut auctore naturæ neceſſario præcipi vel prohiberi.* Assertio II. *Omnia Decalogi præcepta (circumſtantia diei in præcepto tertio excepta) continentur ſub Lege Naturali. Reſpondetur ad objecta.*

§. V. An Lex Naturæ ita ſit neceſſaria, ut nec abrogari penitus: nec vim in actu ſecundo obligandi amittere poſſit per diſpenſationem, interpretationem, vel ignorantiam? - : - - 101

Status controverſiæ. Assertio I. *Lex Naturalis ita eſt neceſſaria, ut abrogari non poſſit.* Assertio II. *In Lege Naturali non poteſt ab ullo diſpenſari; eadem non patitur interpretationem proprie talem; nec poteſt invincibiliter ignorari quoad prima ſaltem, & magis generalia præcepta, ac etiam ea, quæ cum his perſpicuam habent connexionem. Diluuntur objectiones.*

DISSERTATIO III. De Lege Divina. - - 119

§. I. Quid ſit Lex Divina? Quam varia? ejusque origo unde repetenda? - - - ibid.

Uſi-

Digitized by Google

Uſitata Legis Divinæ acceptio. Varietas Legis Divinæ, & exiſtentia. Legis Veteris notio, Auctor, & promulgatio Legis novæ.

§. II. Quid Lex Vetus contineat? eademque nunc bona fuerit? - - - - - - 133

ASSERTIO I. *Lex Vetus continebat triplicis generis præcepta: Moralia ſcilicet, cæremonialia, & judicialia. Animadverſio I. De præceptis moralibus. Animadverſio II. de præceptis cæremonialibus. Animadverſio III. de præceptis Judicialibus.* ASSERTIO II. *Lex vetus fuit bona & ſancta. Reſolvuntur argumenta contraria.*

§. III. Quos Lex vetus obligaverit? quamdiu perduraverit obligatio? numque, ceſſante illa, continuo illicita ſit reddita Legis obſervatio? - - 158

De Populo Legis Vet. obligationi adſtricto. - 159

ASSERTIO. *Lex Moſaica quoad præcepta omnia per ſe obligabat ſolos Judæos; per accidens etiam Gentiles, populo Judaico per circumciſionem adſtrictos: non autem alios. Solvuntur objectiones.*

De Legis Vet. ejusque obligationis abrogatione. - 164

ASSERTIO. *Lex Vetus abrogata eſt per Chriſtum: & quidem quoad ſe in morte Chriſti: quoad obligationem vero tempore Evangelii Judæis ſufficienter promulgati. Reſpondetur Adverſariis.*

De Modo, quo Legis Vet. obligatio abrogata eſt. - 176

Status Controverſiæ. ASSERTIO. *Lex Vetus etiam quoad præcepta cæremonialia, non ſtatim mortifera fuit, ac mortua eſt. Expediuntur argumenta contraria.* COROLLARIUM. *De tempore, quo primum reddita eſt illicita Legis Moſaicæ obſervatio.*

§. IV.

Digitized by Google

§. IV. Quid Lex Nova contineat? & num, ac in quo a Lege Veteri differat? - - - 190

De præceptis in Lege Nova contentis. - - ibid.

Assertio. *Lex Evangelica præter fidei præceptum, alia quoque præcepta continet: eaque varia, moralia ſcilicet, cæremonialia, aliqua etiam judicialia. Animadverſio in objecta.* Corollarium. *De Conſiliis Evangelicis.*

De Legis Novæ differentia a Lege Veteri. - 198

Assertio. *Quamvis Lex Nova in quibusdam conveniat cum Veteri, ſimul tamen in aliis ab eadem eſt diverſa. Animadverſio pro objectis.*

§. V. Quos Lex Nova obliget? & quando obligare cœperit? - - - - 207

De Perſonis Legis Evang. obligationi obnoxiis. - 208

Assertio. *Lex Evangelii obligat univerſim homines, non tamen eadem ratione omnes.*

De Tempore, quo primum inducta eſt Legis Evangel. obligatio. - - - - 209

Assertio. *Lex Evangelica primum a Pentecoſte obligare cœpit: prius quidem Judæos: gentes deinde ſenſim alias ita, ut ante Apoſtolorum mortem univerſum Orbem obligaret. Adverſæ partis momenta diluuntur.*

§. VI. An Lex Nova ſit aliquando penitus abroganda? aut ſaltem diſpenſationem admittat? - - 219

Error quorumdam, & ſtatus controverſiæ. Assertio I. *Lex Evang. durante Mundo abroganda non eſt, ſed ad finem usque illius perſeveratura.* Assertio II. *In Lege Evangelica, quoad ejus præcepta mere poſitiva a Deo proprie diſpenſari poteſt: non item ab ullo hominum. Reſolvuntur objectiones.*

Diſ-

Digitized by Google

§. I. Quid & quam varia ſit Lex humana? a quo? pro quibus item ferri poſſit? - - - ibid.
Notio & varietas Legis humanæ. De Legislatore humano. De Subjecto Legis humanæ.

§. II. An, ut Lex humana obliget, requiratur in Legislatore fides & probitas? quæ item promulgatio? num etiam populi conſenſus? - - - - 236

De Legislatoris fide, ac probitate. - - ibid.
ASSERTIO. *Poteſtas legislativa ſive Civilis, ſive Eccleſiaſtica non dependet a fide, aut morum probitate; ad jurisdictionem tamen Eccleſiaſticam neceſſaria eſt externa fidei profeſſio in Prælato Eccleſiaſtico. Reſpondetur adverſariis.*

De Legis hum. promulgatione. - - - 247
ASSERTIO. *Ut Lex humana obliget, ſolemni ritu promulganda eſt; ab arbitrio autem Legislatoris pendet promulgatio quoad locum: uti & tempus, quo Lex promulgata obligare incipiat. Reſpondetur ad objecta.*

De Legis humanæ acceptatione. - - 254
ASSERTIO. *Ad Legem hum. tam Civilem, quam Eccleſiaſticam non requiritur conſenſus, ſeu acceptatio populi; obligantur proinde illa ſubditi etiam diſſentientes, & repugnantes. Satisfit argumentis contrariis.*

§. III. An Leges humanæ obligare poſſint, aut etiam obligent in conſcientia? - - - 268

Status controverſiæ & Opiniones. ASSERTIO I. *Legislator humanus quilibet ſuis legibus poteſt ſubditos obligare in conſcientia.* ASSERTIO II. *Quælibet humana*

Digitized by Google

Lex in conſcientia obligat ad aliquid. Reſolvuntur obje-ctiones. Corollarium. *De obligationis modo quoad Legis actum & pœnam a Lege dictatam.*

§. IV. An per Legem humanam præcipi vel prohiberi poſſit actus internus? - - - 285

Animadverſio prævia. Assertio. *Lex humana nequit præcipere directe actus internos; poteſt tamen eos præcipere indirecte. Reſpondetur Adverſariis.*

§. V. An Lex humana actum aliquem prohibens hoc ipſo illum reddat non tantum illicitum, ſed etiam irritum? - - - - 298

Legis irritantis notio, & efficacia. Assertio. *Lex humana actum prohibens non hoc ipſo illum reddit etiam irritum. Expediuntur Objectiones.*

§. VI. An Lex humana patiatur ſui abrogationem, diſpenſationem, & interpretationem? - - 305

Assertio. *Lex humana abrogari poteſt: eademque patitur tam diſpenſationem: quam interpretationem.*

LIBER II. De Legum transgreſſione, ſeu Peccatis. - - 309

Partitio Libri. Decreta Conciliorum. Propoſitiones damnatæ a Pontificibus.

DISSERTATIO I. De Peccato generatim ſpectato. - 313

§. I. Quid apud Theologos Peccati nomine veniat? ac in quo illud generatim conſiſtat? - - ibid.

Varia peccati acceptio, ejusque a vitio differentia. De natura peccati errores, & Doctrina Orthodoxa. Assertio. *Peccatum in communi, prout a Theologis conſideratur,*

eſt

Digitized by Google

eſt libera Legis Divinæ transgreſſio. Dubitationibus occurritur. Corollarium. *De peccato (ut vulgo dicitur) Philoſophico.*

§. II. Quæ ſit peccatorum varietas ? unde item eorum in ſpecie aut numero differentia repetenda ? 324

Peccati generatim ſumpti in ſua membra diviſio. Ratio dignoſcendi peccata quoad ſpeciem differentia. Ratio item dignoſcendi peccata quoad numerum diſtincta. Animadverſio in datam doctrinam.

§. III. Quæ ſit in ſenſu Theologico cauſa peccati ? num ad illud Deus aliqua ſaltem ratione concurrat ? aut etiam ipſe determinet ad id, quod materiale peccati Scholæ dicunt ? - - - - 333

Error Sectariorum. Controverſæ Orthodoxorum Opiniones. Assertio I. *Voluntas creata, eaque ſe libere exercens eſt in ſenſu theologico cauſa peccati : non item Deus.* Assertio II. *Quamvis Deus non ſit auctor peccati, ad illud tamen in genere cauſæ phyſicæ, indifferenter applicata ſua Omnipotentia, immediate concurrit ; idem nihilominus voluntatem creatam ne quidem ad id, quod peccati materiale dicitur, prædeterminat, imo nec poteſt. Refelluntur ſectarii contra Aſſert. I. argutantes. Scholaſticorum adverſus Aſſert. II. momenta expediuntur.*

§. IV. Qua ratione hoc providentiæ ſtatu peccatum ſufferatur ita, ut in ſenſu theologico non amplius exiſtat ? - - - - - 316

De diſpoſitione ad remiſſionem peccati obtinendam requiſita. De formali remiſſione peccati. Corollarium. *De peccati remiſſione in ſtatu alterius providentiæ.*

Digitized by Google

§. I. Quid ſit commiſſionis peccatum, & in quo reponenda ejus malitia? - - - ibid.

Natura peccati commiſſionis, & Scholæ opiniones de ejus malitia. Assertio. *Malitia peccato commiſſionis propria habetur per ipſum actum ut libere poſitum contra Legem prohibentem. Diluuntur Objecta.*

§. II. Quid ſit omiſſionis peccatum, & quis actus ejus malitiam contrahat? - - - 380

Natura peccati omiſſionis, & de eo Theologorum Moralium controverſia. Assertio. *Ex actibus, qui cum omiſſione peccaminoſa conjunguntur, & cum actu præcepto componi nequeunt, is tantum peccati omiſſionis malitiam contrahit, qui eſt vero ſenſu cauſa omiſſionis. Animadverſiones practicæ ex nunc dato generali principio deductæ. Oppoſitum ſentientium momenta reſolvuntur.* Corollarium. *De peccato, quod fieret per omiſſionem puram liberam.*

§. III. Quid ſit peccatum Mortale? an detur? quæ attributa illi propria? - - - 390

Natura peccati mortalis. Ejuſdem exiſtentia. Regulæ ad diſcernendum mortale peccatum. Proprietates ejuſdem peccati.

§. IV. An, & quo ſenſu, peccatum mortale in ratione alicujus attributi ſibi proprii ſit infinitum? - 395

Status controverſiæ, & Doctorum opiniones. Assertio I. *Peccatum mortale non eſt ſimpliciter infinitum quoad ullam attributi ſibi proprii rationem.* Assert. II. *Quodlibet peccatum mortale quoad omnia attributa ſibi propria habet quandam ſenſu minus proprio infinitatem; eſt proinde infinitum ſecundum quid. Reſpondetur Adverſariis*

Digitized by Google

ſariis. Objecta ex natura offenſæ. Objecta ex vi demeritoria peccati. Animadverſio.

§. V. Quid ſit peccatum Veniale? num detur? & an plura venialia contrahant peccati mortalis malitiam. 423
Natura peccati venialis. De ejusdem peccati natura ac exiſtentia Sectariorum error, & Catholica doctrina. Assertio I. *Dantur peccata, quæ ex natura ſua ſint tantum venialia.* Assertio II. *Plura venialia per ſolam ſui multiplicationem non contrahunt peccati mortalis malitiam. Reſpondetur Sectariis contra Aſſert. I. argutantibus. Reſpondetur Scholaſticorum contra Aſſert. II. objectis.*

§. VI. Quid nomine peccati habitualis Theologi intelligant? an item, & quando detur illud? - 442
Explicatur peccati habitualis natura. Assertio. *Datur peccatum habituale: & quidem uſque eo, quoad peccati antea commiſſi fiat remiſſio formalis. Diluuntur momenta in oppoſitum.*

DISSERTATIO III. De Peccato Originali - 449

§. I. An detur, & quid ſit Originale peccatum? ibid.
Sectariorum error de exiſtentia & natura peccati Originalis. De ejusdem peccati exiſtentia & natura fidei dogma; variæ item DD. Orthodoxorum opiniones. Assertio I. *Datur peccatum originale.* Assertio II. *Hoc peccatum non eſt ipſa concupiſcentia: nec ſubſtantia mala, ſeu dæmonis imago ſubſtantialis: non denique morbus, qui non ſit per ſe culpabilis.* Assertio III. *Eſt igitur ipſum peccatum ab Adamo voluntate phyſice propria eademque moraliter noſtra commiſſum, nobisque a primo animationis momento tanquam unicuique proprium, moraliter immanens, donec remittatur. Reſpondetur Pelagio, ejusque ſequacibus. Reſpondetur noſtri*

ævi Novatoribus. ***Demum & Doctoribus Orthodoxis.*** Corollarium. *De Zozymo Pontif. approbante Libellum, quo Cæleſtius negabat dari peccatum originale. Facti ſeries. Vindicatur ab errore Zozymus.*

§. II. Qui generatim homines & quomodo peccatum originale contrahant? - - - - - - 471

Assertio I. *Soli & omnes Adæ poſteri, via ſcilicet naturalis generationis ab Adamo deſcendentes (niſi quis ſpeciali eximatur privilegio) contrahunt peccatum originale, & quidem primo animationis momento.* Assertio II. *Eatenus peccante Adamo, ejus quoque poſteri peccarunt, atque adeo peccatum originale contraxerunt, quatenus per decretum Dei in voluntate Adami voluntates eorum fuerunt incluſæ in ordine ad obſervationem vel tranſgreſſionem præcepti de non comedendo fructu vetito. Reſolvuntur Objecta.*

§. III. An peccatum originale contrahatur nominatim etiam a fidelium filiis? - - - - - 487

Assertio. *Filii fidelium non ſecus ac alii peccatum originale contrahunt ita, ut illis imputetur. Animadverſio in Objecta.*

§. IV. An non ſaltem Virgo Dei Mater a peccato originali fuerit immunis ita, ut illud in ſuo Conceptu non contraxerit? - - - - - 489

Exponitur ſtatus & progreſſus Controverſiæ. Referuntur PP. & CC. acta ad Immac. Conceptionis B. V. M. cauſam pertinentia. Assertio. *B. V. Maria ſine peccato originali eſt concepta ita, ut ab illo in ſua Conceptione præſervata, & per gratiam Spiritus S. prævenientem in primo creationis animæ, ejusque in corpus infuſionis*

ſtionis

ſionis momento ſanctificata fuerit. Adverſariorum momenta diluuntur. Corollarium. *De Voto immaculatum V. Mariæ conceptum tuendi uſque ad Sanguinem. Refertur controverſia a Lamindo Pritan. excitata. Rejicitur opinio Lamindi. Occurritur ejusdem effugiis.*

§. V. An B. Virgo immmunis fuerit etiam a debito contrahendi peccatum originale? - - 521

Notio debiti culpæ orig. & de eo Controverſia. Assertio. *Probabile eſt B. Virginem eiam a proprie tali, hoc eſt, proximo debito contrahendi peccatum originale immunem fuiſſe: non peccaſſe proinde in Adamo. Reſpondetur ad Objecta.*

LIBER III. De peccatorum Pœnis. 535

Partitio Libri. Conciliorum Decreta, & Propoſitiones damnatæ a Pontificibus.

DISSERTATIO I. De Pœnis peccati Perſonalis. . 537

§. I. Quæ ſit, & in quo conſiſtat cum peccato Mortali ex hac vita decedentium pœna? - - ibid.

Notio & varietas Pœnæ peccati in communi. Pœna damni & ſenſus peccato mortali debita. Controverſia de Pœna ſenſus. Assertio. *Ignis in reproborum pœnam deſtinatus eſt verus & corporeus, eodemque etiam ſpiritus damnati torquentur; modus attamen, quo id ſit, nobis eſt incognitus: licet ſat veriſimiliter explicari poſſit per quandam analogiam ad eum dolorem, qui cauſatur in anima corpori uſto unita. Refelluntur Adverſarii.*

§. II.

Digitized by Google

§. II. An decedentibus in peccato Mortali peculiaris aliquis locus ſit deſtinatus ad ſubeundam damni & ſenſus pænam? quando item illius fiat initium? & quæ ejus duratio? - - - 547

De loco puniendis reprobis deſtinato, ſeu Inferno. De pœnæ in Inferno luendæ initio. De pœnæ Inferni duratione. Assertio I. *Fide certum eſt Dæmonum perinde ac hominum damnatorum pœnas inferni æternum eſſe duraturas.* Assertio. II. *Veriſimilius eſt peccatum Veniale, tametſi in hac vita non fuerit remiſſum quoad culpam, in damnatis non puniri æternum, ſed temporali duntaxat pœna; idemque ſentiendum videtur de Peccato Mortali, jam antea in hac vita quoad culpam & reatum pœnæ æternæ remiſſo. Refelluntur momenta contra Aſſert. I. pugnantia. Reſpondetur adverſariis Aſſert. II. impugnantibus.* Corollarium. *De reproborum conditione ad pœnas inferni conſequente.*

§. III. An cum ſolis Venialibus peccatis decedentes puniantur poſt hanc vitam Purgatorii pœna? quæ item illa & qualis? 574

Definitio Purgatorii, & de eo Fidei doctrina. Sectariorum error. Assertio. *Fidei veritas eſt dari Purgatorium, ſeu locum aliquem, in quo poſt hanc vitam a peccatorum reliquiis per pœnas temporales expientur Juſtorum animæ: easque illic detentas Eccleſiæ & fidelium ſuffragiis juvari poſſe. Diluuntur argutiæ Schiſmaticorum & Novatorum.* Corollarium. *De Purgatorii pœnarum circumſtantiis.*

DISSERTATIO II. De Pœnis Peccati Originalis. 591

§. I.

§. I. Quæ ſit cum ſolo Originali peccato decedentium pœna? an ſcilicet damni ſimul, & ſenſus? ibid.

Pœnæ peccati Originalis in hac vita. De alterius vitæ pœna, peccato Originali debita, errores, & controverſæ opiniones. Assertio I. *Fide certum eſt parvulos in peccato originali decedentes privari vita æterna, quæ conſiſtit in viſione Dei intuitiva & beatifica.* Assertio II. *Parvuli ex privatione viſionis beatificæ probabilius afficientur aliqua triſtitia & animi dolore: nec fruentur ulla beatitudine naturali.* Assertio III. *Videtur eſſe veriſimilius, parvulos ob peccatum originale non ſubituros pœnam ſenſus, ſeu cruciatum ignis ſenſibilis. Adverſariorum momentis occurritur.*

§. II. Quonam in loco cum peccato originali decedentes luant pœnam? an eadem ita futura perpetua, ut ne ex parte quidem mitiganda ſit poſt extremi ſaltem judicii diem? - - - - 612

De parvulorum pœnæ loco. De pœnæ parvulorum duratione. De parvulorum pœnam damni ſubeuntium conditione poſt diem ſupremi Judicii.

Digitized by Google

Pag.	Lin.	Errata	Corrige.
37.	27.	I. Timoth. II.	I. Timoth. I.
38.	penult.	C. 2.	C. 4.
128.	14.	certum eſt; communiter	certum eſt; accipienda eſt in ſenſu proprio, ut communiter
147.	20.	ſanctificandus,	ſacrificandus,
152.	25.	L. II.	Diſſert. II.
155.	12.	dum præcepta	cum præcepta
183.	22.	Originis auctoritate	Origenis auctoritate
184.	13.	Reſp. II.	Reſp. ad II.
188.	10.	*tanquam earum morſibus*	*tanquam canum morſibus*
191.	10.	Seſſ. 6. Can. 16.	Seſſ. 6. Can. 19.
192.	19	Matth. ult.	Marc. ult.
193.	12.	Luc. 21.	Luc. 22.
ibid.	25.	ad Timoth. 3.	I. ad Timoth. 3.
200.	19.	Jer. 3.	Jer. 31.
211.	21.	Act. II.	Act. 13.
214.	16.	Matth. ult.	Marc. ult.
		idem occurrit pag. 217. lin. 9.	
249.	7.	Zepherini	Zephyrini
250.	13.	ubi autem	uti autem
253.	20.	qui iſtud	quia iſtud
282.	25.	Ratio 2di eſt:	Ratio 3tii eſt:
283.	19.	cenſeturſi, lex	cenſetur, ſi lex
293.	13.	ſimiter	ſimiliter
304.	28.	legem probibentem	legem prohibentem
305.	8.	verbs,	verbis,
380.	9.	Quo prinde	Quo proinde
451.	1.	vis ſubinde	quamvis ſubinde
461.	ult.	Calviani	Calviniani.
473.	26.	*ſpecali*	*ſpeciali*
513.	10.	cononizata	canonizata
ibid.	21.	dedicit.	decidit.
564.	24.	e natuta	e natura
574.	14.	folitio	folitio
578.	ult.	Lhtentur celi	Lætentur cœli
613.	11.	Salaſarium	Salas

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google